Lucian Müller

LVCIANI MVELLERI

DE RE METRICA

POETARVM LATINORVM

PRAETER PLAVTVM ET TERENTIVM

LIBRI SEPTEM.

ACCEDVNT EIVSDEM AVCTORIS OPVSCVLA IV.

EDITIO ALTERA.

[Ed. 2]

PETROPOLI ET LIPSIAE.
IMPENSIS C. RICKERI.
A. MDCCCLXXXXIV.

IENAE TYPIS G. NEVENHAHNII.

L. S.

Tandem aliquando per negotiorum magnitudinem licuit retractato plene libro hoc, cuius ante annos multos venierant exemplaria, doctorum plurimis satisfacere desideriis. namque ille sive merito suo sive sorte quadam placendi (quando ut in vita, ita in litteris pleraque casu temperantur) tantum tulit laudis et approbationis, ut in omnes penetraverit terras, ubi antiquitatis memoria colitur, utque Summarium rei metricae Graecorum et Romanorum, quod ex hoc potissimum excerptum a. 1880 edidimus, in plerasque Europae linguas sit translatum.

Tali autem honore acrius me accensum, ut opus nostrum novis curis etiam magis dignum fieret studiis hominum, non est quod dicam.

Nihil igitur a nobis recusatum aut laborum aut impensarum, quod ad instruendum adornandumque illud facere posse videretur.

Itaque pariter, quae nos per annos plus XXX continuo retractata materia inveneramus potiora olim probatis, in novam recepta sunt editionem nec minus in auxilium vocata, quae ab aliis de metrica poetarum veterum erant prolata. quamquam in tanta *πολυγραφίᾳ* doctorum, maxime Germanorum, nec potuisse me nec, si possem, voluisse omnia perlegere, quae ad rem pertinerent nostram, vix cuiquam erit mirum.

Sed rationes et consilia nostra quae fuerint in editione nova instauranda pluribus expositum in prohoemio. itaque

satis erit nunc monere principia et fundamenta laboris nostri cum plane manserint eadem, quae fuerunt ante annos triginta (nam ea comprobata et in usus recepta plerorumque consensu doctorum), plurima sublata, addita, inversa, quo satisfieret expectationi hominum.

Praeterea cum haud immerito quererentur multi minus commodam fuisse editionem priorem ad usus legentium non distinctis satis locis scriptorum allatorum et Indicibus parum copiosis, utrique rei iam provisum.

Porro coniecturarum numerus, quibus interdum molestius interrumpebatur ordo disputandi, multum imminutus, cum praesertim pleraque ex illis possent repeti ex editionibus poetarum, quas post a. MDCCCLXI emisimus, maxime ex Lucilii, Ennii, Nonii, Phaedri.

Igitur haud frustra spe tenemur, fore ut aequi iudices etiam maiore quam ante amplectantur favore hanc retractationem libri de re metrica poetarum Latinorum.

Qui cum totus subiaceret oculis nostris nitidissime typis expressus et emendatissime, sicut ducem quendam veterem ferunt post captam hostium urbem, non potui temperare a lacrimis, partim gaudio rei perpetratae, partim recordatione malorum, quae per hos triginta annos, grande aetatis humanae spatium, acciderunt vel antiquitatis studiis vel nobis, qui eorum, si non magna, certe aliqua pars fuimus.

Quis enim ignorat numerum eorum, qui lectionem librorum Latinorum et Graecorum vel totam tollendam ex puerorum scholis vel finibus coerendam putarent quam artissimis, multum adauctum lustris novissimis? adeoque in ipsa Germania, quae, cum magna illa ingenia Italorum, Gallorum, Batavorum, Britannorum cessassent, inde a F. A. Wolfii tempore antiquitatis Graecae et Latinae curam incertum commodo maiore an honore suscepit, extiterunt homines plurimi cuiusvis ordinis, ceterum plerumque ad

iudicandum quam ad intellegendum aptiores, qui ad parandum vulgi plausum idem commendarent.

Nec tamen huius est loci de illa re pluribus disserere. accedit quod, ut alii multi, ita nos, cum alibi tum in libro, quo antiquitatis studia apud Batavos sumus persecuti, et in vita Ritschelii de eadem cum cura disputavimus.

Itaque hic satis erit dixisse, eam videri nobis iam condicionem temporis huius, ut si remota funditus foret ac sublata ex gymnasiorum usu lectio auctorum Graecorum et Latinorum, eadem nunc vel maxime resuscitanda esset et restituenda.

Etenim quod Niburius anno huius saeculi XXX professus est se timere, ne abiecto cultu per tot saecula parto in barbariem recideret genus humanum, id hodie multo magis est metuendum.

Namque constat inter omnes aliquanto acrius nunc accensas partium factionumque contentiones ad pristinum statum funditus evertendum in civitatibus quam ante annos LX multosque inveniri, qui non modo antiquitatis studia, sed quasvis artes ingenuas et doctrinam omnem velint velut noxam quandam et labem publicam de medio tolli. qui quod maximam partem ex infimo prodierunt ordine, eo ipso sunt validiores ad iudicia imperitorum corrumpenda.

Praeterea iuventus illa, quae liberali magis fruitur eruditione, nunc propter difficiliorem multo condicionem parandi adulta aetate victum ita exercetur rebus ad promovendam humanitatem et elegantiam excolendam parum fructuosis, ut vix in scholis, nedum relictis his in vita satis suppetat otii, quo possint dignoscere, quid in litteris et artibus sit pulchrum et decorum, quid turpe et damnosum.

Olim questum scimus Horatium, quod pueri Romani ea potius docerentur a magistris, quae ad rem parandam augendumque peculium pertinerent quam quibus exacui pos-

set ingeniorum subtilitas et elegantia. qui si ab inferis resurgeret, quid dicturus esset de multis nostrorum hominum scholis?

Ita informatis mentibus ac praeparatis quid mirum, quod relictis vulgo exemplis studiorum optimis multorumque saeculorum admiratione consecratis diversissimi iam honore et gratia florent auctores?

An, si rectiore staretur iudicio, Zola et Sudermannus plurimique, qui secuntur eos, tantum potuere assequi famae ac laudis? quid? theatra, quae olim plurimum contulerunt ad excolenda ingenia et exornanda, quibus iam solent perstrepere fabulis?

Tali igitur rerum statu qui Homerum ac Sophoclem Ciceronemque et Horatium expulerint ex gymnasiis, quid aliud facient quam ut barbariem illam, quam quasi proximo tempore ingruentem perhorruit Niburius, commendent et introducant?

Iam ad supplenda studia iuventutis, siquando proturbati essent classici veteres, alii rerum physicarum chimicarumque doctrinam, alii recentiorum linguarum censuerunt augendam.

Denique quidam medii aevi, quod dicitur, poetas, suae quemque gentis, quam maxime iam tractandos crediderunt, quorum lectione pariter et amore patriae et morum avitorum peritia reverentiaque imbui possent animi puerorum.

Quasi vero usquam aut clariora patriae amoris exempla extarent quam apud Graecos et Romanos aut luculentius celebrata quam in scriptis eorum, ac iuventus horum studiis imbuta umquam segnior extitisset ad labores et pericula pro patria subeunda.

Porro cum dicunt medii aevi auctores vel ideo tractandos, quod plurimum conferant ad cognoscendam indolem principalem ac naturam recentiorum gentium, ex parte tantum verum esse apparet. nec enim illi popularium suorum

statum antiquissimum et mores, ut ita dicam, archetypos referunt, sed plurimum immutatos, in melius quidem, verum alienos admodum a prisco habitu assumpto cultu christiano. nam temporis prioris monumenta extant vix ulla.

Verum non minus quam patriae amorem patriarumque antiquitatium curam in scholis fovendum constat studium illud, quod totum genus humanum velut fraterno vinculo iunctum complectitur. quo inflammatus Socrates dixit se esse mundanum. hoc igitur qua melius potest doceri lectione quam Graecorum Romanorumque veterum, qui in iuventute instituenda eam rem maxime spectabant, ut is fieret cultus ingeniorum, qui humanitatis nomine designatur. quem quidem voluerunt ita temperatum, ne pueri umquam originis obliviscerentur paternae morisque maiorum neve barbari fierent, sed ut scriptorum libris edocti undique adsciscerent ea, quae ad virtutem sive *καλοκἀγαθίαν* parandam maxime pertinere viderentur. nec enim eos fugiebat nullius gentis, ne praestantissimae quidem, eam esse indolem, quin multa bona etiam ab externis essent arcessenda.

A tali vero opinandi candore diversissimos fuisse medii aevi auctores quis ignorat?

Praeterea cum constet inter peritos ad exercenda ingenia plurimum facere peregrinarum linguarum studium et exercitium, nulla ex eis, quae vel medio aevo viguerunt vel usurpantur hodie, perinde ad eam rem aptast quam Latina ac secundo loco Graeca. nam ut illa normae firmitate et constantia, ita haec frequentia et varietate exceptionum pulchre informat pueros, ut et rationem certam agnoscant et viam non modo illarum, sed etiam aliarum, sive Romanicae fuerint sive Germanicae sive Slavicae, quae adfines sunt illis atque cognatae, et licentiae exceptionisque ad causas et origines intellegendas exacuantur.

Denique illud vix erit qui dubitet, classicorum auctorum

lectione multo magis et delectari devincirique et venustate atque elegantia imbui ingenia quam scriptorum medii aevi. quis enim, ut exemplo utar a Germanorum litteris petito, contendet serio vel Nibelungiadem et Gudruneam cum Iliade et Odyssea posse comparari vel Wolframi Eschembacensis Parcivalem cum Aeneide Vergilii vel Gualteri, qui ab avium pastu dictus est, lyrica cum Horatii? at fuere nostro saeculo, qui id contenderent. quae quidem res nihil aliud demonstrat nisi quantum sit provecta vel doctorum, qui sese volunt haberi, quorundam rusticitas et inscitia.

Itaque sic constat animo sententia, non quidem neglegendam lectionem in gymnasiis auctorum patriorum cuiuslibet temporis neque recentiorum linguarum omittendam curam, sed tamen principalem eruditionem puerorum liberaliter educandorum, ut olim, ita nunc consistere debere in Romanorum Graecorumque auctorum libris versandis, ex quibus multi usque ad hunc diem non sunt adaequati, nedum superati ab aliarum gentium scriptoribus, poetici vero ea constant arte, non ut possint satis bene transferri in linguas alienas. cuius tamen studii fructus non poterit percipi plene, nisi si imbuantur pueri peritia proba rei grammaticae metricaeque Latinae pariter et Graecae.

Quae cum ita sint, gratiam vel maximam debent Rossi Comiti Demetrio Andreae filio Tolstoio, qui inde a vere a. MDCCCLXVI per annos XIV institutionem temperavit publicam. scio huic viro multos inter Rossos extitisse adversos infensosque et illo tempore et post, ut omittam, sicut fieri amat, haud paucos eundem, quem florentem adulati erant, exutum loco insectatos. nec negarim eum interdum humana lapsum infirmitate. verum ne optrectatores quidem sunt infitiati certum firmumque fuisse in ratione et via, constantem in consiliis, fortem in rebus adversis, praeterea studiorum liberalium amantissimum.

Is igitur cum videret multa bona inesse in moribus Rossorum nec non eos litterarum artiumque ingenuarum cupidos, sed eodem teneri vitio, quod in Graecia vetere hoc versu notat Horatius:

quod cupide petiit, mature plena reliquit,

cumque intellegeret tantum abesse, ut antiquitatis studiis, quod arguerent obtrectatores, iuventus hebes fieret et vecors, ut potius illi populi maxime cultu et opibus floreret, apud quos illa antiquitus viguissent, amore ductus patriae eadem etiam in Rossia, ubi antea leviter erant attrectata, fundamantum solidioris accuratiorisque doctrinae fieri voluit, ac propositum optinuit.

Etenim quamvis refragante magna popularium parte et premente cum praeceptorum tum subsidiorum scholicorum inopia nec non rei pecuniariae penuria, quae tamen ipsius opera valdest imminuta, Romanorum veterum secutus exemplum, qui, siqua foris melius haberi quam domi vidissent, extrinsecus petita transferebant, intra paucos annos talem effecit institutionem publicam, ut, si persistatur via eius, non possit dubitari, quin eosdem habitura sit aliquando fructus, quos in relicua videmus Europa.

Et haec Tolstoii merita etiam Rossos agnituros speramus, siquando remotis partium studiis sine ira fiet iudicium.

Atque huic quod vivo detraxerat invida turba,
post obitum duplici foenere reddet Honos.

Itaque cum multa mihi Petropoli evenerint adversa et iniqua, hoc tamen nomine semper nobis videbimur felices, quod et ab hoc viro in Rossiam sumus arcessiti et, cum a. MDCCCLXXX commissum abdicaret munus, laudati publice iudicio eius.

Res ipsa monet, ut pauca de vitae nostrae casibus inde ab anno MDCCCLXI referamus, quamquam alias vix umquam eorum in scriptis nostris iniecimus mentionem. ex quibus qui

maxime memoria digni esse viderentur, a. MDCCCLXXXXII libello amicorum in usus edito sunt descripti.

Nimirum ea fuit libri de re metrica poetarum Latinorum sors eaque vis, ut et bona pleraque et mala, quae inde ab illo anno nobis optigerunt, ex hoc fonte fluxisse sint existimanda.

Etenim cum ille plausibus esset exceptus maximis in patria nostra et fama eius celeriter etiam ad aliarum gentium doctos perlata, non potuit fieri quin multorum simul excitaretur invidia. accedebat, quod, cum illo tempore inter antiquitatis studiosos in Germania Ritschelianorum et Lachmannianorum maxime vigerent sectae (nam Momseniani tum primum pullulabant), ego publice professus sum, quod omni deinceps tempore optinui, neque gratia neque auctoritate cuiusquam mortalium umquam me posse adduci, ut iudicium abdicarem proprium, quodque nonnullos, qui vel aliis vel sibi certe videbantur magni, non quidem iniuste, sed paulo acerbius arripueram.

Hinc orta invidiae odiique in nos tanta seges, quanta vix in alium quemquam doctorum. neque possum negare eam maxime in Germania provenisse. nam Germanorum doctos, si in moribus a summo deflectant, haud ita raro vergere ad imum non frustra opinantur multi. longum igitur est enarrare, quibus artibus quidam sint aggressi et studiorum nostrorum famam premere et nos ipsos calumniari. qui, ut fit, plerumque numero et virtute potiores metu terruerunt, ne coeptis talibus irent obviam.

Veluti, ut pauca memorem ex multis, Bonnae cum docerem litteras Latinas et Graecas, ibi invenimus professorem quendam, qui, cum confuso ingenio esset et conmoto, hoc tamen clare perspexit et acute, gravem admodum sibi nos fore et incommodum, si Bonnae maneremus. quod ne fieret dignis sese artibus perfecit.

Ac tamen hic probus potest videri et honestus, si cum isto comparetur, quem postea experti sumus. qui cum caelum et terram movisset, ne Petropolim evocaremur, ubi id frustra fuit, incautum mendaciis calumniisque, ut quarum longe esset peritior quam sermonis Latini, circumvenit omnibus partim ipse, partim per clientes et pedisequos suos, genus ex Germanorum Rossorumque vitiis mixtum, quod quidem habetur deterrimum. inter quos et discipulus quidam fuit noster, sed, ut olim Baehrensius Batavus, propter animum inhonestum alteroque praeceptore digniorem abdicatus.

Neque ego hoc memorassem, homines nauci silentio et contemptu praeterire fere solitus, nisi etiam id obiectum esset a nonnullis Tolstoio, quod nos arcessivit in Rossiam. qui quamquam inter ipsos Rossos ab honestissimo quoque sunt despecti, numquam tamen id ausi essent exprobrare, nisi malitia innixi forent quorundam, qui plurimum beneficiis debebant Tolstoii.

Nos tamen, ut consuevimus, his atque talibus non commoti, honorem doctrinae Germanicae, quam in antiquitatis studiis plurimi faciebat Tolstoius, auctoritate nostra, si aliqua inest in nobis auctoritas, tutabimur, quamdiu professoris munere fungemur Petropoli. quam quidem nunc commeatu impetrato relinquimus, ut tandem aliquando Romam, quam pridem votis ominibusque captabamus, praesentes usurpemus oculis.

Sed iam ut finem faciam praefationi, Ovidii utar verbis modice inversis.

Igitur sive favore tulit suam liber noster famam sive iure, tibi grates, candide lector, ago.

Quas ut referrem, nihil omissum a me, quo auctius meliusque tractaretur argumentum in editione nova et quae merito essent exprobrata priori vel tollerentur vel mutarentur.

Tu vero si vices reddere volueris pro tot laboribus, quos equidem non lucri studio ac ne laudis quidem cupiditate ductus suscepi, sed amore et reverentia poetarum Latinorum, quibus ego non modo delectationis plurimum debeo, sed praecepta vitae regendae ad casus sortis humanae aequabiliter ferendos utilissima, ita velim redhibeas, ut pro tua parte amorem auctorum veterum foveas commendesque utque hac opinione et ipse tenearis et imbuas alios, eundem, qui antiquitatis studiorum, finem fore et humanitatis.

Dab. Petropoli,
Kal. Iun. a. MDCCCLXXXXIV.

I.

PROHOEMIVM.

Anni MDCCCXLVI autumno cum receptus essem puer inter discipulos Gymnasii Ioachimici Berolinensis, paucorum spatio annorum partim doctrina praeceptorum praestantissimorum, inter quos primo loco mihi memorandi Augustus Meinekius et Mauricius Seyffertus, partim proprio studio effectumst, non mediocri ut tenerer amore scriptorum Latinorum. sed maxime ad poetas animo ferebar, quorum in metricam artem primum rudi experimento et crassiore Minerva me insinuabam, mox eandem propriis reddere conabar lusibus. auctus est hic amor, postquam ad Vniversitatem litterariam accessi Berolinensem, ubi oblata frequenter M. Hauptii et M. Hertzii in lectionibus Richardi Bentleii et Caroli Lachmanni memoria, qui viri inmortalem in modum de poetis Latinis sunt meriti, eo sum adductus ut in hisce tractandis collocare statuerem vitae meae velut tabernaculum.

Igitur cum aestate anni MDCCCLVI ordo philosophorum Berolinensium hanc proposuisset quaestionem, ut T. Lucretii Cari genus dicendi versuumque faciendorum ars exponerentur et cum poetarum et priorum et aequalium et eorum qui Augusti aetate fuerunt consuetudine compararentur, rem suscepi tractandam. ac materiam tum incohatam per plures persecutus annos totum me dedi metricae arti poetarum Latinorum perscrutandae, ut quae prius sensu quodam, quamquam non hebeti nec optuso, incerto tamen et obnoxio arbitriis perceperam, eorum iam causas et rationes introspicerem.

Itaque ut illa, quae viri docti de metrica Latina commentati erant, cum cura retractavi, ita longe studiosissime ipsos libros poeticos Romanorum nec vero semel singulos perlegi. dein quae aut priores invenerant aut ipse mihi repperisse videbar perscripta sunt hoc libro, qui primum prodiit a. MDCCCLXI.

Editione autem altera non magis quam olim scaenicorum antiquissimorum tractata sunt metra. etenim quamquam Ritschelii secuti exemplum plurimi inde a media huius saeculi parte usque ad hunc diem cum cura nec hercule sine fructu versati sunt in illis et iam fere constat de optimorum Plauti ac Terentii librorum traditione, tamen tam multa hodieque in arte eorum sunt obscura, e quibus haud pauca vereor ut umquam satis possint expediri, tam aliena pleraque ab Ennii eiusque sectatorum usu, denique tam diversa de locis multis doctorum iudicia, ut opus hoc etiam nunc existimarim isdem finibus continendum, quibus ante annos plus XXX erat discriptum.

Quod cum ita sit, hi solum illustrantur curis nostris poetae, qui secuti sunt novam metricae et prosodiae Latinae artem, quam hexametro dactylico introducto primus instituit Q. Ennius, et quidem inde a vetustissimo tempore usque ad defectum cultus ac doctrinae Romanae, hoc est usque ad sextum septimumque p. Chr. n. saeculum.

Sed auctorum, de quibus iam quaeritur, cum viderem duo esse genera, diversa illa et arte et doctrina, quamquam aliquanto minore quam putatur vulgo interse distantia intervallo, ego diu multumque meditatus, quonam aptissime eos nomine distinguerem, nihil inveni melius breviusque, quam ut alteri CLASSICORVM, alteri CHRISTIANORVM vocabulum inderem. nam nec temporibus satis disiunguntur, ut qui plurimum spatii, h. e. ab initio tertii p. Ch. n. saeculi usque ad finem quinti, simul optinuerint. Etenim quod pestilentia, qua M. Aurelio regnante totus orbis et maxime omnium Italia vexatast, mox insequentium

aetatium bellis civilibus et incursionibus barbarorum convulsum dixere imperium Romanum Gibbo et Niburius, incolis in barbariem lapsis cito artium flores ut perirent, id quamquam alioquin habet recte, non tamen perinde ad rem metricam scholasque poetarum pertinet.

Sed horum unum quemque utri parti velim adscribi ut intellegas, simul ne plus minusve expectes eo, quod praestare me posse spondeam, primum omnium in conspectum dabo eos, de quibus aequata fere cura exponetur. nam de ceteris ut quidque dignissimum cognitu subinde prometur.

Igitur classicorum de numero excerpti potissimum hi:

ex saeculo u. c. VI vel VII:

Ennius, Lucilius, Cicero, Lucretius, Varro, Laevius, Catullus;

ex octavo:

Vergilius cum suis, Horatius, Tibullus cum Lygdamo et Sulpicia et auctore panegyrici Messallae, Propertius, Ovidius cum suis, auctores Priapeorum, Grattius, Manilius, Germanicus, Columella, Calpurnius cum anonymo Einsiedelensi, auctor panegyrici Pisonis, Lucanus, Persius, Seneca, Petronius.

Claudii autem Neronisve temporibus etiam adscribendi videntur, qui scripsere consolationem ad Liviam, de Maecenatis obitu elegias, carmen de Aetna, denique Homerus Latinus, quem Italicum nomine fuisse nostra aetate inventumst.

Ex saeculo IX memoria digni:

Valerius, Statius, Silius, Martialis, Sulpicia, Iuvenalis.

Qui posteriore aetate classicorum accessere numero, hoc fere ordine collocandi:

Sammonicus, Septimius, Nemesianus, Symphosius, laudator Herculis, Palladius, Claudianus, Namatianus, Merobaudes.

Christianorum de magno numero quos maxime respicerem, inventi fere sunt illi:

Iuvencus, Porfyrius, Avienus, Ausonius, Prudentius, Avianus, Paulinus Nolanus, Sedulius, Martianus, Luxorius, Dracontius, a quo et Orestis tragoediam venisse

adsentior plerisque, Arator, Maximianus, Priscianus, Eugenius Toletanus.

Medium ferme dignitate locum tenent Terentianus ac Boethius, quippe in plerisque rebus classicorum secuti artem et tamen aliquando ab ea paullo longius recedentes.

Sed erunt fortasse qui mirentur, quod sustinuerim christianis inserere eos, quos partim non constet certo fuisse christianos, partim certo constet non fuisse. esse etiam in his colluvioni illi addictos religionum, quae passim per ultima imperii Romani tempora optinuit, qualemque Ausonius et Symmachus, mox Merobaudes et Sidonius Boethiusque probavere. verum, ut iam dixi, quas adhibui notas non posui, ut fidem poetarum illorum discernerem, sed ut artem. erat mihi quippe persuasum partem causarum, quibus adducti ab saeculo tertio auctores permulti normam ab antiqua satis diversam sunt secuti, repetendam esse inde, quod ab illo tempore magis magisque percrebuit religio christiana. sed de hoc infra dicetur. nunc duo ista genera poetarum quomodo differant ut explanem, de universa metricae antiquae ratione, qualis fuerit vetustissimis temporibus, qualis mox pristino statu inverso, mihi erit disserendum.

Antiquissimi Graecorum nulla dum extante eruditione grammatica qualicumque cum tamen naturae lege ad poeticam metrumque ferrentur, non alium sunt secuti in versibus pangendis ducem quam ingenitam indolem propriamque elegantiam. nec fefellit eos. nam his adiuti solis subsidiis ea sunt assecuti, quae, cum non possent doctrina aequari, nedum superari, et Romani et ceteri deinceps populi admirantes pariter atque invidentes omni tempore suspexerunt. neque erat, cur leges hexametri pentametrique, mox iambi et relicuorum versuum, quos Archilochus et Hipponax, dein Aeolenses et Dorenses divino invenere ingenio, a ludimagistris docendo exercendoque scholasticum in modum propagarentur. etenim illorum poetarum pleraque cum in scholis a pueris ediscerentur, cetera cantando publice recitandoque essent nota vulgo, facile eis, qui animo accenderentur ad poeticam, servabatur norma carminis, cum praesertim Graecos eadem felicitate retinere et exornare repertas versuum leges par esset, qua sunt usi in inveniendis isdem.

Verum postquam apud illos sophistarum increbuerunt studia, et magis, ubi magnis nationibus subactis tot in linguam cultumque Graecorum cessere gentes barbarae simulque in Graeciam ipsam confluxere undique alienigenae, haec omnia funditus iam immutata non est quod miremur, neque Phryges aut Paphlagones aut colluviem illam nationum, quam dixit Piso in Annalibus Taciti [II, 55] aequales sibi Athenienses, credibilest potuisse componere carmina Graeca non adiutos scholica eruditione, cum ipsum sermonem Graecum a grammaticis potius et magistris quam a parentibus haberent traditum. igitur ab Alexandri certe aetate hoc omnino optinuit, ut magistri, qui dictitarent pueris Homeri et Theognidis aliorumque carmina, simul et demonstrarent versuum regulas eis, quae ad manum erant, exemplis, repetendas quidem illas exercendasque discipulis. — huic rei firmandae haud sane desunt certa testimonia. veluti quod Heliodorus, priorem Traiano vixisse quem certo constat, scripsit enchiridium de metris, non minus id hercule puerorum usui fuit destinatum quam illa Dionysii Thracis capita, ubi de longis brevibusque et communibus agitur syllabis. sed fac nullam talium librorum ad nos pervenisse notitiam: non magis tamen res foret incerta. etenim ab Alexandri tempore poetae epici certe et didactici, quantumvis aetatis aut terrarum interse disiuncti spatio, cum in paucis rebus differant, scilicet eis, quibus pars exemplum antiquorum et iudicium magis suptile sequerentur, remittentibus aliis de severitate et suorum potius aequalium aures quam placita veterum spectantibus, tantam in plerisque habent legum atque adeo exceptionum aequalitatem — de quo eximia laude Godofredus Hermannus et Carolus Lehrsius exposuerunt —, ut, nisi de mystica quadam et miraculosa traditione cogitare malis, non possis non cogitare de scholastica. neque enim aut ab materiae similitudine solum hoc repetes (nam id ne facias obstat poetarum Latinorum in parili argumento diversitas), aut dices tam apertam tamque unicam fuisse viam, quam tenuerint vetustissimi, nemo ut posset cogitare de relinquenda ea nisi homo sanitatis omnis expers. quod contra inde a prima aetate informatos praeceptis severissimis magistrorum et aequabili quodam legum

metricarum concentu facile se accommodasse constantiae regularum non est mirum secundum illud Horatii '*quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu*', cum praesertim nullus omnium ab Apollonio usque ad Manethonem auctorum eo esset poetico spiritu aut ea altitudine ingenii, ut libera per vacuum potius ponere quam aliena premere valeret vestigia. adde quod illam, quam apud Romanos extitisse notumst, grammaticorum atque poetarum invicem iuvantium communionem etiam apud Graecos eorum, de quibus dicitur, temporum fuisse constat. iam invenies, qui sit factum, ut, sicut in ceteris partibus, ita in versuum arte elegantiam et aequalitatem et doctrinam pluris haberent illa, quae propriast principum poetarum, multiformi varietate facilique libertate. et est hoc omnino disciplinae scholicae, magis ut plerorumque hominum aequabilem mediocritatem respiciat quam summorum ingeniorum singularem praestantiam, quibus novae saepe viae recluduntur humanae sollertiae et quibus interdum, quae doctissimorum hominum suptilissima ratiocinatione et consensu unico fieri posse pernegatur, ea re ipsa ipsoque aspectu praesentia extare comprobatur.

Iam quaecumque sunt exposita, longe etiam magis ad Latinos pertinent poetas. itaque non intercedo equidem, quin saturnii versus, quibus olim diebus festis lusit iuventus Romana, pingui Minerva nullaque doctrina sint compositi eorumque peritia vatum modulis et puerorum cantilenis similiter propagata et continuata atque apud vetustissimos Graecorum Homeri metrorum et Archilochi.

At neque Livius Andronicus, qui primus, quantum constat, inter Latinos usus est metris e Graecia adscitis, nec qui eius secuti sunt vestigia potuerunt versus Graecorum aut percipere aut effingere sine scholica quadam eruditione et multo minus is, qui, ut ingenio fuit maximus, ita optime omnium, et qui praegressi sunt eum et qui subsecuti, meritus est de arte Latina, Q. dico Ennium. et vero traditur Livium Enniumque utraque lingua docuisse grammaticam aut interpretantes Graeca aut siquid ipsi Latine composuissent praelegentes. quin fuere, qui ad Ennium libros de litteris syllabisque, item de metris referrent. in qua re quamquam acquiescendum existimo eo, quod Suetonius cum Cotta id

negavit se habere recte, aliumque horum voluminum auctorem fuisse Ennium — qui enim iam licebit statuere certius, cum ne una quidem ex his libris supersit littera? — tamen per se diversa opinio haud quaquam abhorret a probabilitate aut incongruast eis, quae a Festo aliisque traduntur de poetae studiis grammaticis.

Mox Lucilii Acciique quantae fuerint in eadem re partes, nemini ignotum. hinc quantum ad versus eorum redundarit commodi, ne nunc quidem pridem deperditis ipsorum carminibus perspici non licet.

Iam in scholis, quas inde a medio IV a. Chr. n. saeculo apud Romanos fuisse probabilest, non ullam metrorum enarrationem fuisse non est quod miremur. quod contra plus quam verisimilest illud, quantitates certe syllabarum et veras pronuntiandi rationes in eis tradi solitas pueris. nam hoc nisi factum esset, qui potuerit usque ad Livii tempora syllabarum et ad radices verborum et ad flexiones pertinentium ea, quam videmus, manere integritas, haud facile quisquam explicarit. nisi forte cum dicit Pompeius [p. 422 Lindem.] suo tempore plerumque male pronuntiando aut breves syllabas longo tractu sonare aut longas breviore sono, statuemus huic vitio non fuisse obnoxios veteres Latinos et fugisse omnino quod cultissima Domitiani aetate factum, qua plerosque verborum extremas syllabas non pertulisse, priorum dum sono indulgerent, auctor est Quintilianus [XI, 3, 33].

Sed scholicam illam puerorum eruditionem, quam probabilest post Aelii Stilonis tempora magis magisque, ut asserit Suetonius, gratia curaque artis increscente usque ad sextum septimumque p. Chr. n. perdurasse saeculum, sic describit Seneca Epistularum l. XIII [88, 3], ut dicat esse grammatici syllabarum enarrationem et verborum diligentiam et fabularum memoriam et versuum legem ac modificationem. cui sunt simillima, quae scribit Quintilianus l. I [8, 13] de re eadem '*in praelegendo grammaticus et illa quidem minora praestare debebit, ut partes orationis reddi sibi soluto versu desideret et pedum proprietates, quae adeo* (i. e. *vel ideo*) *debent esse notae in carminibus, ut etiam in oratoria compositione designentur.*' hanc autem ut ceteras eruditionis partes

non ad abiectae fortunae pueros, sed ad beatos et liberaliter educandos pertinuisse cum per se probabilest tum certum fit eis, quibus in nubibus Aristophaneis [639—654] illuditur Strepsiadae, et magis Ciceronis testimonio quodam [orat. 51, 173], cuius verba sunt haec: '*in versu quidem theatra tota exclamant, si fuit una syllaba aut brevior aut longior. nec vero multitudo pedes novit nec ullos numeros tenet nec illud, quod offendit, aut cur aut in quo offendat intellegit, et tamen omnium longitudinum et brevitatum in sonis sicut acutarum graviumque vocum iudicium ipsa natura in auribus nostris collocavit*'.

Et istis quidem omnes pueri ingenui instruebantur rudimentis metricae, quod quomodo factum sit illa, quae ad nos pervenerunt, enchiridia satis demonstrant, ut tamen sit credibile, saeculi a. u. c. septimi octavique et noni magistros aliquanto minus fuisse taedii plenos ac morositatis quam eos quorum iam extant libri. sufficiebat autem haec doctrina eis, qui alieni a poetica et diversis intenti curis animi causa et ad oblectandum otium aliquando pangerent carmina, quos plurimos ex quolibet ordine fuisse apud Romanos comperimus. verum illis, qui totos se tradebant Musis, non licuit subsistere in eruditione προπαιδευτικῇ, sed maiorem in dies peritiam artis et doctrinam sibi quaerere eosdem verum erat.

Atque haec fuit causa, cur a tam multis cum poeticae studio studium iungeretur grammaticae, curque qui versus pangerent tam saepe grammaticorum uterentur contubernio.

Sed plurimum ad eam rem contulerunt collegia sive scholae poetarum. quas quidem nec a Graecis alienas fuisse sat constat et apud Romanos iam Livii tempore institutas firmatur Festi loco notissimo [pg. 333], ubi traditur sub finem belli punici secundi Livii Andronici gratia effectum, ut publice adtribueretur poetis, quos tum scribas appellabant, histrionibusque Minervae in aede Aventina locus, ubi liceret eis consistere ac dona ponere. de quo plura dicta in vita Ennii pg. 30 sqq. porro a Valerio Maximo III, 7 [11] refertur Accii tempore fuisse Romae collegium poetarum. item scholam eorum memorat Martialis III, 20, 8; IV, 61, 3. neque potest dubitari, quin a Caesarum aetate in multis

fuerint urbibus coetus tales, invalescente in dies cultu Romano. quos ad finem imperii permansisse probabilest. fuere autem similes artificum collegiis, qualia etiam nunc extant multa. nam conveniebant addicti poeticae certis diebus de rebus suis consulturi ac simul, siquid vel composuissent vel componere aggrederentur, recitando communicandoque iudicium consortium experturi ac versus siqui essent duriores expolituri. ita et ei, cui bene res cessisset gloriae abunde erat partum (nam huius nomen mox sermonibus differebatur per totam urbem) et siquis carmen aversis Musis prompsisset aliquantum detrahebatur pudoris.

Ac primum quidem non interfuere his collegiis nisi peregrini, a quibus initio poeticam Romae factitatam notum. sed inde ab Accii temporibus etiam Romani vel nobilissimi, quicumque teneretur versuum concinnandorum studio.

Multum etiam contulit ad metricam artem promovendam mos iam a Livio Ennioque institutus scripta recitandi hominibus liberaliter institutis condicionis qualiscumque. qui deinde a grammaticis cupide exceptus [cf. Suet. de gramm. 2; 11; 16] Augusti aetate per Asinium Pollionem ita invaluit, vix quisquam ut iam auderet emittere nisi quod advocatae auditorum coronae probasset. et superstitem fuisse eum ruinis Romae ac mansisse usque ad saec. VI declaratur Venantii Fortunati testimonio, qui ita ait in carminibus [III, 18, 7]:

> vix modo tam nitido pomposa poemata cultu
> audit Traiano Roma verenda foro.
> quid si tale decus recitasses in aure senatus? —
> per loca, per populos, per compita cuncta videres
> currere versiculos plebe favente tuos.

Non ignoro quidem consuetudinem illam Caesarum tempore usque ad ineptias et deridiculum progressam. attamen eadem multa tulit bona, cum et poetae hominum cultissimorum frequentia incitarentur ad versus quam accuratissime perpoliendos et in auditoribus elegantia acueretur iudicii.

Sed paulo pluribus mihi video adumbrandum studium illud grammaticae, quod in poetis Latinis fuisse supra memoravi, poetarumque et grammaticorum convictum. qui

qualis a Laevii Catullique et Cinnae fuerit tempore paucis demonstrabo.

Igitur de Valerio Catone, quem tradit Suetonius visum peridoneum auctorem ad poeticam tendentibus, hi versus ferebantur:

> Cato grammaticus Latina Siren,
> qui solus legit ac facit poetas.

Non minus nota res de Q. Caecilio, qui primus Vergilium et alios poetas novos ex tempore coepit praelegere, ut apparet Marsi versiculo:

> Epirota tenellorum nutricula vatum.

Itaque cum Catone Cinnae ac Ticidae et Bibaculo, Vergilio cum Parthenio et Hygino intercessit familiaritas, sicut postea Silio cum Cornuto. quodsi de insequentibus saeculis minus constat, haudquaquam sequitur aliam atque antea optinuisse consuetudinem.

Igitur quamquam inde a Ciceronis aetate magis iam aliquanto disiunctae fuerunt poetica et grammatica, non tamen umquam defuerunt, qui utramque exercerent simul, mobilitate ducti ingenii et prout ducebat animus obsequentes — an credebant, quod minime absurdum, quo quis accuratiore et regularum metricarum et dicendi legum poteretur cognitione, eo facilius posse quantumvis remotas aut latentes patrii sermonis elicere elegantias? quale sane haud minimum decus est poetae boni. nota res est de Varrone et Catone. mox eadem studiorum varietate et Valgius et Messalla et Asinius cum Melisso et Palaemone excelluere nec aliter ultimo imperii tempore Ausonius et Priscianus et Corippus.

Et hercule poetae cum classici tum christiani, ubicumque artis suae iniciunt mentionem, eam a magistris acceptam et scholicis legibus circumscriptam autumant nec licere ob regulae firmitatem certum pro singulis metris syllabarum temporumve excedi numerum. quod si tamen admittatur, non licentiae fore id, sed vitii. hinc egregius quisque versuum artifex ea afficitur laude, ut dicatur legum carminis gnarus, qui secus fecerit, rudis artis aut doctrinae expers vocitatur. exempla huic rei firmandae apposui.

Velut Horatius in lyricis haec habet [IV, 6, 29]:

> spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem
> carminis nomenque dedit poetae.

idem in epistula ad Pisones [259]:

Enni
in scaenam missos cum magno pondere versus
aut operae celeris nimium curaque carentis
aut ignoratae premit artis crimine turpi.

et infra [382]:

qui nescit versus tamen audet fingere?

sic Ovidius in epistulis ex Ponto [IV, 12, 5]:

lex pedis officio fortunaque nominis obstat,
quaque meos adeas est via nulla modos.

Martialis in epigrammatis [IX, 11, 10]:

nomen nobile molle delicatum
versu dicere non rudi volebam.
sed tu syllaba contumax repugnas.

porro ita Terentianus [2402]:

paenultimam sed pro brevi trahit longam,
novitate ductus non ut inscius legis.

idem alibi [1368]:

tertium detrecto nomen. lege nam metri vetor.

Namatianus [I, 419]:

optarem verum complecti carmine nomen.
sed quosdam refugit regula dura pedes.

nec aliter de eadem re Prudentius [peri steph. 4, 161]:

quattuor posthinc superest virorum
nomen extolli renuente metro,
quos Saturninos memorat vocatos
prisca vetustas.
carminis leges amor aureorum
nominum parvi facit.

ita Victor praefatione Alethias [119]:

quodsi lege metri quicquam peccaverit ordo,
peccarit sermo inproprius sensusque vacillans,
inculto (incauto *v.*) passim liceat decurrere versu,
nec fidei hinc ullum subeat mensura periclum.

et Corippus in praefatione Iohannidos [33]:

quos doctrina negat, confert victoria versus.

idem paullo supra [27 sq.]:

forsitan et fracto ponetur syllaba versu.
confiteor. Musast rustica namque mea.

Atque hinc est, quod saepissime vel ipsis poetis vel numeris eorum additam legimus cultus doctrinaeque laudem, quae non alio potius quam ad illam, de qua dixi, versus legum peritiam pertinet.

Iam haec eruditio scholica quantum valuerit ad artem poetarum metricam et grammaticam sive constituendam sive immutandam, facile poterit intellegi. hac enim primum effectast aequalitas illa observantiae, quam et appetisse omnes videmus pubescente arte et tueri eadem corroborata. — apparet autem quam bene concinnitatis studium et limae diligentia convenerit ingeniis Romanis, quoniam eos ut in publica re, ita in metrica plus severitate institutorum et aequata inter omnes industria quam unius aut alterius hominis singulari praestantia et eximia indole optinere verum erat.

Sed non minus hercule quam ad stabiliendam valuit ad invertendam artem metrorum et dictionum grammaticorum auctoritas. ac primum quidem certissimumst illud, eis ipsis studiis, quae ab Hadriani Caesaris tempore plurimum apud illos viguerunt, nimirum restaurata vetustissimorum memoria, quae ante annos CL in ludibrium verterat et contemptum, effectam poeticae artis immutationem, qua plerosque iam in metris Laevii et Varronis multiformem numerositatem, in dictionibus aut hos eosdem aut multo etiam vetustiores secutos esse libris primo et septimo demonstrabitur. nec minus ex scholasticorum placitis ortum plurimum differentiae eius, qua classici a christianis seiunguntur poetis.

Verum quod in priore editione contendi duo fuisse apud Alexandrinos et Romanos genera metricorum, alterum longe prudentius et praestantius, cuius curae praeter fragmenta paucissima perierint, alterum depravatum ac deterius multo, sed cuius libri propter aequabilem quandam facilitatem et mediocritatem tempus tulerint, non iam puto esse verum. nam persuasum habeo totam antiquitatem isdem fere praeceptis versuum pangendorum usam, quae hodieque extant, idemque offuisse doctis tum temporis in metrica recte aestimanda quod in grammatica, hoc est imperitiam aliarum eiusdem familiae praeter Graecam et Latinam linguarum.

Immo omnia rei metricae summaria, quantumvis sint diversa aetate, cum multo plura habeant mala et inepta quam bona et proba, primum vivida lingua Graeca ac Latina et florentibus studiis poetarum optimorum ideoque confirmatis iudiciis auctores classicos (nam christiani multum

flexere ad deteriora) sua pariter indole et collegiorum poeticorum adiumento, mox in barbariem vertente genere humano exemplarium antiquiorum imitatione eo pervenisse existimo, ut tanta, quantam in scriptis eorum videmus, rei metricae uterentur et libertate et elegantia. cuius rei unum ponam exemplum.

Saepissime a metricis vetustis epiploces memoratur ludibrium, quo admisso metra longe plurima a certis quibusdam formis, maxime nobilissimorum versuum, h. e. hexametri dactylici et trimetri iambici, deduxerunt. huius doctrinae primus ex grammaticis, de quibus iam constat, auctor extitit Varro in libris de sermone Latino. a cuius indole ad geometriam arithmeticamque proniore quamquam non abhorret tam curiosum inventum, tamen id ab Alexandrinis petitum omnes habet numeros probabilitatis. Varronem secutus saec. p. Chr. primo Caesius Bassus, hunc deinceps posteri plerique.

Iam ad opinionem talem stabiliendam quot quantisque argutiis ineptiisque in singulis explicandis metris opus fuerit nemo non videt. ac tamen poetae classici his vel similibus vix umquam decepti sunt praestigiis, sed summa cum elegantia et integritate suos quisque adornavere versus. adeoque aetate ultima qui fuere, Claudianus et Namatianus, cum solidae in grammatica Latina doctrinae vix ullus iam esset locus, quid habent quod ab optimis auctoribus sit alienum? quid quod Boethius everso iam imperio Romano et barbaris optinentibus Italiam pleraque tam curiose temperavit in re metrica (modo dimetros anapaesticos et alia paucissima exceperis), ut versus eius non minus Neronis quam Theodorici temporibus possis assignare? sed de his infra pluribus dicetur. nunc autem ad inceptum redeo.

Praeter epiploces artificium maxime memoranda propter perversitatem quae de ambiguis sive, ut solent vocare, communibus syllabis protulere grammatici Latini. nam novem fere modis effici statuerunt, eadem ut vocalis et produci posset et corripi, quos iam, sicut ipsi memorant, hoc loco promam.

Primus est, si post brevem syllabam in eadem dictione secuntur *i* vel *u*, quae si in consonam abeunt, producitur illa, veluti '*parietibus textum caecis iter*' aut '*genua labant*'.

Alter, si longa vocali aut diphthongo clauditur vox insequente statim vocali. est enim producta in hoc '*ulla moram fecere neque Aonie Aganippe*', brevis in hoc '*insulae Ionio in magno*'.

Tertius, si brevis vocalis excipitur a muta vel *f* addita liquida, qualia sunt haec '*infandi Cyclopes*' et '*vastosque ab rupe Cyclopas*'.

Quartus, si brevis posita in fine excipitur a duplici consona *z* vel *x*. nam corripitur hoc versu '*pontibus instratis coniunxit litora Xerxes*', alibi fit longa sic '*Drymoque Xanthoque Thaliaque Cymodoceque*'.

Quintus, si secuntur itidem brevem initio vocis proximae binae consonae, quarum prior sit *s*, quae plerumque liquescit, ut in his '*ponite. spes sibi quisque*'. sed potest manere producta brevi, qualest illud '*unde scissa coma*'.

Sextus, si post finalem correptam, quae in consonam exeat, sequitur *h*. nam extenditur illa in hoc '*terga fatigamus hasta*' vel '*Aeneam hominum quisquam*' [Diom. 425], sed item breviatur ut '*ibat ovans divumque sibi poscebat honorem*'.

Septimus, si in fine orationis ponitur brevis vocalis cum consona, quia adiuvante arsi potest produci, nempe ita '*emicat Euryalus et munere victor amici*'.

Octavus, si in fine sit nuda vocalis et proximo verbo adhaereat consona. quippe et sic adiuvante ictu prior potest intendi velut in hoc '*liminaque laurusque dei*'.

Nonus, si pronomen *hic* vel *hoc* ponitur ante vocalem. ita enim habes '*hic vir, hic est*' et aliter '*hoc erat, alma parens*'.

Non indignum memoria, quae apposui exempla e Vergilio petita praeter ea, quae suppeditant licentiam ab eo alienam: *pontibus instratis coniunxit litora Xerxes* et *unde scissa coma.* variantur autem illa identidem, sed ita ut paene omnia ex eodem ducta sint poeta.

Iam haec doctrina quantumvis futtilis et absurda (pauciora ac prudentiora Graeci in re simili), quam omissis paucissimis vel immutatis, alioqui non rebus magis quam exemplis mirificum in modum consentientes probarunt, ut Bedam omittam cum Alcuino [pg. 2352; 2085], Charisius [3—5], Cledonius [1883 sq.], Diomedes [423—425], Donatus

[1738], Martianus [III, 278], Pompeius [44 sq.], Probus [1431—1433], Sergius [1830 sq.], Victorinus [2471—2475]. denique incertus auctor libelli de finalibus syllabarum [1801 sq.], ex parte etiam Terentianus, quantum turbarum commorit poetis christianis, vix satis plene poterit declarari. nam ad classicos nihil pertinet ex ea nisi quaedam de modo tertio, cuius solam recte habere legem voluerunt sine dubio illi, quos dicit Diomedes [425] metrorum rationis admodum perspicaces unum tantum ex omnibus, quos attulerit ipse, syllabarum communium modis admittere. neque christiani tam optuso fuere ingenio, ut haec quasi ex Phoebi tripode accepta unanimo venerarentur consensu, licet partem observantiarum istarum etiam intendisse eos satis constet. nam nec alia desunt, ubi idem non sine magno elegantiae damno ineptis potius doctorum qualiumcumque ratiocinationibus quam proprio obsequi maluerint iudicio. neque vero quisquam auctorum, quos christianorum nomine amplector, ignoravit prorsus quam de communibus syllabis proposuere isti doctrinam. ceterum est, ubi illi plenioribus quam quae ad nos pervenerunt usi sint enchiridiis, siquidem haud paucas firmissime observarunt regulas, quarum in eis, qui iam extant, libris aut nulla aut perexigua apparent vestigia. sed de his suo loco monebitur.

Atque curatius rem perquirenti non poterit esse dubium aut quomodo sint orta praecepta ista egregia vel potius egregiissima aut quibus in scholis et quo tempore. nimirum omnis erroris summa inde fluxit, quod magistri illi, quae poetae classici rara et eximia admisissent, ea quasi usitatissima nec ulli cautioni obnoxia posuerunt, plerumque ne causis quidem illarum exceptionum probe perspectis.

Constat autem non esse inventam doctrinam istam prius quam Vergilii et Horatii libri in scholarum omnino cessissent usum, id quod evenit c. annum u. c. DCCCL. inde latius serpsit ea, et adsumpta plerorumque aliorum versuum descriptione atque Graecorum summariis quibusdam, ut Heliodori, compilatis tandem eum fere, quem videmus, habitum nacta a tertio saeculo magis magisque optinuit.

Iam quae de epiploca proponuntur a metricis e Caesio Basso et per hunc e Varrone videri fluxisse supra memo-

ravi. et firmatur res fragmento de metris quod legitur gramm. lat. VI, 255 sqq. — quae de communibus syllabis solent referri et alia quaedam perversitate simillima, ex eodem tracta haud temere affirmaverim. nam si idem fuit cum lyrico, quem magna laude effert [X, 1, 96] Quintilianus (et uterque Neroni fuit aequalis), non potuit talia commendare, quae a poetarum sui temporis usu adeoque a propriis carminibus tanto opere videret abhorrere. itaque huic tertium tantum genus communium syllabarum probatum existimo.

Igitur ex alio fonte pleraque derivata existimo a scriptoribus rei metricae, qui extant, sed ex uno fere eodemque, a quo fortasse etiam quae de epiploce memorant ad Caesium Bassum referenda sumpsere. quem quidem non aberrabit a vero qui fini s. p. Chr. n. I vel II initiis adscripserit. nam ut omittam pleraque eorum, cum in paucis ac minutis rebus differant, in summa tam esse interse similia, non ut ovum magis ovo, hoc potissimum evincitur illud argumento, quod in isdem praeceptis commonstrandis eadem ad taedium usque ingeruntur auctorum exempla, etiam ubi facillima opera eundem in usum liceret mille alia surrogari. quid enim? num casu venisse credemus, quod pariter idem pro exemplo caesurae, si dis placet, trochaicae ponunt versum hunc '*infandum regina iubes renovare dolorem*', quodque certatim pro exemplo iambi afferunt Catullianum '*phaselus ille quem videtis hospites*', aut quod non minore ferunt frequentia ex Lucretio '*infantibus parvis*', aliquando liquescere ut probent sibilantem. possum plurima addere, nisi sit verendum, ne diffidere videar eorum, qui legerint illorum libros, iudicio.

Sed quod dixi doctrinam rei metricae, quam videmus, inde a III saeculo vulgo receptam, id iam certo comprobabo exemplo. etenim Terentianus Maurus, quem satis constat vixisse circa finem saeculi tertii, cum nonnullos ceterorum errores evitet, tamen in multis rebus mirum in modum cum isdem consentit, nec ullo modost dubium, quin hic ex isdem, unde pariter omnes isti, fontibus hauserit. — quodsi iam per tertium saeculum vigere videmus hanc doctrinam, satis multo ante necessest eam extitisse. neque enim nova, ubi provenere, statim optinent, sed paullatim et cum labore fere quantumvis praestantia ad claritatem enituntur, nedum

illa omni deformia absurditate ilico usurparentur communi usu. nec vero hoc ambigetur, iam ante tertium quartumque saeculum et Romae et magis in provinciis extitisse poetas, qui isdem fere, quibus postea christiani, applicarent sese regulis. quorum quidem quod tenuia iam extant vestigia minime mirumst. etenim cum tot clarissimi vates, urbanitate et doctrina florentissimi et qui aeternam merito scriptis ipsorum gloriam sperarent, vix nominum suorum reliquerint notitiam, num auctores plebeii et semidocti plus quam praesentis temporis desideriis et familiarium circulis satisfacerent?

Nam et ante Alexandri Severi aetatem, qui notescere vellent libris Latinis alienigenae, eos primum omnium doctrinam Graecanicam et propriam Romae urbis elegantiam lectione plurima assequi necesse erat — unde Varro Atacinus annum aetatis agens XXXV cum summa diligentia Graecas litteras perdidicit —: alioquin urbanorum hominum risu et celeri obruebantur oblivio.

Verum ubi orbis in barbariemst relapsus, nec Romae mansit sedes imperii, iam non in artis peritia magis quam in iure civili provincialium et Italicorum differentiam optinere verum erat. e quibus hi plurimum pristini decoris perdiderant cum alias ob causas tum quod pridem erat facta eorum terra advenarum nihil Romanae indolis habentium conciliabulum. contra illi quae natura negaverat usu et studio, in quantum potuit fieri, sibi paraverant. ita communi omnium mediocritate sive imbecillitate torpere genus Latinum. unde digitis saepius quam auribus digessere numeros scholicisque pleraque legibus administrarunt.

Tali vero iam facto rerum statu quod facile occupavit scholas disciplina metrorum, quam secuti sunt plerique poetarum saeculi quarti et insequentium, quis erit qui miretur? quos cur christianorum nomine significarim iam exponam suptilius. nimirum homines christiani etsi haud sane sunt aspernati eruditionem, tamen et minoris eam fecere quam veteres et uni optemperavere ferme placito, alienissimo a classicis, posse aliquando prae rerum magnitudine loquendi artem et legem carminis contemni. quod apud neotericos magis magisque non sine maximo damno poeticae

optinuit. veluti Prudentius de nominibus propriis perperam insertis versui haec habet [perist. 4, 165]:

carminis leges amor aureorum
nominum parvi facit et loquendi
cura de sanctis vitiosa non est
nec rudis umquam;

quam diversus ille et ab Horatio, cuius sunt talia [s. I, 5, 87]:

mansuri oppidulo, quod versu dicere non est,

et ab Lucilio, qui sic ait de sigillaribus [VI, 25]:

servorumst festu' dies hic,
quem plane hexametro versu non dicere possis.

Nec vero substitit illa licentia in nominibus propriis. nam ita Claudius Victor l. supra memorato de re eadem [praefat. alethias 119 sqq.]:

quodsi lege metri quicquam peccaverit ordo,
peccarit sermo inproprius sensusque vacillans,
inculto passim liceat decurrere versu
nec fidei hinc ullum subeat mensura periclum.

et Corippus [praef. iohann. 27 sq.]:

forsitan et fracto ponetur syllaba versu.
confiteor. Musast rustica namque mea.

et infra [33]:

quos doctrina negat, confert victoria versus.

Nec non similes ad taedium usque excusationes repetierunt medii aevi poetae.

Hoc autem quin iam antiquissimo tempore et viderint magistri et probarint, non est dubium. quippe ita refert Beda de versu quodam malo auctoris christiani [2374] '*poeta, ut gloriam sanctae et individuae trinitatis clara voce decantaret, neglexit regulam grammaticae dispositionis*'. item alibi idem [2375] '*ut veritatem dominici sermonis apertius commendaret, postposuit ordinem disciplinae saecularis*'.

Iam hanc inelegantiam, cum propria sit christianorum, serpsisse latius certis comprobatur alienorum poetarum exemplis. itaque quo magis invaluit fides christiana, eo eruditionis laudem et peritiam artis imminui necesse erat. quamquam etiam aliis causis corruptam esse metricam Latinam quis adeo erit iniquus ut dubitet? maior tamen culpa christianorum, quoniam hi pleraque admisere scientes, quae per neglegentiam ceteri.

Porro cum classici auctores praeter collegia, quae supra memoravi, poetarum plurimum etiam iuvarentur ea re, quod adsidue versarentur in circulis hominum cultissimorum elegantissimorumque, licuit eis vel propter hanc rem saepe obiectas a grammaticis tenebras ingenii lumine et propria arte discutere. contra christiani atque horum similes placitis aut plebeiae plerumque sortis homines aut alienis addicti negotiis, non exculto pulchri sensu, non magna patrii sermonis proprietatum peritia, prout solent ingenia aut non satis aut sero erudita, nihil antiquius duxere, quam ut legibus, qualescumque essent, magistrorum prorsus se accommodarent, nec illud quaerentes, quam essent verae, nec magis quam essent aptae linguae Latinae.

Veluti cum plerique eorum talem observarint regulam, ut *h* littera promiscue pro vocali seu consona uterentur, non recte credes inde hoc repetendum, quasi posterioribus saeculis fortius aliquid sonuerit illa quam Gellii tempore aut Quintiliani, quod et grammaticorum testimoniis et Romanicarum linguarum refellitur exemplo. sed secuti sunt metricorum praeceptum, quod scilicet illi elicuere ut pleraque ex Vergilii versibus quibusdam male intellectis, maxime eo, quem certatim attulere pro testimonio [aen. IX, 609] '*terga fatigamus hasta, nec tarda senectus*'. — itaque non doctrina magis quam iudicio praestitere classici.

Atque haec equidem pro fide ita ut feci exponenda esse censui, quod videbam minus fere attendi a doctis, quantae fuerint disciplinae scholicae partes in constituenda sive immutanda poetarum Latinorum arte, cum mihi esset persuasum hinc multa posse explicari, quae aliter erunt obscura. neque tamen speravi haec ita quemquam esse interpretaturum, quasi ego crederem auctores illos carmina sua sub ferula scuticaque grammaticorum composuisse, aut horum solum opera provenisse divinam illam elegantiam et concinnitatem, qua plurimum superaverunt Graecos Romani. de qua re etiam quaedam dicta a nobis l. I, ubi de Horatii agitur studiis metricis. quid quod ipsos grammaticos in versibus, quos pangebant, constat non semper attendisse ad regulas, quas enchiridiis suis proposuissent? quarest effectum, ut

multa vitarent perversa, quae ipsorum niterentur doctrina, interdum sane et bona neglegerent.

Sed ut redeam in viam, etiam illud boni versificatoris est, vel scholicas et nimiae severitatis regulas sic percipere animo, ut eis quasi propriis et ipsius arbitrio constitutis utatur. adde quod poetas navos haud pauca sola lectione et diutino usu optinere verum erat. quod ut probem, liceat mihi exemplum addere propriis de studiis petitum, quod tamen non iactantia refero, sed quia facit ad rem. cum in iuventute plurimum temporis pangendis versibus Latinis impenderem, plerosque quidem haud magnum post intervallum emendaturis ipse dedi ignibus. accidit tamen, ut paulo plus DC servarentur, quos longum post temporis spatium cum revolverem, cito animadverti leges, quas postea aut ab aliis inventas cognoveram aut reppereram ipse, me illo servasse satis constanter tempore, quo omnium earum ignarus et sola lectione imbutus primum Ovidii, dein Horatii, sed omnium maxime Vergilii unum aurium eram secutus iudicium. nulla enim, ut pauca afferam, elisio fuit iambicorum sequente syllaba brevi vel acuta, nulla vocalium longarum post quartam thesin aut qualiscumque in versus initio, caesurae trochaicae usus permodicus. erant etiam duriora, sed quae recordarer dubitantem me ac paene invitum utque pedibus satisfieret admisisse. quodsi vel hac aetate tirones et qui sero accedunt ad cognoscendam, nedum exercendam artem eo usque licet percipere leges carminis, quonam elegantiae putabimus pervenisse illos, qui a prima iuventa proprietate sermonis versusque Latini essent imbuti?

Tamen cum ea, quam initio libri significavi, admiratione tenerer artis Latinae, ad iustos fines laudes eius redigere veritatis studio avebat animus. nam et sic abundat virtutibus. — sed de poetarum placitis ubi exponamus, iam satis erit loci paratum. diversas autem has duas, de quibus exposui, rationes acri qui respexerit cura, nisi prorsus pectore carebit, non saepe nec multum poterit rectam viam declinare. utemur earum utraque promiscue.

Iam cum eam usquequaque viam teneam in perscrutandis auctoribus, ut prius ipsos libros horum quam quae alii de eis sunt commentati legam, de eo disserere me oportet,

quam integros, quibus subsidiis criticis immunitos, quanta cura habitos illorum plerosque invenerim.

Equidem si in omnibus Latinis carminibus quid antiquitus traditum esset, quid neglegentia vel audacia librariorum et criticorum invectum, tam certo mihi constaret, quam in Lucretii Catullique et Grattii ac Iuvenalis libris aut quibusdam aliis, nihil fere negotii erat paratum nisi ut quae recte habere viderentur ab arte, ubi opus esset, enarrarem, quae sua elegantia carerent, aut aliorum aut propriis iuvarem coniecturis. sed hercule non tam faciles tamque opportunae evenere res. nam neque ex classicis poetis in tanta editionum copia quo par erat studio sunt tractati omnes et christianorum recensiones haud paucae non mediocribus, nedum amplis satisfaciunt desideriis. sed plus etiam tenebrarum primis dactylicorum progressibus erat obiectum, cum propter eum, quo habiti sunt a doctis, contemptum, tum propter alias causas sat apertas. non enim in aliam litterarum Latinarum partem crudelius fortuna saeviit. scilicet quam facile dimidia Plauti et Terentii parte careremus, si binos Ennii Luciliique ac Varronis libros habere liceret integros. quid si Laevii polymetros? sed quoniam aliter fortunae visum, nos quasi e naufragio eiectos aut vexatos incendio eo magis curare addecet, ne audacia ac levitate haec ipsa, quae aetatem tulerunt, intuta atque infesta reddamus, ea scilicet enucleaturi, quae evolvere iam nemo possit, aut illis affusuri lucem, quae iniuria temporum perpetuam traxere caliginem.

Itaque iam ut appareat, quo me modo gesserim in libris, quorum aut paucitate fragmentorum aut grammaticorum incuria ars esset obscura, de nonnullorum, qualem ego deprendi, statu mihi erit disserendum. simul et de tempore quorundam carminum, cum non convenerit inter doctos, rationibus potissimum metricis adductus quid statuam, breviter declarabo.

Sed de Ennii Luciliique et Varronis librorum reliquiis male habitis cum multa prompsissem in editione priore, gravissime nec tamen immerito incusata Gerlachii Vahlenique et Kochii ac Roeperi incuria, nunc ne iterum agam otium faciunt Ennii ac Lucilii Noniique recensiones, quibus et

nostrae rationes sunt patefactae nec non de priorum studiis expositum plenissime. igitur ne Emendationum quidem Nonianarum libellum iterum sustinui inserere operi, parcendum ratus chartae, cum praesertim tam multa nova essent addenda.

Itaque ut ad Augusti statim descendamus aetatem, Vergilio quod a me adiuncta sunt ferme quae sub nomine eius feruntur opuscula, hac feci causa. praeter carmina, quibus immortalitatem nominis est adeptus, olim extitit anthologia opusculorum partim ab ipso fere adulescente compositorum, partim a diversis auctoribus, sed aetatis Augusteae priore parte, hoc est ad a. circiter XII a. Chr., cum imitatione Catulli et cantorum Euphorionis conscriptorum, qua continebantur Culex, Ciris, Moretum, Copa, Dirae, libellus *κατὰ λεπτόν*, Epigrammata, ut puta de Ballista, de Caesaris ludis, de compilatore, Epitaphium, Priapea. nec est, cur negetur illam Augusti tempore ultimo et fortasse in domo Messallae factam totamque ad amicos eius referendam. certe ex huius et amicorum hortis potissimum Priapea collecta omnes habet numeros probabilitatis.

Accessit deinceps Aetnae carmen, Neronis sive Vespasiani tempore editum.

Atque totum hoc opus inscriptum, non satis constat, quando, Vergilii Prolusiones [Diomed. pg. 512] sive libellus iuvenalis ludi [Naek. ed. Val. Caton. 223] addito epigrammate. de qua re pluribus dictum in prohoemio Catulli pg. XLI sqq.

Nam alia, ut elegiae de Maecenate vel adeo tempore ultimo litterarum Latinarum concinnata, quae medii aevi stupor adfinxit Vergilio, non digna memoria.

Illud poterit videri mirum, quod Moretum a Donato [Sueton. ed. Reiffersch. pg. 58], qui etiam Copam omittit, nec minus a Servio [I, 1 ed. Thil.] praeteritum. sed olim adfuisse probatur, si modo in epigrammate, quod ab eo, qui Vergilii male putavit esse anthologiam illam totam, praemissumst libro vel subiectum:

> vate Syracosio qui dulcior Hesiodoque
> maior, Homereo non minor ore fuit,
> illius haec quoque sunt divini elementa poetae
> et rudis in vario carmine Calliope,

pro ineptissimis illis '*et rudis in*' recte repositumst a nobis '*erudit en*'. nam cum Culice sic et Ciri dicatur praelusisse Aeneidi Vergilius, Aetna Georgicis, nihil extat in farragine ista, quod ad Bucolica referre possis, nisi si Moretum significari existimaveris.

Iam Culicem vel metricas propter causas et maxime dicendi rationes a Vergilio alienum pridem monitum nobis. a quo etsi satis constat et ipso epyllion de Culice compositum, hoc perisse existimandumst. Ciris etsi vix aliud est nisi cento e Catullo et Vergilio concinnatus, tamen egregie convenit priori parti aetatis Augusteae, qua etiamtum vigebat Catulli carminum quorumlibet, non tantum leviorum, imitatio. Dirarum pars prior inter Caesaris necem et bellum Actiacum composita, nec alteram, qua continentur lusus amatorii, cur multum post conscriptam credas potest inveniri. et cetera eiusdem fere aetatis ac Dirae et quidem Vergilii vel amicorum, exceptis Priapeis, de quibus infra dicetur.

Atque hoc etiam metricis observationibus comprobatur. ex quibus cum haud raro sit lubricum Latini carminis definire aetatem, tamen unum extat documentum sane firmum certumque ad iudicandam eam, ductum ab *o* litterae finalis quantitate, quo non sine magno litterarum Latinarum commodo Lachmannus et Hauptius in Homeri Latini et Calpurnii carminibus sunt usi. nimirum, id quod quinto libro accuratius probabitur, non est credibile inde a nono u. c. saeculo in ullo libro poetico *o* finalem et saepe produci et raro aut numquam corripi. quare in quibus hoc evenerit, alioquin incerta re antiquiori potius quam novello assignabimus ea tempori. iam in opusculis illis ita res habet. *o* brevis numquam invenitur, *o* producta sive in arsi sive in thesi viciens quater [catal. 5, 34; 7, 3; 11, 7; 48; 53; cul. 85; 287; 375; Cir. 29; 71; 150; 167; 236; 261; 298; 353; 357; 373; 416; 425; 517; 530; moret. 66; 111]. hinc apparet non esse composita illa post Claudii Neronisve tempus. nec est cur Augusto recentiora esse dicamus.

Ceterum hoc loco monendum Dirarum et Lydiae auctorem a me plerumque Valerium Catonem positum auctorem, non quia ab eo existimarem haec carmina conscripta, quod

adeo mihi numquam potui persuadere, sed ut brevitati consulerem. nam Catonis eius, cuius sub nomine disticha feruntur moralia, vix umquam in hoc opere fit mentio. paucissima quippe in metrica eius notanda. illud tamen merito culpandum, quod tam multa elisionis exempla eaque ex parte asperiora libris eius de coniectura intulere docti.

A Vergilio ad Ovidium transeo. cuius de Heroidum libro (nam vulgo tribuunt ei) quae in priore editione disputaveram, rursus hic adscribentur.

Ac de archetypo quidem quam protuleram opinionem, a Th. Birtio aliisque pluribus est probata; neque nunc verti sententiam.

De auctoribus carminum illorum (quippe unius Ovidii esse non possunt) cum multum sit deinceps quaesitum a multis aliique abierint in alia, nondum tamen res confecta. verum ad nostra studia id parum pertinet. nec enim dubitari potest omnes epistulas illas ne Sapphus quidem excepta — de qua olim aliter statueram Lachmanni auctoritate captus — non modo aetate Ovidii scriptas vel proxima, sed veluti in ludo eius ab amatoribus imitatoribusque eademque artis communione iungi cum hoc, qua Lygdami et Sulpiciae elegias cum Tibullo. et similiter iudicavit Lachmannus, a quo male discessit Merkelius.

Itaque iam repetetur locus, qualem ante annos XXXII proposueramus, auctus quidem hic illic vel inversus.

E ceteris Augustei aevi carminibus primum nos advertet Heroidum Ovidio iure seu perperam adscriptarum liber, et quidem ob causam duplicem. ex quibus altera haec est, quod persuasum habeo, non recte egisse rem Lachmannum et qui sequitur eum Merkelium expellendo ex epistulis Paridis et Cydippae versus paene CCCL tamquam Italorum saec. XV fraude ortos. quod ut demonstrem, afferam nonnulla de archetypo codice carminum amatoriorum Ovidii.

Igitur primum omnium satis constat distichorum ab Ovidio ante exilium compositorum saeculo VI vel VII in monasterio quodam Gallico fuisse exemplar integrum, quo continuarentur deinceps Ars amatoria et Remedia atque Amores cum Heroidum carminibus XX, item liber de medi-

caminibus formae. Nucem quoque in eo perscriptam haut temere affirmaverim. mirum tamen quod versibus constat CLXXXII, qui aequant paginas, quas vocamus, septem libri, de quo agitur. contra Sapphus epistula defuit. ex qua quae nostro saeculo inventa sunt excerpta in codicibus duobus Parisinis saec. XIII (7647 et 17903 numero), et quidem eo loco, ubi nunc solet illa poni, hoc est inter XIV et XVI, apparet ex alia quadam traditione amatoriorum Ovidii carminum ducta.

At Gallicus ille liber redintegratis Carolingico tempore antiquitatis studiis cum et ipse conquisitus est ad describendum, iam variis convulsus erat fatis.

Nam interciderant ex Paridis epistula vv. CIV [39—142], porro Cydippae CCXXXVI [13—248], nec minus Medicamina formae, in fine posita. quae cuncta excepto carmine ultimo non iam extant praeter excerpta quaedam nisi in codicibus editionibusque saec. XV vel XVI. huius autem antiquissimus liber saec. XI sive XII esse fertur.

Tanto damno cum esset affectus archetypus, saeculo IX vel X descriptus est liber Parisinus, quem Regium vocavit Heinsius. qui Artem cum Remediis et Amorum initium continet.

Deinde casu nescioquo evenit, ut in archetypo vel in exemplari inde ducto Amorum opus traiciendo collocaretur post Epistulas sive servatis etiam tum Arte et Remediis seu, quod propius abest a fide, demptis utque finis Amorum cum initio Epistularum evanesceret. tum vel nono decimove saeculo, ut placuit Keilio [cf. praef. Ovid. Merkeliani pg. III et VI], vel XI, ut plerisque iam videtur [cf. Heroid. ed. Sedelmaierian. pg. XV], codice item Parisino, quem Puteaneum nuncupant, propagati sunt Amorum libri cum Epistulis.

Porro quod dubitavit Merkelius [pg. III], utrum tres sublatae sint paginae inter quinquagesimam quartam et septimam an partes diversae maioris operis casu coniunctae, cum lacuna illa hausti sint versus epistularum Acontii et Cydippae LXXIX. Amorum LXXXIV, post epistulam priorem et initio Amorum terni, qui titulis scribendis erant destinati, singuli titulo epigrammatis amoribus praemissi, qui extat in Regio, et initio secundae Amorum elegiae [cf. Merk. pg. III],

apparet contineri lacuna illa versus CLXXI, hoc est tria folia libri Parisini, quorum ternae partes versibus vicenis nonis, totidem constarent vicenis octonis. illud enim vix credo inter epigramma Amorum initiale et carmen principale unius interfuisse versus spatium, quo alibi dirimuntur elegi, cum in Regio libro sine intervallo continuari opuscula auctor sit Heinsius. sed quod dicit Merkelius plerumque singulis partibus paginarum codicis Puteanei inesse versus undetricenos, nisi illud *plerumque* posuit Taciti more vel nostro pro *saepe*, non potest esse verum. veluti folium illud quod excidit e mediis paginis sexta et septima habuit versus LVI [ep. 4, 48—103], non LVIII, habuere duo, quae, cum integer esset codex, sita erant inter paginas nonam et decimam, CXIV [ep. 5, 97—6, 49], ut binis de quattuor paginis, quas nos vocamus, versus XXIX, relicuis XXVIII adfuisse appareat. porro foliis sex principalibus cum aequentur versus CCCXLII, sexiens, non saepius, dimidiata pagina contineri potuere versus plus XXVIII.

Iam numerus foliorum codicis archetypi quantus fuerit aliis enarrandum relinquemus, illud monuisse contenti summis omnino paginis singula fuisse opera incohata. sed in singulis quot fuerint versus haud difficulter poterit exponi. igitur cum semel in membrana Regia aberratum sit a legitimo ordine versibus LI [rem. 750—801] — quo peccato iam Merkelius intellexit nos uti posse ad paginarum modum libri archetypi dignoscendum —, comprobabimus evenisse vitium illud praeterito uno folio, cuius partes vicenos quinos vel senos continerent versus. cuius rei documenta habemus duo, sed certa. primum enim ex libro Artis secundo distichon illud:

hos aliquis, tremula dum captat arundine pisces,
vidit et inceptum dextra reliquit opus,

cum in codice Regio non post versum LXXVI, quo pertinet, sed post CIII inveniatur, et quidem inverso ordine versuum, quod a Nasone abiudicandum existimavit Merkelius, id recte factum esse mihi numquam persuadebitur. nec vero ipsius codicis testimonio quod voluit vir egregius comprobatur. di melius quam ut ideo sollicitemus verba veterum auctorum, quod errore scribae nescio cuius suam migravere

sedem. sed enim distichon illud neque indignumst Nasone et ne potest quidem ab eo esse alienum, a quo Metamorphoseon VIII cum tota Daedali historia, in qua legitur, repetitumst ita [217 sqq.]:

hos aliquis tremula dum captat arundine pisces
aut pastor baculo stivave innixus arator
vidit et obstupuit, quique aethera carpere possent,
credidit esse deos.

quae vides Nasonem arrepto ex Arte uno hexametro commodasse talia, ut iucunde posset prioris carminis memoria urbanis excitari lectoribus. quae omnino facetiae ad irritum recident versus supra ex arte prolatos suspectantibus. quid quod auctor epigrammatis pervetusti de Catone [anthol. lat. 399 ed. Ries.] imitatus est pentametrum ita:

iussa manus sacri pectus violare Catonis
haesit et inceptum victa reliquit opus.

ubi ultima sic reconcinnanda:

dextera, ne dubita. durumst iugulasse Catonem.
sed sic liber erit. iam puto non dubitas.

igitur statuetur ideo turbatum in codice Regio, quod distichon illud, cum casu excidisset ex ordine verborum, iam in marginem additum loco alieno per neglegentiam eius, qui librum archetypum correxit, a sede propria aberravit una paginae parte, hoc est versibus XXVI. quae vel ea re firmatur suspicio, quod eiusdem illius pentameter praepositus legitur hexametro. alterum autem exemplum non minus apertum prostat in epistula Hypermestrae. cuius versus sexagesimus primus et secundus cum vulgo ferantur tales:

aut meruere necem patruelia regna tenendo,
quae tamen externis danda forent generis?

posterior ex his Puteani libro a manu secunda scriptus est in rasura alterius, quem fuisse eiusdem carminis CXIV '*cum sene nos inopi turba vagamur inops*' ideo fit probabile, quod hic ipse in libro Guelferbytano inter versus LXI et LXII est repositus. neque illud casu factum, ut in eodem Puteaneo vv. CXIII et CXIV post CXII in margine sint adiecti [cf. et Sedelmaieri comm. ad 113]. quae considerantibus vix potest quin statuatur distichon hoc, in archetypo cum loco legitimo excidisset, dein LI versibus, hoc est unius folii spatio, ante quam oportebat reponi coeptum, et quidem, ut illud de

Daedalo, inverso ordine; tum intellecto errore hexametrum quidem *ille ferox solio solus sceptroque potitur* non additum, sed pentametrum *cum sene nos inopi turba vagamur inops* incuria librarii relictum post v. LXI. utrumque autem vitium non est sublatum in Puteaneo nisi saec. XII. igitur etiam hinc probatur librum archetypum operum amatoriorum Ovidii habuisse singulis paginis bis versus vicenos senos. quod cum via sat certa computarimus, age iam alias quasdam perlustremus rationes, quibus aperte idem demonstretur. velut quod a codice Puteaneo absunt epistularum versus primi CXXIX, quis iam negabit defuisse eius scriptori de libro archetypo trium foliorum quinque partes? deinde cum Remediorum pariter primo versu et septingentesimo quinquagesimo paginas incohatas esse sat constet, apparet partibus harum saepius longe vicenos senos quam vicenos quinos adfuisse versus. praeterea cum ex opusculo de medicaminibus formae hodie extent versus C, dicentur nimirum de eo bina ex archetypo servata esse folia. tum quod ex epistulis Paridis et Cydippae versus CIV et CCXXXVI omissi sunt membranis optimis, paginarum, quae vulgo dicuntur, quattuor et novem agnoscemus defectum. porro quod in carmine Cydippae multi libri deficiunt post v. CXLIV, auctoribus eorum adparet ex archetypo praeter versus XII primos adfuisse CXXXII, h. e. quinque paginas, in quarum una distichon esset margini adscriptum. potuere et alia quaedam addi, quibus archetypi carminum Ovidii amatoriorum exemplar quale descripsi adsereretur; sed ut puto quae dixi sufficient.

Ceterum cum vix potuerit in illo ordo librorum alius esse quam quem supra indicavi, dubito quam ob causam Medicamina formae ad extremum sint relegata volumen. quod si non casu evenit, aut ideo factum dicemus, quod ultimo loco ab Ovidio sunt retractata aut quod ad solas pertinent feminas et quidem eas tantum illarum artes, quae corporis cura constant.

Hactenus de versibus antiquitus traditis in Ovidii carminibus amatoriis. restat de diversis Epistularum auctoribus ut disputetur. quae tamen difficilior longe quaestio quam fructuosior.

Ac primo quidem loco audienda Lachmanni sententia, qui in libello academico a. 1848 edito tantum has epistulas, quas Ovidius Am. II, 18 memorat, excepta Sapphus ipsius haud dubie esse concedit, contra VIII, IX, XIV, XVI, XVII, XIX ab eo seiungit, de ceteris iudicium relinquit in medio. equidem non ambigo quin epistulae XVI, XVII, XIX ab eo recte abiudicatae sint Ovidio. nam in hisce singuli inveniuntur pentametri verbis plusquam disyllabis finiti [XVI, 288; XVII, 16; XIX, 202]. praeterea in XVII [97] habes iambicum vocabulum elisum, quod item ab Ovidii usu alienumst. neque epistulam XIV, id est Hypermestrae, quisquam Ovidio ac sano homine putabit dignam, quamquam pentameter trisyllabo terminatus [62] *quae tamen externis danda forent generis* utrum sit auctoris necne incertum fit traditione librorum, quam viderest apud Sedelmaierum. sed quod a Scaligero eiecti sunt versus 85—118, vel ideo improbandum, quia sic epistula illa circuitu fit multo breviore quam ceterae. ac ne eos quidem, qui sunt inter 109 et 118, prioribus, quibus equidem male convenit cum 28, multo ineptiores, deleri posse demonstrat v. 122. — de relicuis epistulis infra agetur. in quibus aestimandis Lachmanno, ut et alias factum, aliquando subtilitas nimia fuit fraudi, id quod et Bernhardio visum [h. l. lat. pg. 493 ed. III] et Merkelio [praef. X sq.]. praeterea ei offecit, quod nondum ubique de traditione optima constabat.

Sed cetera quidem in ipso opere ubi persequamur erit locus. unum nunc tangam, quo monemur, ne nimis sectemur minutias neve excidat ex animo poetas non in usus criticorum, sed ad oblectanda hominum liberaliter eruditorum ingenia componere carmina et plurima horum artis non morositate praeceptorum, sed nativa elegantia temperari.

Scilicet Lachmannus cum memorasset in epistula Herus [170] *nihil* pyrrichiace positum ut alienum ab Ovidii usu, quippe qui semper produxerit in eo ultimam, cui tamen rei firmandae exempla non plus tria attulit, iam Merkelius recte notavit uno ex Tristium libris versiculo [V, 8, 2] correpta finali adhiberi *nihil.* sed et hunc alter eiusdem operis fugit versus [IV, 8, 38], in quo aeque breviatur ultima. itaque apparet Ovidii exemplum illud [met. X, 520] '*et nihil est*

annis velocius' non magis habere, in quo offendas, quam tale [ep. e. P. III, 1, 113] '*morte nihil opus est, nihil Icariotide tela*'. et in hoc quidem per se quin alterum contrahamus *nihil* non quidquam obstat nisi illud, quod amant poetae Latini praeeunte, si tamen sit verum, Homero in his [Il. V, 31; 455] *Ἆρες, Ἄρες βροτολοιγέ* vocabula repetita diversa efferre quantitate [cf. etiam Lachm. ad Prop. II, 3, 43]. ita antiquissimus auctor Plautus Mercatore [928]:

mană, manē Charine. — gerrae. sic me decipere haud potes.

porro Terentius Andria [288]:

et ād pudicitiam et ăd rem tutandam sient.

idem Hautontimorumeno [977]:

nec tibī nec tibĭ. nec vos est aequom quod facio mihi.

et Phormione [950]:

nolo volō. volŏ nolo rursum. cape cedo.

mox certatim dactylici. ita enim Vergilius [eclog. 3, 79]:

et longum formose valē, valĕ, inquit, Iolla.

quod imitando repetiit Naso Transformationum III [501] sic:

dictoque valē, valĕ, inquit et Echo.

itaque idem Vergilius [buc. 6, 44]:

clamassent, ut litus Hyla, Hyla omne sonaret.

item alibi [aen. VI, 791]:

hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis.

et Tibullus [II, 3, 27]:

Delos ubi nunc Phoebe tuast? ubi Delphica Python?

tum Horatius [c. I, 32, 11]:

et Lycum nigris oculis nigroque
crine decorum.

porro Ovidius [met. VI, 245]:

ingemuere simul, simul incurvata dolore
membra solo posuere, simul suprema iacentes
lumina versarunt, animam simul exhalarunt.

atque item [XIII, 607]:

et primo similis volucri, mox vera volucris.

nec aliter Manilius [II, 675]:

sidera quadrata efficiunt, non lege quadrati.

aut Martialis [II, 18, 1]:

capto tuam, pudet heu, sed capto, Maxime, cenam.

[II, 36, 2]:

splendida sit nolo, sordida nolo cutis.

[IV, 89, 1; 9]:

ohe iam satis est, ohe libelle.

[XI, 12, 2]:

dum matrem nemo det tibi, nemo patrem.

ita Claudianus in eodem versu *ambo* et correpta *o* posuit, id quod ex elisionis rationibus ab eo observatis apparet, et producta [26, 338]:

ambo habiles remis, ambo glacialia secti.

Ceterum ut in viam redeam, non immerito dubitavere docti de illo *nihil* iambice posito apud Plautum; adeoque ante auream litterarum Latinarum aetatem illa *nihil, nihilum* numquam elata nisi per contractionem, ac siqua viderentur diversa, ea corrupta vel interpolata saepius significavi.

Iam de dubiis Heroidum libri carminibus ut denuo agamus, fuere qui crederent in exilio ab Ovidio, quo vitae Tomitanae taedia tolleret, quasdam ex eis compositas, scilicet in quibus invenirentur rationes metricae a distichis ante exilium scriptis alienae, sed congruae illis, quae in Ponto composuit, in quibus hic illic aliquid remissum ex arte prisca. sed hanc opinionem optime confutavit Lachmannus. quae ab omni abhorrebit fide reputantibus, quam tristi quamque abiecto et a lusu omni alieno tum temporis animo fuerit poeta. qui cum insitum carminum studium nullo pacto posset exuere, ad scabrum potius et rancidum argumentum Halieuticon se contulit. adde quod ne semel quidem in libris post exilium editis Epistularum ab eo mentionem iniectam adnotavit Lachmannus.

Itaque eis potius adsentior, qui ultima VI opuscula, ut ab Ovidii rationibus ex Amorum II, 18 perspicuis aliena, huius esse negant, sed ut unius credam auctoris. Sapphus epistulam olim in codice quodam Ovidii carminum amatoriorum et quidem eo loco, ubi nunc legitur, positam supra memoravi. et est haud dubie eiusdem temporis atque ceterae. nulla quippe causast cur Erichthus mentionem [v. 139] ex Lucani potius libris [VI, 508 al.] quam vel a Lucano, quem et alias Ovidii sectatorumque eius haud incuriosum fuisse constat, ex opusculo illo vel a poeta utroque ex alio fonte ductam putemus, cum praesertim in Pharsalia non Furia quaedam sit Erichtho, sed maga.

Sed integrum ne feratur de Sapphus carmine iudicium, codicum bonorum impeditur penuria. itaque sic statuo, nihil

esse in metrica quod Ovidium abnuat auctorem, dictionem autem cum summa eius virtutum vitiorumque observantia exactam, argumenti tamen tractationem morosiorem exilioremque quam quae digna videatur Ovidio. quem cum certum sit et ipsum composuisse epistulam Sapphus nomine, ab assecla eodem retractato argumento carmen, quod exemplo fuerat, videtur perisse, mansisse simulacrum eius, sicuti factum in Culice.

De ceteris epistulis, h. e. III, VIII, IX, XII, XIII, quid existimandum sit non satis comparet. quae tamen si non Ovidii sunt, perinde atque ceterae eodem certe tempore vel proxime insequente compositae.

Iam ex Heroidum libro quae quibus antecellant venustate viderint quibus otium et ingenium suppetet. qui si forte eo deciderint, ut in toto illo genere carminis non ita multum inesse statuant leporis, me quidem non habebunt adversantem. praeterea certumst partem conscriptam ab adulescentibus ingenio nondum satis firmato et ut solet fieri traditis regulis partaque scientia interdum utentibus cupidius. cuius rei insigne exemplum extat in epistula Acontii [57]:

hoc faciunt flavi crines et eburnea cervix
  quaeque precor veniant in mea colla manus
et decor et vultus sine rusticitate pudentes
  et Thetidis quales vix reor esse pedes.

etenim quamquam inter ceteras Nereidas pulchras et ipsas excelluisse venustate Thetin hoc constat versu Catulli [64, 28] '*tene Thetis tenuit, pulcherrima Nereine?*' tamen numquam quisquam poetarum Latinorum (nam Graecos non moror) in laudanda forma feminarum Thetidis mentionem fecit. unde sponte apparet nec pedum eius decori iactando potuisse esse locum, nisi qui scripsit epistulam Acontii infeliciter prorsus atque intempestive — nam omnino pedum iniecta mentio male habet — recordatus esset Homericum illud *Θέτις ἀργυρόπεζα*. quo cupide arrepto probavit iudicii errorem simul et aetatis infirmitatem, simillimus illius sectatoris Tibulli, qui, Messallae laudes dum hexametris persequitur, itidem Homeri nec minus Thucydidis pueriliter iactat peritiam [IV, 1, 48 sqq.; 199].

Sed cum ita ut indicavi in Epistulis habeat res, iure

meo mihi fecisse videor, quod auctores earum quicumque fuerunt coniunxi cum Ovidio. addidi Nucis opusculum, ut quae ipsa sicut pars Heroidum in schola ac velut domo Ovidii sit conscripta. nam et similem ob causam Lygdamum cum Sulpicia et laudatorem Messallae Tibullo, Maroni Culicis et Ciris adnexi auctores.

Iam dicendum de Priapeis. et quidem dolendum, quod in eis emendandis tam exiguis et non fidis utimur librorum subsidiis — nam Lindenbrogii codex, qui videtur fuisse omnium optimus, ex notitia hominum doctorum iam recessit —, et laetandum autem egregia eorum elegantia metrica id quodammodo compensari, ita ut illud certe possimus agnoscere, quid non debeat tolerari in istis. etenim nequis statuat inesse illis plebeiae venae conatus rudes ac barbaros, pro certo licet affirmari eum qui haec animi causa de sacellis ac fanis Priapi et saepius de statuis eius in hortis vulgo positis collegit, cavisse maxima cum cura, nequid reciperet poematum aut dictionis integritate aut versuum elegantia destitutum, nisi quis hoc potius sibi persuaserit me quidem non adversante, hunc ipsum aliquando sermonem vitiosum ac labantem artem corrigendo adiuvisse. tamen illud certumst, non de plebe profectos esse lusus istos, sed doctam referre originem — neque alia fere his libris tractantur carmina, quam quibus doctorum conveniat nomen —, idque unum restat quaerendum, cuinam tempori videantur esse adscribendi. quam rem pertrectaturum primum advertet insignis numerorum simplicitas. nam praeter disticha et hendecasyllabos et iambos puros sive hipponacteos nullum inveneris metrum nisi illud quod a deo, cui dicata sunt haec carmina, habet nomen. qua ipsa continentia probatur illa et a Laevii Catullique et a Septimii ac Terentiani aliena esse temporibus, quibus quam maxime versuum varietatem curavere poetae. sed angustioribus multo licet circumscribi Priapeorum aetatem spatiis. etenim cum Martialis aperte sit imitatus horum praefationis initium, annis ferme C, qui Augustum inter fuere ac Domitianum, ea composita esse et conlecta statuendumst. cui convenit plane opinioni quae in *o* finalis quantitate reperitur norma. etenim praeter iambica *puto*,

peto, lego non corripitur illa exceptis his quae sunt *nemo* [68, 33] et *tenebo* [6, 3]. nam quod alibi fertur tale [9, 1]:

cur obscaena mihi pars sit sine veste, requiris?
quaero, tegat nullus cur sua signa deus.

omnino falsumst illud *quaero,* quoniam nec Priapi interest sciscitari, deorum cur statuae habeant aperta signa, sed eius, quem offendit habitus illius, nec cuiquamst obscurum cur hoc fiat, ut appareat quae pentametro continentur per irrisionem ac ludibrium dici. quare non potest dubitari pro illo, quod vulgo fertur, scribendum esse *quaere.* iam qui tam modici fuere brevianda *o,* haudquaquam eandem producenda adhibuere cautionem. nam intenditur exemplis XIV in vocabulis quae sunt *nemo* [32, 8], *virgo* [3, 7], *expuo* [26, 12], *mandabo* [56, 5], *dico* [7, 2], *puto* [12, 2], *quaeso* [30, 2; 77, 20], *volo* [38, 3], *ecquando* [19, 1], *ergo* [2, 9; 14, 9; 77, 12], *porro* [26, 1], ut omittam quae plane non potuere alio pacto suis inseri metris.

Atque haec in editione scripseramus priore. sed iam in prohoemio Priapeorum recensionis demonstrasse mihi videor carmina illa pariter cum Culice, Ciri, Moreto, Copa, libello *κατὰ λεπτόν,* Diris, quod omnia imitationem prae se ferrent Catulli et cantorum Euphorionis, essentque composita ab amicis M. Valerii Messallae, viri celeberrimi, qui Horatio, Vergilio, Tibullo aliisque huius aetatis poetis fuit familiaris, ultimis Augusti temporibus, ad quae durasse Messallam satis constat, collecta et edita a docto quodam; Priapea autem maxime ex hortis Messallae eiusque amicorum videri decerpta.

Consolationem ad Liviam cum M. Hauptius libello Lipsiae a. 1849 emisso demonstrare conatus esset ab Italo quodam saec. XV confictam, qua in re versatus est cum magna doctrina et subtilitate, ego a priore editione segregaveram.

Sed Aemilii Huebneri disputatione accuratissima, quae prodiit a. 1878 in Hermae Berolinensis p. XIII [p. 145—244], aliorumque deinceps additis curis effectumst, ut multum iam detraheretur opinationi illius, etsi res est nondum absoluta. itaque eo inclinat animus, ut carmen illud existimem scriptum post Augusti aetatem, sed ante Neronis mortem, tem-

pore Iuliorum Claudiorumque dominationis, eodem fere, quo elegias de Maecenate. quippe ab Augusti aequali ac statim post mortem Drusi compositum ne statuam, argumentis permoveor ab Hauptio prolatis, quamquam finxit poeta se exequiis Drusi adfuisse [v. 202], sicut is, qui de Maecenatis morte composuit carmen, se ab amico eius de illo simulavit edoctum [9 sq.]. et constat illi imitando expressa ea, quae Ovidius in exilio prompsit. cumque elegiarum istarum auctor in principio prioris a se Drusi obitum deploratum testetur, adducor plerumque, ut Scaligeri amplectar sententiam, qui consolationem ad eundem referendam existimavit. nam et dignissimum memoria illud, quod Drusus ab utroque poeta [consol. 39; de Maec. morib. 6] vocatur *Caesaris illud opus,* quodque consolationis versus de Fortuna [372] *illa rapit iuvenes, sustinet illa senes* simillimus est eis, quae de cymba Charonis dicta in elegia priore [7 sq.]: *illa rapit iuvenes prima florente iuventa, non oblita tamen sed rapit usque senes.* quae cum ita sint, quod in consolatione quaedam sunt admissa aliena ab arte metrica ceterorum et Propertii similiora quam Ovidii, velut elisionis frequentiora exempla et bis terve duriora, longioris operis poterit excusari venia. accedit quod et corrupta in ea insunt haud pauca deficientibus membranis quodque ab editoribus illius per incuriam plerumque peccatum contra leges metricas. quas ab auctore tanta probitate servatas, nihil ut arguat carmen ab antiquitate alienum, cum iam in priore dixissem editione, nulla hercule fuit causa, cur eas dubitarem enarrare.

De Maecenatis obitu et de moribundo Maecenate disticha quamquam fuerunt qui deterrimo tempore composita esse autumarent, equidem tamen cur ita multum post Maecenatem ipsum dicam prodisse minime invenio. adeo et dictionis integritate nitent — neque enim quidquam inest in eis quod sequiorem originem arguat — et magis etiam castigatissima versuum elegantia, quae quamquam ne posterioribus quidem prorsus inusitata fuit temporibus propria tamen est primi post Chr. n. saeculi. et convenit *o* finalis quantitas. quippe in versibus CLXXVIII non invenitur correpta nisi in hoc *puto*, cui scilicet inde ab antiquissima aetate licuit esse pyrrichiaco [109, 60; 66]. at hercule producuntur *ergo* [ib.

10; 114], *porro* [110, 30], *nemo* [109, 16], *ero* [ib. 18; 21], *librato* [109, 142].

De Manilio mihi dicturo non comparet illud, quomodo et huic satis parcam et satis parcam Iacobo, novissime qui libros eius edidit. quis enim mihi credet Manilium in plerisque rebus severissimam quamque sequi legem, nisi simul dixero in re metrica quotiens a Bentleio ac Scaligero desciscat Iacobus, totiens ferme turpissimo labi errore? quod sane non insolita ipsi fecit ratione. nam eiusdem fuit in Aetnam tales admittere versiculos, qualis est [133] '*condita si redeunt, siqua etiam incondita surgunt*', sive hunc mavis [218] '*hinc princeps magnusque qui sub duce militat ignis*', eiusdem in Manilio producta prima *quater* [III, 419; cf. II, 907], correpta ultima efferre *scorpion* nominativum [II, 213] et hiatus nomine trochaeos pro dactylis ingerere [III, 4; 188]. quamquam bene haberet res si in talibus substitisset facetiis. quid autem? num melius habent dictiones? sed quis feret probantem talia [IV, 110]:

nam neque mortiferas quisquam magis oderit herbas,
quod non arbitrio veniunt, sed semine certo,
gratia nec levior tribuetur dulcibus escis,
quod natura dedit fruges, non ulla voluntas.

in quibus ille contemptis Scaligero ac Bentleio cum retinet illud *oderit,* probat aut dissimulat quod sententiae contrarium efficit sensum. quid dicam de talibus monstris qualia sunt [IV, 247] '*terramque exurere venis*' nec non [413] '*tumet qua largior humor quaque minor rivos torret.*' possum pleraque addere, nisi iam pigeret operae. nam ne de librorum quidem scriptorum rationibus et lectionis traditae condicione satis recte existimatum ab illo. mirum debet videri profecto, quod talis hominis iudicium secutus est Lachmannus in editione Propertii altera, nisi aliunde constaret eum interdum vel amore vel odio in taxandis doctorum studiis lapsum. — ceterum cum ita res haberet, eo ego sum acrius accensus ad percontandam artem Manilii.

Epitomen Iliadis, quae Homeri Latini ferebatur nomine, ab Italico quodam compositam nuper ab O. Seyfferto et F. Buechelero detectis acrostichis in principio ac fine carminis est patefactum. qui utrum idem fuerit cum Silio

Italico necne dubitant. neque tamen abhorret a fide librum illum, qui ut Punica Vergilii Aen idos ubique prae se fert imitationem, ab eo iuvene admodum conscriptum. sed metrica cum valde differat opus utrumque, ut, si statuas eiusdem esse poetae, in Punicis propter circuitum carminis pleraque ex severitate priore omissa sit credendum, ego epitomen segregavi a Punicis, ut in priore editione factum.

Venio iam ad tragoedias Senecae, quibus accedit auctoris incerti, qui sub Flaviis vixit, Octavia. illas novem si non omnes, at longe maximam partem compositam a M. Annaeo, qui sapientiae studiis inclaruit, ut olim, ita nunc contendimus, amplexi illud quod Genthius noster in dissertatione de Lucani scriptis Berolini a. 1859 edita dixit [pg. 11] Sidonium Apollinarem cum tragicum a philosopho distingueret deceptum Martialis noto versu [I, 61, 7]: *duosque Senecas unicumque Lucanum.* constat tamen multum dubitatum a doctis de fabulis illis. atque ipse Bentleius in disputatione de epistulis Phalaridis [pg. 192 ed. Lips.] ut Octaviam, ita Agamemnonem et Herculem Oetaeum a Seneca conscriptas negavit. ac de Octavia quidem concedent omnes, nisi forte quis statuerit, quod res post mortem Senecae gestae in ea tanguntur, potuisse fieri, ut a defuncto in amoenis piorum locis carmina pangerentur. accedit quod in hac et dicendi genus satis est diversum, et trimetrorum iambicorum ars cum fere sit eadem, in lyricis soli usurpantur monometri anapaestici exclusis aliis numeris, quales inveniuntur apud Senecam praeter Phoenissas, quarum cantica cum aliis multis hausta. neque improbabilest alterum Herculem alienum a Seneca. sed ut plures abiudicandae videantur ab eodem fabulae, parum id pertinebit ad rem nostram. quippe tantast in omnibus similitudo ut orationis, ita metricae virtutum pariter ac vitiorum, ut ex eadem eiusdem temporis poetarum schola prodisse eas appareat. itaque tam levia discrimina in eis sunt artis quam quibus Ovidii Heroides differunt a ceteris, quae sub nomine feruntur eius, aut Tibulli elegiae a Lygdami ac Sulpiciae.

Ceterum in restituendis verbis Senecae cum gravissima esset codicis Florentini auctoritas, eius usus a 1859 propter bellum, quo tota tum ad libertatem coorta erat Italia, fuit

interceptus. mox idem Peiperi ac Richteri editione omnibus patuit. relicui praeter excerpta Thuanea ad aliud pertinent genus idque deterius, sed quo carere non possis.

Carmina bucolica duo, quae ex libro quodam Einsidelensi primum edita sunt ab Hageno, deinde retractata a multis, primis Neronis temporibus, ut Calpurnii eclogas, quibus metri arte sunt simillima, adscribenda etiam mihi videtur probabile. quaedam tamen in eis relicta quae poeta cultissimo plane sint indigna. veluti quis ferat *Glycerani* vocem hybridam 2, 7:

altius est, Glycerane, aliquid, non hoc, pater. erras.

ubi etiam elisio a tertio pede aliena arguit fraudem. porro *domifactus*, quod legitur v. 30, ut ineptumst, ita rusticum. unde commode eo usus aequalis auctori Petronius cap. 99: *ast ubi aratro domefacta tellus nitet.* scribendum *tardoque puer comitatus aratro* sive *tardumque puer comitatus aratrum.* mira etiam inelegantia initium eclogae: *quid tacitus, Mystes?* pro *quid tacitus Mysta es?* i. e. *Mysta's.* item v. 35 reponendum *novo parit ubere* pro *novos.* denique 1, 28 in illis:

dignus utroque stetit ostro clarus et auro

lacunast ante *stetit,* non post.

Ceterum saepius etiam quam sensere docti haec carmina cum summa Vergilii observatione composita, qua interdum possis uti ad vitia tollenda. velut 1, 22 scribendum:

maxime divorum rerumque aeterna potestas

pro *caeterique* quod habet codex Einsidelensis demonstratur Aeneidos X, 18.

Iam Aviani fabulas quod Lachmannus secundo p. Chr. n. saeculo adsignat, mihi quidem non probatur. etenim quamquam minime ignoro carmina illius per medium aevum in scholis dum enarrantur gravibus esse depravata vitiis, non tamen placet eadem qua illest usus audacia inverti a bonorum poetarum usu aliena. quid quod idem interdum, quae viderentur ipsi falsa ut sanaret, certa addidit Aviano nec dubia vitia? credo autem maxime ea ratione permotum esse eum, plurima in opusculis illis ut mutaret, quod in versibus ut mendosa quaedam et abnormia, ita non spernendae artis elegantiam et suptilitatem pariter inesse cernere'. sed enim similia etiam apud alios ultimorum temporum poetas

inveniuntur, velut Aratorem et Maximianum. quod cum ita sit, priusquam scriptorum codicum testimoniis Lachmanni firmentur commenta, non erit quin ultimis imperii Romani temporibus h. e. saec. quarto quintove adscribam fabulas Aviani.

At hercule plane mihi probantur, quae de Terentiani aetate ab eodem Lachmanno sunt prolata. cuius argumentis non inepte accedent nova, quae de tertii quartique saeculi placitis metricis primo a me libro exponentur.

Symphosii (nam ita scribendum nomen) aenigmata quonam scripta sint tempore quaesitum a Th. Paulo dissertatione Berolini a. MDCCCLIV edita. qui tamen ita rem gessit ut prorsus mihi esset ab eo dissentiendum. namque ille quarto vel quinto ista tribuit saeculo; ego nihil habeo cur a secundo aut tertio habeam aliena. quamquam concedo potuisse eadem conscribi saeculo quarto vel adeo initio quinti, h. e. tempore Claudiani ac Namatiani; nego ullum labantis artis et propriae christianorum in eis comparere vestigium. sed Paulum ut demonstrem rerum metricarum non satis amplum esse iudicem, primum graviora quaedam eiusdem peccata afferam. itaque damnat [p. 36] in Claudiano tamquam vitiosum *Italum* producta prima immemor Horatiani '*miles sagittas et celerem fugam Parthi, catenas Parthus et Italum robur.*' deinde Prudentio exprobrat, *spei* genetivum quod pro iambo posuerit, et hic spreto Flacco, cuius sunt haec '*contemptae dominus splendidior rei.*' idem tamquam singulare in Venantio notat, quod illud *quandoquidem* brevi adhibeat antepaenultima, quasi non omnes omnium temporum poetae corripiant eandem. neque alia sunt rectiora. veluti c. 93 v. 2 in parte librorum scriptorum cum incohetur sic: *sex pedes habui,* tamen quam sit improbabile poetam alioquin elegantissimum tam foede peccasse cum per se apparet, tum inde quod ab eodem ut *pes* semel [40, 2] longa vocali, ita *pedes, pedibus* identidem positum eadem breviata. sed finge potuisse illum admittere tam turpe vitium, tamen a sententia male habent illa '*sex pedes habui*', ut ea, quae Heumannus ad verba eadem adnotavit, ne legisse quidem videatur Paulus. ceterum non melius est, quod Heumannus obicit auctori eidem correptam in *conchylio y*. nam quamvis ceteri, quos ego cognoverim,

poetae dactylici in hoc vocabulo producant antepaenultimam, tamen apud Graecos est communis. unde corripuit Plautus Pseuduli versu hoc [147]:

neque Aléxandrina béluata cónchyliata tapétia.

secutus autem Symposium, quem omni imitatione premit, Aldhelmus in aenigmate de helleboro [pg. 260; 17, 2 ed. Giles.]:

conchylio similis sit cocci murice rubro.

nec vero cetera bene habent, quae undique conquisita Symphosio exprobravit Paulus. ex quibus est hoc, quod bis [58, 2; 74, 1] in versibus amplius CCC produxerit brevem ita:

sed sum versicolor albus quandoque futurus.
Deucalionis ego crudeli sospes in unda.

verum altero loco recte membranae: *Deucalion ego sum,* quod est noto poetarum usu *velut Deucalion.* quippe lapides aquarum impetu non magis solent obteri quam eodem oppressus est olim Deucalion. nec menda caret, quod fugit Paulum, 81, 1 antiquitus traditum '*mater erat tellus, genitor est ipse Prometheus,* ubi videtur scribendum *genitor sed et ipse Prometheus.* v. 3 bene docti *misere.* — atque damnum haud mediocre attulit eidem, quod de codicum potiorum traditione ac fide parum erat edoctus. quam ob causam et in aliis iudicandis lapsus est et in prohoemii hoc versu [10]:

ponere diverse vel solvere quaeque vicissim.

quem non felicius tractavit quam Heumannus ultimos eiusdem, quos posuit tales:

ast ego ne solus foede tacuisse viderer,
qui nihil attulerim mecum quod dicere possem,
hos versus feci subito de carmine. voces
insanas inter sanum non esse necesse est.
da veniam, lector, quod non sapit ebria Musa.

traditum *vocis* et *insanos.* et illud quidem inventum falsum esse facile tibi persuadebis, cum nec post dactylum quintum plene interpungi soleat a poetis tam elegantibus quam fuit Symphosius, nec ullam habeant concinnitatem homini insano insanae oppositae voces. sed his expulsis coniecturis non tamen habebit res bene. quid enim sibi volt hoc '*subito de carmine vocis?*' nam quod Heumannus ad elevandam difficultatem arguit proprie positum *de,* dicendumst huic ut

plerisque de Africano sermone et dictionibus aetatis serae vix aliud innotuisse quam crebro adhibitam, qua praestigiatorum in modum abuti se posse credant, praepositionem istam. praeterea non satis aptumst illud *feci,* cum non meditati curate, sed per occasionem subitam effusi significentur versus. verum omnia praeclare habebunt, si ita scripseris haec lenissima mutatione adhibita:

hos versus ieci subito discrimine vocis.

ita dixit Horatius:

tum meae, siquid loquor audiendum,
vocis accedet bona pars.

Carmen de Hercule, quod incerto ab auctore profectum adiungitur libris Claudiani, quo sit tempore scriptum vix definias. tanta tamen numerorum inest in eo elegantia, ut haud immerito ab Sereni Nemesianive aut ipsius Claudiani doctissimo quoque aequali dicas esse confectum.

Hactenus haec. at de altero genere scriptorum, quorum metrica his enarratur libris, in editione priore posita erant talia.

Quid autem de christianorum poetarum dicam carminibus? quorum ne unus quidem liber usque ad hunc diem ea diligentiast editus, qua iam in classicorum auctorum, praesertim Latinorum, operibus recensendis uti consuevere plerique? adde quod nec de metrica eorum arte qui inquireret grammaticus extitit idoneus. quod sane ne potuit quidem fieri nisi ab eo, qui plurima et classicorum poetarum imbutus esset lectione. quippe horum artem seiunctam a prioribus aestimaturi non minus hercule erunt perversi quam qui, cum vetustissimis scriptoribus Latinis operam navent, neglegunt Varrone posteriores. itaque sustinuere critici plerumque regulas aut ex parte veras aut omnino falsas proponendo talem christianorum poetarum artis divulgare opinionem, ut ea quasi eximia et aliena a progressu veteris metricae vulgo habeatur. accedit quod identidem pueriliter ipsi peccare quam pueriles librariorum errores corrigere maluerunt. nec magis ad elocutiones attenderunt. quid enim ex his est certum et exploratum praeter quaedam a Fabricio vel Arnzenio fere enotata? quis imitationem antiquissimorum, cum ex parte utique res satis esset aperta, qua decebat

cura persecutus est? licuit crimina multiplicari, nisi possem videri meam potius laudem celebrasse quam illorum vitia exagitasse. quare hoc contenti erimus monuisse me, quotquot parare potuerim subsidia critica ad istorum poetarum libros recte aestimandos, collegisse cum studio et, quod longe fuit utilius, perlegisse multo plurium poetarum christianorum carmina quam quorum aequabili cura plene me persecuturum esse artem supra declaravi. ceterum obiter moneo Avieni et Prisciani solum me respexisse libros geographos, praeterquam ubi aliorum aperta iniciatur mentio. erunt fortasse, qui mirentur, cur ego Corippum exclusum voluerim a serie operis. quem ideo minus curiose habui, quod, cum in plerisque rebus tam religiose Vergilium sequatur, ne Homerus quidem Latinus aut Silius ut magis, tamen haud raro temporum vitio — nam paene in fine fuit litterarum Latinarum — labitur. unde curam magis et studium quam proprietatem arti eius concedas.

Et haec quidem nos ante annos plus triginta.

Nunc autem aliquanto melius habet res, maxime Hartelii et Schenkelii, professorum Vindobonensium, industria. quos secuti auctores iuniorum haud pauci alius alium poetam e christianis arte et via tractare coeperunt. quorum non sine magno commodo usi sumus studiis. et maxime quidem laetandum, quod Ausonii, scriptoris gravissimi, libri iam Schenkelii opera et apparatu instructi plenissimo et indice illustrati accuratissimo. sua etiam merita Huemero, Petschenigio aliisque, qui auctores minus difficiles, sed nec ipsos indignos memoria propriis castigaverunt studiis.

Et postquam praeiit schola Vindobonensis, etiam alii exorti, qui partem antiquitatis studiorum diu neglectam curatius attrectarent. ita cum traditionis fides patefacta esset in poetis multis, dolendum quod plerique editorum non eandem diligentiam adhibuerunt expediendae metricae eorum, id quod indicibus additis maxime apparet.

Sed ut hoc omittas, tamen multa restant in scriptoribus christianis etiam nunc profliganda. veluti Prudentii olim desideratur nova editio. quae cum ita sint, neque Arnzenii nec Fabricii commentarii supra memorati hodie inutiles ac ne Bedae quidem libellus de re metrica, qui legitur grammaticorum Latinorum parte VII.

Ceterum per lustra superiora quaedam recentia accessere et incognita ante carmina poetarum christianorum, ut puta Dracontii, cuius etiamst Orestis tragoedia, item Tiberiani. quae qua par erat cura habuimus.

At ex fragmentis carminum perditorum praeter Ennii Luciliique ac Varronis libros, de quibus supra iam monui, maxime nos adverterunt Laeuii ac Sereni reliquiae. qui quanto opere fecerint ad artem Latinam promovendam, nostris primum apparebit curis. multo minus commodi redundavit mihi ex inscriptionibus metricis. ex quibus quae inservirent recte aestimandae arti, melius pleniusque ex alienis licuit percipi monumentis, quae propria differrent insolentia, simul hoc ipso barbara et ab indoctis profecta auctoribus evincebatur. cui enim, nisi Midae qui aequarit aures, digna videbuntur indolis Romanae suptilitate admissa in dactylicum carmen vitia quantitatum aut cruditates scaenicorum aut nulla ratione mixti et confusi interse vel adeo coeuntes cum pedestri sermone versus?

Iam metricam dactylicorum Latinorum qui plene enarrarit, equidem cognovi neminem. quod sane pudendum, cum praesertim tot tantosque viros Graecorum ars aduerterit. quasi vero aut minus digni sint Romani, quorum penitus normam percipiamus, aut minus sit fructuosus talis labor. nisi forte crediderunt illos velut imitatorum servum pecus satis habuisse praecepta magistrorum alienigenarum quam fidissima imitatione scholicum in modum exprimere, ut Graecorum rationes qui probe teneat, hac ipsa re habeat compertas Latinorum. — hac autem incuria accidit, ut erroribus a vetusto tempore traditis et per scholas propagatis iam puerorum improvida aetas imbueretur. quales ubi teneros animos penitus insinuati occupaverunt, quantillum loci relinquitur veritati? mihi autem longe secus cum videretur, eam ubique servavi regulam, ne aliunde repeterem per ambages, quae possem ex ipsorum Romanorum indole explicare. praeterea, quod semper evenit in rebus non satis expeditis, exorti plerique qui lecto uno aut altero carmine Latino arcanas artis Romanae rationes et octo saeculorum diversissima placita soli enarrare posse sibi viderentur. quid quod sunt inventi, qui scaenicorum leges metricas parum

compertas dactylicis ingererent quasi certas? contra alii in paucis locis communibus ac pervulgatis subsistere maluerunt, quasi ex sapientum templis serenis ut possent despicere omnia et verbi velut gladio secare metricarum quaestionum, ut ita dicam, nodos. quae adeo placuit plerisque ratio, ut vel in horum poetarum arte plurima hodieque manserint dubia, quorum libri commentariis vastis et doctrina sterili pridem essent obruti. nemo puto omnium hominum peius est post mortem vexatus naufrago illo, quem Horatius memorat c. l. I [28], quippe de cuius manibus tam multae ac mirae ortae sint doctorum disputationes, ut fere quidam videantur statuisse de umbra ut et ipsa excordi iudicaturis haud multum opus esse pectoris. fuit etiam qui animo usus crudelissimo, quem sepulturae expertem fuisse probe sciret, huic vel cenotaphium istud, quod poeta ei paravit carmine, imminuere sustineret suspectando, hic quidem averso deo. quanto autem fuerat utilius Horatii saturarum versus cum Lucilii Persiique ac Iuvenalis, lyrica cum Catulli ac Statii Claudianique et Prudentii numeris comparare.

At ego primum omnium illud induxi in animum, ne cupidius eorum praeceptorem agere viderer, a quibus discere longe esset et iucundissimum et utilissimum, neve crederem aut me aut quemquam alium eorum, qui iam litteris student Latinis, melius posse dispicere, quid conveniret sermoni Latino, quam Vergilium et Ovidium et sequentium doctissimos. praeterea quid iniustius quam vituperare quae non sustinueris explorare?

Sed missis his qui priore tempore de arte dactylica Latinorum bene meruerint iam deinceps enarrabo. ac primum quidem Bentleium non hoc praestitisse ei, quod potuisse tibi persuadeas altitudinem elegantiamque spectando eius indolis, non est quod mirere. nimirum vir variis turbis vitae iactatus plurimisque illigatus negotiis nec voluit nec potuit singillatim enarrare aut scaenicorum aut dactylicorum Latinorum metricam, quippe in qua re, etsi plurima insit ingenii ostentandi facultas, vix minus opus sit diligentia quam maxime anxia ac taediosa animoque remisso et vacuo. quid igitur mirum Bentleium alia potius, si non fructuosa magis, at magis speciosa et iucunda, capessivisse? quod sane

dolendum. etenim quamquam mihi persuasumst illum non dactylicorum rectius quam scaenicorum artis perspexisse rationes, non tamen dubito eum omnium qui poetarum Latinorum libris navarunt operam dicere μετρικώτατον. nec enim tantum laudibus eius detrahunt falsa placita, quantum addunt observata recta. quid quod est certissimum haud paucas eum habuisse perspectas regulas, quarum nullam diserte iniecit mentionem et quae annis post CC cum insigni laude quasi novae rei et inauditae sunt prolatae?

Non ita multa mihi subministravit notissimus in Terentiani librum commentarius Santenii, qui quamquam a Lachmanno paullo acerbius est arreptus [praef. in Ter. p. 18; 19], tamen a perfecto certe plurimum abest metrico. nam et inutilia praebet haud pauca et plurima, in quae ut inquireret ipsa Terentiani verba stimulare eum debebant, frustra apud eundem quaesieris.

Bentleii rationes fere secutus est Godofredus Hermannus, de cuius meritis dicere supervacuumst, nisi quod ea ipsa ad scaenicorum magis quam dactylicorum pertinent opera. quamquam virum tam excellenti ingenio praeditum vel eis rebus, quas mediocriter attingeret, seu veris rationibus utentem sive falsis aliquid luminis affundere par fuit. unde Bentleii Hermannique de erroribus interdum plus commodi capias quam aliorum observatis rectissimis.

Proximus Hermanno, longo sed proximus intervallo, Bentleii viam tenuit Kirchnerus, qui Horatii saturarum libro primo ab ipso seorsum edito praemisit disputationem de hexametri et Latini et Teutonici arte et indole. sed enim magno conamine pauca bene gessit, cum neque poetarum multa esset imbutus lectione et premendo rationem vanissimam nec ingenii elegantia adiutus veris nonnullis plurima falsa aut mediocria immisceret.

At novam quasi et quidem unice veram ingressi sunt viam ad recte tractandam artem dactylicam Carolus Lachmannus et sectatus eum Mauricius Hauptius, nihil ut praeiudicando per arbitria fingerent, sed diversorum tempore aut arte poetarum quam accuratissime exploratam artem non ipsorum potius placitis, sed illorum aestimarent proprietate.

Igitur Lachmannus cum ceteris passim usum poetarum Latinorum illustrasset libris, tum commentario Lucretiano scientiam plurimis quaesitam annis simplicissima nixus iudicii elegantia divulgavit. nam cum iam ab ineunte aetate proba poetarum Latinorum esset imbutus peritia, perlectis tamen, ut refert Ma. Hertzius in vita eius [p. 146], denuo illorum tantum non omnibus plurima eos illustravit observationum copia, quae ad caesuram, synizesin, elisionem, alia spectant, et diligentiam praeclaram et notum eius acumen testantes. ac tamen acriter cavendum duxi, ne amore huius viri laberer. quippe nec falsa neque dubia abesse a disputationibus eius videbam, nec collectanea, quamquam egregiam plerumque fidem prae se ferunt, nusquam eum fefellerunt. ceterum cum aliquando tenerer dubius, quonam usque spatii processisset Lachmannus in poetarum placitis perscrutandis, aliquantisper cunctatus unice sum amplexus, quod dixit ipse [p. 414] eos qui post Iuvenalem scripserint poetas a se non curari, quod quidem ubique verum sum expertus exceptis nimirum locis eis, ubi posteriorum unum atque alterum nominatim ipse memorat.

Nec silenda Hauptii merita, qui, ut alia alibi, sic in observationibus criticis primus poetarum plerorumque placita circa elisionem, quae longam cum brevi copulando admittitur, suptiliore distinxit cura.

Tertius addendus Augustus Meinekius, qui cum alias de arte dactylicorum Latinorum bene meruit, tum in praefatione carminum Horatii iterum editorum de huius arte quaedam elegantiore indicavit studio.

De hexametro dactylico post illos disseruit F. Froehdius in Philologi parte XI [533—543]. qui quamquam veram huius versus condicionem non magis perspexit quam ceteri, tamen et accurate haud pauca et quaedam habet suptiliter observata. idem cum composuisset libellum de elisione Latina, mihi ex hoc ipso quae digna memoria viderentur inserenda operi permisit. pertinuerunt autem eius curae ad poetas Hadriano priores omnes exceptis Martiale, Calpurnio, Statio.

Sed iam accuratius mihi video exponendum, quaenam subsidia nova accesserint editioni alteri.

Itaque primum felicissime evenit illud, ut librorum chartarumque, quibus olim adulescens admodum singulorum poetarum metricae artis potissima quaeque notaveram, post tot annos totque casus longe maior integra extaret pars. qua quanto cum commodo sim usus, siqua in priore editione vel vitiosa viderentur vel manca, facile intellegitur.

Sed scilicet hoc cum cura fuit iterum anquirendum, quam plena, quam certa essent collectanea illa. qua in re repetitis studiis cognitumst a nobis, quamquam et nos quosdam pro imbecillitate humana deprendimus errores commissos et plures sibi alii deprendere sunt visi, summam tamen partem eorum egregia constare fide.

Praeterea cum tot poetarum libri per annos plus XXX, quibus haec cura seiungitur a priore, a nobis sint editi, ut puta Ennii, Lucilii, Catulli, Tibulli, Propertii, Horatii, Phaedri, Porfyrii, Namatiani, porro fragmenta cantorum Euphorionis, nec non scriptorum, qui saec. X u. c. fuerunt, denique eorum, qui Nonii continentur Compendiosa doctrina, ut alia quaedam omittam, nullus fuit ex his, ad cuius rem metricam non redundaret aliquid fructus ex studiis nostris.

Illud autem fuit utilissimum, quod itast effectum, ut iam de initiis artis dactylicae plenius tutiusque posset iudicari.

Adiuvere et rem nostram excerpta a. 1878 ex libris d. r. m. et in epitomen redacta, item summarium orthographiae et prosodiae Latinae paucis mensibus post emissum. denique a. 1880 totam metricam Graecorum et Romanorum compendio iuventutis in usum conscripto sumus complexi.

Praeter haec alia quaedam vel ex poetarum adsidua lectione tracta vel per otium subita quasi inspiratione oblata extabant in margine editionis prioris.

Nec minus ab aliis in poetis Latinis multa rectius instituta quam antea, partim novis librorum subsidiis, partim via et ratione, quae codicibus omnibus sunt potiores. adeoque nova quaedam nec ea spernenda ex oblivione et situ protracta prodiere carmina.

Veluti grato animo memoranda, quae Columellae Haeussnerus, Petronio Buechelerus, Lucano Hosius, Valerio Thilo, Claudiano Ieepius, Martiano Eyssenhardtius, alii aliis praestiterunt poetis. in quibus sicubi erat locus dissentiendo,

tamen codicum scripturae cum cura propositae mirum quantum iuvabant rem nostram. illud autem vel maxime dolendum, quod Ottonis Muelleri recensio Statii non ultra dimidiam Thebaidos partem processit. quam tamen quandoque absolutum iri ne nunc quidem nulla spe tenemur. interim pro vetere amicitia hic illic collectanea nostra ab eo suppleta.

De christianis poetis supra iam dictum.

Neque ea neglecta, quae propriis libris multi prompsere post annum MDCCCLXI de metrica poetarum Latinorum. qualia sicubi opus fuerit memorabuntur. et primum locum obtinere mihi videbantur, quae a Gulielmo Meyero de antiquissima Romanorum inde a Livio Andronico arte sunt prolata libro a. MDCCCLXXXIV edito. porro plurimum profuerunt, quae Antonius Zingerleius variis scriptis, ut Opusculis philologicis, de poetis quibusdam Latinis aetatis posterioris, de Ovidio, de Martiale prompsit. in quibus de rationibus necessitudinibusque poetarum Latinorum, item de arcanis quibusdam artis disputatum subtilissime fructuosissimeque.

Quibus editionibus simus usi in citandis auctoribus, indice adiecto declaratur. et plerumque quidem eaedem, quae ante annos XXX, adhibitae, ne in immensum labor augeretur noster exiguo cum commodo lectorum. sed hercule aliae notae aliique numeri erant apponendi, ubicumque recensione nova eversa erat funditus et immutata species antiqua scriptoris, veluti in Ennio ac Lucilio.

Prior autem huius libri editio ad Augustum Boeckhium et Mauricium Hauptium, professores quondam Berolinenses, data erat. et Boeckhii quidem, qui primus indolem nostram introspexit, gratam semper iucundamque servavi memoriam. Hauptium, etsi talem adversus nos se gessit, nullo iam officio pietatis ut mihi esset prosequendus, tamen in componendo opere multum mihi profuisse ne nunc quidem nego. verum ex commodis, quae doctrina eius usus percepi, illud longe fuit maximum, quod iuvenis admodum Bentleiani ingenii et Lachmanniani penitus sum imbutus admiratione. namque his potissimum viris, siquid profeci in litteris Latinis, debere me profiteor. attamen ne eodem peccarem in aestimandis eis errore, quo Hauptium lapsum esse constat, veneratione

captus caeca, ingenium obstitit nostrum. ac nimium illud studium tantum afuit ut prodesset Lachmanno, ut gravissimo eundem afflixerit damno. nam cum εἰδωλολατρείᾳ tali abalienarentur ab Hauptio auditorum pars maior, ut quisque erat animo sollerti et liberali praeditus, effectumst tandem, ut ne unus quidem in Germania, quaqua patet, disciplinae Lachmannianae extaret auctor. quae res quantum incommodi attulerit antiquitatis studiis non est quod dicam.

Sed iam ut finis fiat prohoemii huius, habes iterum libros de re metrica relectos et, ut potui, emendatos, quo opere auspicati sumus ante annos plus triginta famam et in quo adeo omnes nos ingenii nostri effudisse vires interdum contenderunt inimici. quod etsi secus habet, tamen non nego neque mihi ex scriptis meis ullum magis placuisse neque plus laudium partum alio libro ex nostris. quo magis omni cura provisum, ut editio haec prodiret quam emendatissima. habes igitur multa addita, quae utiliter adici posse viderentur, quaedam dempta, quae sine incommodo existimarem posse tolli. ex quibus haud pauca recisa ideo, quod olim iuvenali ardore inducti acerbius exagitaveramus scripta aliquot, quae merita oblivione dudum pressa rursus cur arriperemus nulla fuit causa. denique omnia ita instituta, ut commodior faciliorque usus fieret legentibus, descripto etiam argumento rerum et additis indicibus copiosissimis. quae cum ita sint, non dubito fore ut nova librorum de re metrica poetarum Latinorum editione et veteres firmentur amici et concilientur novi.

II.

LIBER PRIMVS.

DE STVDIIS POETARVM LATINORVM METRICIS.

Antiquissimi Romani metro usi sunt saturnio. in quo adornando quamquam hactenus eis convenit cum Graecorum versu heroico, quod utrobique arses numerantur sex, duplicato numero ternario, qui antiquitus fuit sacer, tamen pro diversitate linguae iambicos trochaicosque numeros, non dactylicos anapaesticosque, adhibuere. namque species illius haec est:

⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ | –́ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑

malum dabunt Metelli | Naevio poetae.

neque dubitari potest, siqua alia fuere metra vetustissimo tempore apud Latinos, vel iambica fuisse vel trochaica.

Anno autem a. Chr. CCXL Livius Andronicus cum primus docuisset fabulam e Graeco versam, metra usurpari sunt coepta scaenica Graecorum, sed non sine licentia inelegantiaque, qualem tempora parum culta permittebant.

Fuere autem illa iambica, trochaica, bacchiaca, cretica, anapaestica. dactylicorum primum invenitur exemplum apud Ennium in tragoedia [30—33]. ex his nobilissima, senarium iambicum et trochaicum septenarium, iam aliquo fuisse usu apud Romanos ante Livium etsi non potest demonstrari, non tamen caret probabilitate quadam.

Versus saturnius post emissum circa a. CC a Cn. Naevio bellum Punicum editis Annalibus Ennianis et augescente in dies studio litterarum Graecarum cito contemptu et oblivione

pressus est doctorum; vulgi carminibus quin usque ad finem liberae rei publicae interdum sit usurpatus non intercedo.

Numeri graecanici, non abdicata, qua Livius, Naevius, Plautus usi erant libertate, sed cum iudicio aliquo temperata, in tragoedia permansere usque ad necem C. Caesaris, in comoedia vel ultra. adeoque senarius iambicus et septenarius trochaicus populari usu adhiberi numquam sunt desiti, quae res etiam Phaedri probatur fabulis, donec primum per imitationem antiquissimorum, quae inde ab Hadriano coaluit, mox per barbariem, quae post M. Aurelium Philosophum obrepsit Romanis, etiam a doctis rursus sunt recepti.

Versum longum dactylicum catalecticum sex arsibus totidemque thesibus constantem, in quo neque arsis posset dissolvi et pro pyrrhichio posito in thesi ubique substitui syllaba longa, servata etiam incisionum firmitate et finiti ordinis licentia — hunc igitur versum, quem incertae originis, a Graecis tamen inventum princeps nobilitavit Homerus, Romanorum poeticae Latinaeque linguae Q. Ennius Calaber intulit editis Annalium libris et Saturarum. idem et disticha primus composuit.

Prima autem Annalium editio, qua libri continebantur VI, incohata c. a. a. u. c. DLIX, absoluta annis ferme quinque post.

In Annalibus, epico carmine, Ennium arte metrica quantum posset proxime Homeri secutum exemplum adeoque interdum lapsum imitandi studio nimio constat inter omnes. in Saturis, quibus cetera poesis Latinae genera praeter scaenica auspicatus est, an Alexandrinorum magis respexerit placita, quos saepe in his ab eo constat observatos, propter paucitatem reliquiarum incertumst.

Ceterum paullo etiam prius, quam hic vir quae dixi metris adhibitis artis priscae vias ac rationes prorsus inverteret, videtur vetus illud *vatis* vocabulum, quo usi sunt antiquissimi ad poetam significandum, abisse in contemptum. certe Naevius epigrammate sepulcrali et oratione grandi gravique maluit se dici poetam:

immortales mortales si foret fas flere,
flerent divae Camenae Naevium poetam,

cum liceret poni manente numero:

flerent divae Camenae Naevium vatem.

ac fuisse aliquando vatis verbum eo quem dixi usu adhibitum non quidem certo satis declaratur Enniano illo '*scripsere alii rem vorsibu' quos olim Fauni vatesque canebant*', sed ea re quod Varro in libro de lingua Latina septimo [36] diserte illud affirmat. et exempla quidem non iam suppetere cum alias ob causas non est mirum tum ideo, quod eiusdem Varronis de poematis libri, quibus se probaturum rem istam promiserat, periere. nam quod vir doctissimus undecumque Henricus Grauertus in libello academico Monasterii a. MDCCCXLVIII edito [pg. 8] dicit a Gerlachio deceptus apud Lucilium inveniri vatem pro poeta in his: *nec te si pectore vates accipiam,* viderit ipse, quomodo sibi cum Lucano conveniat. sunt enim ea verba ex huius primo [63 sq.]. immo certissimumst ab Ennii tempore usque ad Lucretium et Catullum non dici vatem nisi vel prophetam vel rei divinae ministrum qualemcumque. atque ab Ennio cum ita potius dici satis constet vates, ut est apud Horatium [ep. II, 1, 26] *annosa volumina vatum dictitet Albano Musas in monte locutas,* tamen pro auctoritate viri hoc ipso loco effectumst, ut et saturnius numerus et vatis pro poetae positum nomen abiret in contemptum. at *poetae* vocabulum apud insequentes cum alibi, tum maxime occurrit in oratione gravi et augusta. ita habes apud Ennium:

Enni poeta salve, qui mortalibus
versus propinas flammeos medullitus.

tum Pacuvius versu sepulcrali:

hic sunt poetae Pacuvi Marci sita
ossa.

Catullus ad Furium et Aurelium:

nam castum esse decet pium poetam.

unde apparet, quam sit inconcinnum et a vero alienum, quod coniecit Creechius apud Lucretium [III, 420] esse scribendum '*digna tuo pergam disponere carmina vate.*' verum ab Augusti aetate prima prorsus immutata consuetudine evenit, ut vatis vocabulum pridem desuetum ambitioso repeteretur studio, nec parili modo cum poetae frequentaretur usu, sed quasi grandius et elatius sublimi plerumque orationi adhiberetur.

et quidem augustius fuisse optime declaratur Maronis his [ecl. IX, 32]:

> et me fecere poetam
> Pierides, sunt et mihi carmina, me quoque dicunt
> vatem pastores, sed non ego credulus illis.

quare honoris causa ita appellati, qui pangerent versus. quod sic confirmat Ovidius [am. III, 9, 17]:

> at sacri vates et divum cura vocamur.
> sunt etiam qui nos numen habere putent.

hinc et Vergilius in Aeneide [VI, 662] dixit *vates*, non *poetas*, et Horatius in lyricis numquam *poetae* verbo usus est nisi binis locis. e quibus prior hic est [IV, 2, 33] '*concines maiore poeta plectro Caesarem*'. ubi apparet ne potuisse quidem *vatem* dici ab eo sine crimine quodam arrogantiae. alter autem talis est [IV, 6, 29] '*spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem carminis nomenque dedit poetae.*' hic vero ille aperta antiquorum imitatione certoque consilio dixit poetam. neque enim potest dubitari, quin hanc ob causam poetae sibi vocabulum illi addiderint, ut vel verbo peregrino diversos se a priorum rusticitate et totos ad Graecorum imitationem conformatos declararent. nam et similest, quod praedicat Lucretius Ennium primum ex Helicone detulisse coronam, Italas per gentes quae clara clueret, nimirum relinquentem nemora fontesque Camenarum patrios, id quod sane ipse innuerat Ennius referendo notabile illud de Homero in Parnaso sibi viso somnium, de quo diximus in vita eius. iam cum Horatius plane easdem sequeretur rationes atque illi veteres, quos quidem arte longe superavit, sequitur eum aptissime poetae verbum usurpasse in carmine, quod faceret ad proprias ipsius studiorum vias tutandas praedicandasque. — ceterum quam brevi tempore variata sit cantorum appellatio, apparet vel hinc, quod in Q. Caecilium grammaticum utilem illis, qui ad poeticam tenderent, talem composuit versiculum Marsus:

> Epirota tenellorum nutricula vatum,

cum in Valerium Catonem, similem Caecilii, sed qui aetate paullo fuit prior, ferrentur haec:

> Cato grammaticus, Latina Siren,
> qui solus legit ac facit poetas.

atque ita rursus increbuit vatis vocabulum, ut etiam ali-

quando non praeclarum magis quam quemlibet de grege significaret poetam. sic enim de eis, qui sunt nimis poetae, Horatius [epist. II, 1, 118]:

hic error tamen et levis haec insania quantas
virtutes habeat, sic collige. vatis avarus
non temerest animus. versus amat, hoc studet unum.

tamen tenendum illud proprie vatis vocabulo vel sera aetate maioris spiritus significari poetam. hoc cum ea re deliquatur, quod et Persius et Iuvenalis vatum se excipiunt numero, tum binis dialogi a Tacito conscripti locis. ex quibus prior hic est [c. 9] '*quis Saleium nostrum, egregium poetam vel, si hoc honorificentius est, praeclarissimum vatem, deducit aut salutat?*' alter non minus insignis talis [c. 12] '*aureum saeculum poetis et vatibus abundabat*'. nimirum ut non omnes aves lusciniae, ita nec poetae omnes vates. quid quod post aetatem Augusti vel pedestri sermone reperitur vates pro poeta cum alibi tum apud C. Plinium naturalis historiae auctorem et apud Tacitum? quamquam hunc vatis vocabulo delectari eo minus mirabimur, quod ut poetam ita omnino Graeca vocabula ut aliena a gravitate operis in libris historicis fere devitavit, de qua re dixit Nipperdeius ad Ann. XIV, 15. unde factumst, ut poetae ille vocabulo non uteretur praeter dialogum, diversum scilicet in hoc magisque tenue dicendi genus secutus. est etiam ubi circumscribendo poetae expresserit notionem [ann. V, 8 fin.]. sed de humilis carminis auctore poni vatem non invenio ante Ausonium, apud quem legitur [epist. 5, 36]: *Lucili vatis sic imitator eris;* item [epigr. 70, 8]: *Lucili vatis subulo pullipremo.* et haec quidem de vatis vocabulo. ceterum simile apud nos extitit, quod cum antiquissimo tempore fuisset in usu ad scribendi artem significandam verbum quod est *rizan,* mox praevalente fide christiana et adnitentibus presbyteris monachisque, ut pristini cultus quam maxime aboleretur memoria, illa vox eo quem dixi modo adhiberi planest desita. pro qua externum *scribendi* verbum ita optinuit, etiam flexionem eius ut arriperet, quod inauditum paene voci peregrinae, fortem quam dicunt coniugationem secutum. magis etiam ad haec pertinet, quod, cum poetae verbum ut priore ita vel Ramleri et Goethii aetate satis haberetur decorum et

grave, iam magis magisque in contemptum venire coepit, ita ut nostrorum temporum vates, siqui tamen iam sunt omnino, neque hac appellatione neque vetustiore longe illa, a dictando quae descendit, sint contenti, sed nullum praeter *cantoris* vocabulum satis amplum sibi existiment. nam quod olim Germanorum nonnulli reperire sibi sunt visi quandam bardorum et vatum similitudinem, silentio praeteribo.

Sed iam redeo ad Ennium. de quo plenius nunc rectiusque quam ante annos triginta licet iudicari.

Igitur duabus potissimum rebus effectast novae artis, quam induxit ille, diversitas.

Nam cum versuum italicorum et graecanicorum, qui ante eum in usu fuerant, arses possent omnes solvi, nisi thesis sequeretur nulla, theses autem breves praeter iambum ultimum plerumque possent mutari non modo singulis longis syllabis, sed et brevibus binis, in hexametro pentametroque priori licentiae omnino non est concessus locus, altera ita temperata, ut thesis non posset mutari nisi eiusdem plane mensurae semipede. porro cum tragici ac multo magis comici in efferendis quantitatibus syllabarum saepe vulgi potius usum et quotidianam pronuntiationem sequerentur quam olim receptas leges sermonis Latini, quae quin Graeci legibus fuerint simillimae vix potest dubitari, ab Ennio haec omnia ad Graecorum revocata sunt placita. nam nec iambica, quae frequenter adhibebantur correpta finali, pyrrichiaca usurpari iam passus est praeter pauca eademque plurimo usu velut detrita, in vocalem quae exirent, nec positionis ultra sperni normam, qua neglecta saepe sequentibus consonis duabus, quae non essent muta cum liquida, servabantur breves.

Ac ne scripturae licentia rursus elevarentur quae sanxisset, quas loquendo geminatas proferrent Romani consonas, etiam scribendo iussit duplicari.

Praeterea cum muta et liquida additae praeter *gn, gm* nihil omnino valuissent ad producendas breves, idem non ausus rem Homerici usus aequare severitati, quam vel Graeci olim emollissent poetae, tamen obtinuit, quod inauditum antea, ut pro arbitrio iam in versibus non scaenicis vocalis brevis condicione tali extenderetur.

De elisionis raritate notabili dicetur l. IV.

Etiam alia novata ab eo ad exemplum Graecorum ac potissimum Homeri, cuius animam putabat in se translatam, et pleraque quidem prudenter et eleganter admodum. nec tamen desunt, ubi vel Homeri admiratione nimia vel grammaticis lapsus ludibriis aliave mentis perversitate quadam, qua raro carent magna ingenia, deteriora probaverit. cuius rei l. VI, ubi de tmesi agitur, et alibi promam exempla. idque eo magis dolendum, quod vel maxima fuit huius viri apud posteros auctoritas.

Sed idem cum novas atque integras poeticae vias reperiendo illud insigni conatu commovisset certamen ingeniorum, quo antiquissimorum Latinorum rationes metricae primum acriter concussae, mox funditus sunt eversae, acquiesse ferme videtur translatis hexametro pentametroque, uno equidem addito versu sotadico, qui tamen qualis ab Ennio ipso et a ceteris Latinorum poetis usque ad Varronemst habitus tot abundat licentiis, proxime ut accedat libertate ad eorundem iambicos ac trochaicos numeros. falsa autem Alberti Langii opinio, qui in quaestionibus metricis Bonnae MDCCCLI editis [p. 42] suspicari se ait fuisse vetus genus senariorum apud Romanos, cuius in universum eadem fuerit natura, quae in elegantiore Varronis. nihil enim ad hanc rem firmandam affert praeter binos Ennii binosque Porcii versus. e quibus Enniani sunt hi:

> Enni poeta salvē, qui mortalibus
> versus propinas flammeos medullitus.

porro Licini:

> Poenico bello secundo Musa pinnato gradu
> intulit se bellicosam in Romuli gentem feram.

de his quod statuit Langius, refellitur illud fragmento eiusdem auctoris, quod item e libro de poetis petitum legitur in vita Terentii; at quod de Ennianis, refellere nihil attinet. legenda tamen quae de re eadem in opusculo I sunt adnotata. — sed continentiam illam utrum adhibuerit Ennius satietate gloriae an ob difficultatem operis, non iam licet certo definiri. illud tamen tenendum, ut feliciore longe, ita difficiliore conatu in transferendis hexametro pentametroque esse usum Ennium quam Klopstokium. hic enim habuit sermonem variis grammaticorum curis perpolitum, ille con-

tinua neglectum incuria. hunc praecesserunt poetae plurimi, si non magni, certe non paenitendi, ille anno antequam fuit natus, primum Tullio teste fabulam docuit Livius. denique Klopstokio licuit vel malos versus cum prospera spe emittere, barbaris scilicet hominibus destinatos, qui minime Graeci seu Latini hexametri callerent elegantiam, nullo quantitatis syllabarum vel hiatus sensu praediti, sed digitis computantes numeros, quique oculis magis quam auribus libros tererent, Ennius temptavit iudicium gentis quamquam rudis non tamen degeneris. degeneres enim ab arte metrica veterum eos tantum nominabimus, qui in versibus pangendis prosodiae nullam habuerunt rationem, id quod primum saeculo p. Chr. n. altero evenit.

Neque tamen crediderim statuisse Ennium subsistendum in eis quae ipse novaverat neque digna esse imitatione lyricorum metrorum pleraque. alia enim sermonis Latini, alia Teutonici ratio. sed quaeritur, cur sotadico numero usus sit idem. hoc in Sota propter materiam libri et Graeci exemplaris imitationem factum apparet. at alibi lusuum quendam ac facetiarum arguemus amorem, a quo minime alienus fuit ille.

Praeterea in libris eius non scaenicis inveniuntur solum senarii iambici et trochaici septenarii. quod ne casu evenisse statuamus, et numero fragmentorum haud ita parvo et Lucilii ceterorumque Varrone priorum poetarum vetamur exemplo.

Igitur apparet diversis atque adeo contrariis rationibus usos in metris adhibendis scaenicos et dactylicos, qui fuere usque ad Augustum. nam cum ex illis vetustiores, id quod Plauti maxime probatur fabulis, diversitati studerent metrorum, non perinde rotunditatis numerorum et naturae sermonis Latini habita ratione, recentiores ad sapientiora convertere, ut Terentii, hominis perelegantis, cui praeisse viam suspicor Caecilium, poetam item suptilem, declaratur exemplo. nam is paene solis numeris iambicis ac trochaicis usus. igitur quod non intra trimetros substitisset, paullo inclementius increpuit Quintilianus [X, 1, 99]. cuius quidem verba non tantum de senario iambico intellegenda, sed etiam de septenario trochaico probabile facit alter eiusdem locus [X, 4, 140]: '*at ille comicus aeque senarius, quem trochaicum vocant,*

pluribus choreis, qui trochaei ab aliis dicuntur, pyrrichioque decurrit.' ubi illa, quae de choreis dicta, quamquam mira admodum non puto sollicitanda. nam videntur repetita a doctrina eorum, qui aliquid loci ut iambo in trochaicis, ita trochaeo in iambicis concederent, etsi plerique recte id negarunt. de quo disputarunt docti ad illud Marii Victorini [gr. lat. VI, 83] *quamquam Terentianus* e. q. s. — haec autem confusio rerum vel ab epiploces artificio in numeris iambicis trochaicisque ultro oblato repetenda vel quod *trochaeus* proprie celeriter decurrentem significat, pernicitatem vero cursus merito plerique tribuerunt iambo. sane Quintilianus, vir in aliis rebus valde laudabilis, mirifica haud raro circa res metricas fuit vel ignorantia vel neglegentia. qui videtur et Senecae tragici auctoritate ductus sic, ut dictum, de Terentio iudicasse (nam in dialogo apud illum paene soli inveniuntur trimetri) nec minus Fundanii, amici Horatii, et siqui fuere insequente saeculo auctores palliatae veteris (nam fuisse quosdam constat), qui et ipsi quin paucissimis metris fuerint contenti non potest dubitari. atque ita in atellanis et mimis, qui Sullae Mariique, mox Pompeii et Caesaris tempore viguere, tantum non soli reperiuntur senarii iambici et trochaici septenarii, quibus equidem omnes constant sententiae, quae sub Syri nomine feruntur.

At aliter longe dactylici. ex quibus priores maxima fuere paucitate metrorum exemplo Ennii. contra decem fere post Sullae mortem annis exorti novelli iam plurimum studuerunt multiformibus numeris.

Scilicet vetustissimis potissimam curarum partem collocari placuit in limandis excolendisque versibus, neque ulla re magis superatur ab eis Plautus quam iudicio.

Vsus autemst his, quae dixi, metris Ennius promiscue in Saturis (quarum partem explesse didactica eius carmina, Epicharmum, Euhemerum, Protreptica, Hedyphagetica omnes habet numeros probabilitatis), veluti in tertio libro, qui inscriptus fuit Scipio, et hexametri dactylici et iambici trochaicique inveniuntur numeri.

Iam dignissimum memoria illud, quaenam fuerint eiusdem Ennii in adornandis quae novaverat ipse metris merita. de qua re cum sequentibus libris copiosius sim expositurus, et

maxime in fine operis, tamen praemonebimus illud, tanto esse potiores huius hexametros quam Klopstokii, quanto aptior est Latinus sermo Teutonico ad leges metrorum et quantitatum rite optinendas, ut non iniustus videar futurus arbiter, si in pari versuum numero totidem bonos apud Ennium reperiri affirmaro, quot malos apud Klopstokium. nam nec illud satis amplum satisque honorificum quod Niburius de arte Ennii tulit iudicium [Vorles. üb. röm. Gesch. II, 196 sq.], nec est magni momenti, quod eundem Gellius refert [XIII, 23, 18] minime fuisse solitum servare numeros hexametrorum. fuit enim Gellius, ut Quintilianus, vix suorum, nedum antiquorum temporum artis metricae satis ampla peritia. quare hunc specie deceptum existimo. tantumque abest, ut Ennium diversae a posterioribus licentiae vias pangendis versibus optinuisse credamus, ut potius eius artis, quam varie mox perpolitam ad finem perduxere Vergilius et Ovidius, illum ipsum fuisse primum auctorem satis certo constet pignore. nam et iambi eiusdem et trochaei alienissimi fuere ab scaenicorum.

Ennii auctoritas quanta fuerit apud posteriores, in vita eius [pg. 270 sqq.] est expositum. quae quidem pariter ingenii tanti adauctast admiratione et studiis doctorum, qui post devictum Persen cum quaerere coepissent de grammatica Latina, Cratetem primum Malloten, mox alios secuti e Graecis, non potuere non teneri cura eius, qui linguam Romanorum mirificum in modum et perpolierat et ditaverat. quanto autem iuventus tum amore flagrarit litterarum graecanicarum apparet cum aliunde, tum ex eo, quod Sp. Mummius Achaici frater a Corintho misit Romam ad familiares epistulas facetis, ut ait Cicero [ep. ad Att. XIII, 6, 4], versiculis, hoc est non saturniis, sed vel hexametris dactylicis vel, quod propius abest a fide, trimetris iambicis tetrametrisve trochaicis.

Atque hac Ennii reverentia effectumst, ut poetae inde ab obitu eius ad Varronem et Laevium h. e. usque annum a. Chr. c. 65 extra fabulas non uterentur metris nisi quae ab ipso in Saturis essent adhibita, h. e. dactylicis duobus, senariis iambicis, septenariis trochaicis, sotadeis.

Digni autem cumprimis successores, quamquam diversi studiis et discordes, extitere Gracchorum aetate Lucilius et Accius. ex quibus ille paullo post hunc videtur attrectasse poeticam.

Iam de Lucilii metris quae Lachmannus exposuit libello academico quodam, qui prodiit a. MDCCCXLVIII, paulo copiosius enarrabimus.

Igitur apud eum cum reperiantur praeter hexametros dactylicos et disticha haud dubie trimetri iambici et tetrametri trochaici, quae diverso ab his feruntur metro numquam carent fraudis suspicione. veluti cum Nonius [pg. 287] s. v. 'distrahere, vendere' quasi ex Lucilio petita habeat haec: *dividant, differant, dissupent, distrahant,* neque creticos numeros Lucilio aptos neque *distrahere* pro eo quod sit *vendere* positum agnoscemus, sed excidit aperte cum Lucilii verbis lemma tale: *distrahere, discerpere,* tum nomen poetae scaenici et quidem, ut puto, comici.

Sed ex numeris, quibus usus est Lucilius, si omiseris quaedam non omnino certa, pentametrorum non plus tria extant exempla, et quidem petita ex l. XXII. sunt autem haec:

Lucili columella hic situ' Metrophanes.
Zopyrion labeas caedit utrimque secus.
insignis varis cruribus et petulis.

porro statuit Lachmannus versuum genera sic fuisse disposita per libros singulos, ut priores XXV cum tricesimo hexametris continerentur, excepto quod XXII vel totus vel ex parte constabat distichis, at ex relicuis XXVI et XXVII trochaeis, XXVIII iambis, XXIX utroque perscriptum metro. et cetera quidem, quae nec Scaligerum omnino fugere, non sunt dubia, nisi quod ex libris XXI, XXIII, XXIV, XXV certa non servata sunt exempla. neque umquam in illis, quorum proprium existimavit Lachmannus metrum dactylicum, alius si inveniatur numerus, caret res suspicione. ex quibus quae ap. Nonium leguntur [103, 24] s. v. 'elevit' iam Scaliger volumini XXVI potius quam VI tribuenda esse vidit. quae apud eundem feruntur s. v. 'praecox' [150, 21] quasi e III desumpta libro — nam quod sequitur '*est fuga*' Varronis est —, ea si corruptela vacant, hac ipsa re apparet non ad istum pertinere librum. porro quae volumini XIX tri-

buuntur vulgo sic perscripta s. v. 'cupiditas' [436, 31] *cupiditas ex homine cupido ex stulto numquam tollitur,* et ipsa falso insigniri numero *cupiditatis* iniecto vocabulo evincitur. verum de his plenius actum in recensionibus Lucilii Noniique. ubi etiamsi improbavimus, quod olim conieceramus scribendum in editione priore libri huius nondum penitus perspecta socordia Nonii:

quovis cupiditas
ex homine aliquando, cupido ex stulto numquam tollitur,

tamen usi occasione simile ei, quod tum apud Lucilium deprendisse nobis videbamur vitium, tollemus ex trimetris quibusdam, quos apud Charisium pg. 250 positos primus detexit Hauptius. ibi enim sub zeugmatis exemplo cum haec ferantur: *nihil hominum te fortunae, nihil commiserescit meae? finge advenam esse, nihil fraterni nominis sollemne auxilium et nomen pietatis movet?* non recte, opinor, eius, qui verba facit, fortuna fortunae hominum opponitur, quasi nec ipse sit homo. itaque scribendum existimo *omnium,* mox *tete,* ceterum Hauptii commentis utendum, ut sic sint constituenda omnia:

nil omnium
tete fortunae, nil commiserescit meae?
finge advenam esse, nil fraterni nominis
sollemne auxilium et numen pietatis movet?

Sed quod Lachmannus in libris Lucilii a XXVI ad XXIX subtilius distinxit iambos ac trochaeos, id a nobis in editione ita temperatumst, ut XXVI et XXVII solis concederem trochaeis, contra in sequentibus duobus non trimetris modo iambicis et tetrametris trochaicis, sed etiam hexametris dactylicis darem locum. namque hanc videtur Lucilius tenuisse viam, ut primum Protreptica secutus Ennii cum Epicharmo versus adhiberet quadratos, tum senarios, postremo heroicos numeros. quos quidem libris XXVIII et XXIX aliquotiens cum usurpasset, mox XXX admisit solos. atque invalescente magis magisque auctoritate Annalium Ennii (quos tempore illo Q. Vargunteius in magna hominum frequentia pronuntiabat) iam unice probavit versus dactylicos, hoc est hexametros et pentametros.

Vides igitur ei metra placuisse eadem, quae in Saturis fuere Ennianis, praeter quam quod a sotadeis iudicio usus

recto abstinuit. verum in moderanda arte progressum non casu factum apparet, sed certa via institutum eundemque et aequalibus probatum et posteris. nam qui post Lucilium saturas scripsere, Varronem si exceperis, cuius diversae fuere rationes, solo sunt usi hexametro dactylico. omninoque a paucis admodum insequentium lectas respectasque eas Lucilii librorum partes, quae constarent iambis vel trochaeis, quaestionum Lucilianarum capite II demonstratumst.

Similis Lucilio parque numerorum modestia fuit Accius. cuius Didascalica sotadico fuere metro, Pragmatica trochaico. atque illis poesis Graecae ac Latinae et maxime quidem scaenicae historia tractata, his etiam expositum de rebus scaenicis. Didascalica quo metro essent composita (nam ante existimabantur eodem scripta quo Pragmatica), primus intellexit Lachmannus. cuius invento non repugnat, quod a Buechelero duo senarii detecti in illis [I, 5]:

falsífica (*dest syllaba*), audax, gnáti mater péssimi,
odíbilis, natura ímpos, excors, écfera.

nam haec cum aperte sumpta sint ex tragico, licuit, ut saepius factum videmus apud Terentianum, numeris referri non mutatis. quamquam idem facile potuere accommodari sotadeis, ut demonstratum in editione nostra. Parergis sive Praxidicis (nam unum videtur fuisse opus diversis nominibus) agri colendi praecepta trimetris tradita. at Annales hexametris conscriptos cur suspectarit Bernhardyus [hist. litt. lat. pg. 394 ed. III] non intellego (nihil enim in eis inest, quod alienum videatur ab aetate Accii) nec magis qui potuerit Krausius [de historicis lat. pg. 176] statuere eis sicut carmine Enniano res bellicas Romanorum celebratas, cum privatam potius vitam cultuumque et morum priscorum originem ac progressus descriptos his libris sit probabile. denique ab Accio etiam disticha composita Plinii epistulis demonstratur, qui [V, 3, 6] eum memorat inter auctores levium carminum et lascivorum, qualia eodem metro tum temporis ediderunt Lutatius Catulus, Porcius Licinus, alii. miro quippe errore lapsus Lachmannus a Plinio Didascalicon libros et quidem propter infame Sotadicon nomen tangi statuit [opusc. II, 72].

Praeterea idem quod D. Iunio Bruto gratificatus monumenta quaedam victoriarum honorumque eius dicitur versibus exornasse saturniis [cf. ed. Luc. pg. 311], non est cur existimes antiquariorum ritu ad Faunorum vatumque revolutum placita metrica, a quibus ipse perinde atque amicus eius fuit alienissimus. nempe hic cum veterum ducum Romanorum more, qui nondum erat omnino abolitus, titulos suos versibus vellet celebrari saturniis, videtur auctor extitisse Accio quaerendi de hoc numero, cuius usus paene erat intermortuus, promendique in Didascalicis, puto, ea, quae mox per Varronem in recentiorum grammaticorum transierunt adversaria. atque congruum prorsus rationibus fuit eius, qui ubique in carminibus Graecorum studium maximum declaravit, quod versum a Latinis inventum a Graecis existimavit repetendum exemplis [cf. l. de saturnio versu pg. 8 sq.]. — nam eundem Graecis liberius admissis finalibus (in qua re ei convènit cum Lucilio) et maiore rhetoricis artificiis, seu praestigia dicere malueris, concesso spatio primum inisse eas vias, quas multis annis post Catullus et amici, mox poetae Augusto aequales tenuerunt, satis notum.

Circa idem tempus fuit Sueius, quem cum ex longo veterno resuscitassent O. Muellerus, Fr. Ritschelius, M. Hertzius, mox vero nomine donassemus nos, ne rursus oblivione premeretur, placuit adici Lucilio nostro. apud hunc igitur inveniuntur et hexametri dactylici et trochaici septenarii senariique iambici. — denique Marii tempore Porcius Licinus amatoria carmina metro elegiaco, librum de poetis tetrametris trochaicis composuit.

Hi cuncti ut paucitate metrorum, ita limae studio excepta elidendi parcitate quin imitati sint Ennium non est dubium, quamquam merita eorum propter paucitatem fragmentorum non perinde plerisque innotuere doctorum. quare falsi sunt et digni reprehensione, qui Ennii et ceterorum dactylicos numeros omnis generis abundare licentia existimarunt, italicos autem versus non dubitarunt ad Plauti revocare modulos.

Iam ad auream litterarum Latinarum transimus aetatem, quae continetur saeculo inter Sullae mortem et Augusti

cuius prior pars recte discribetur spatio temporis, quod fuit inde ab anno LXXVIII usque ad Caesaris dictatoris necem.

In qua duae poetarum extitere sectae, altera antiquitatis amans, altera spreta eadem novae studiosa viae. illi praeter scaenicos, de quibus in fine huius capituli agetur, Cicero ac Lucretius adscribendi nec minus Egnatius, qui item de rerum natura libros, et Sallustius, qui Empedoclea composuit, huic Catullus ceterique, quorum carminum reliquiae in appendice exhibentur editionis Catullianae a. 1870 emissae. medius inter utrosque fuit Varro.

Et Cicero quidem qua fuerit Ennii ac vetustissimorum admiratione multis declarat locis. nec minus honorifice de Ennio iudicavit Lucretius loco notissimo [I, 117 sqq.]. itaque ut hunc Luciliumque et cum Pacuvio Accium in dicendi genere multum respexit uterque, ita Cicero in hexametris dactylicis Ennii, in eis, quae de scaenicis vertit graecis, tragicorum quos dixi secutus est metricam, Lucretius Ennii Luciliique ad exemplar se conformavit. et quamquam neuter imitatus est artem illam, quam raritate elidendi probavit Ennius in numeris dactylicis, quaedam, quae erant aspera nimis temporibusque incongrua propriis, vel non receperunt vel recepta mitigarunt. igitur hexametri eorum satis sunt castigati, alieni tamen ab imitatione Alexandrinorum, quam in Catulli videmus epyllio, nec non ab ea mobilitate et varietate, quam admiramur in Vergilio.

Sed post Sullae mortem augescente multum cura grammaticae ac rhetoricae magnoque studio, ut ait Suetonius [de rhet. 1], hominibus iniecto provenit multitudo poetarum, maxime iuvenum, ut in civitate continuo bellis tumultibusque exagitata et seiuncta a Graeco otio, quod dicit Cicero. et tum nova exortast schola, quae ut materia, ita metrica arte multum erat diversa ab antiquitatis sectatoribus seque applicabat ad eorum potissimum exemplar, quos Alexandrinorum nomine denotamus. de qua quid statuerit Cicero constat noto Tusculanarum loco [III, 19, 45], ubi post memoratos Ennii versus haec addit: *o poetam egregium! quamquam ab his cantoribus Euphorionis contemnitur.* sed et Sapphus imitationem tum primum provenisse exemplum docet Catulli. principia autem illorum cur priora anno c. LXX fuisse

existimem non habeo. igitur ab his hexametri curiosius exculti ac nonnulla in eorum arte novata, veluti in producendis ante vocabulum graecum finalibus vel hiatu eadem condicione admittendo nec minus spondeo saepius recepto in pedem quintum (quod a Cicerone ad Att. epist. VII, 2 initio irridetur) — idem, quod mirere, parum navarunt operae pentametro perpoliendo —, nec non pleraque inducta metra nova.

Hexametrorum vero artifices praecipui videntur fuisse Catullus et Varro Atacinus. atque horum potissimum rationibus innititur ars Varii ac Vergilii.

In versibus autem recens inductis inveniuntur, qui exemplis iam careant Graecorum, veluti Catulli iambi, qui spondeum ac tribrachum non recipiunt. quos tamen ab ipso repertos vix credo, quamquam haut nego potuisse fieri, ut a Laevio, quem ingenio singulari magisque amplo quam ceteros fuisse satis constat, quaedam novarentur, ita tamen, ut conveniret eis cum ceteris. praeterea adnotandum nonnullos in tanta versuum graecanicorum multitudine ne Ennii quidem et Lucilii sprevisse numeros, qui in scaena etiamtum optinebant soli. quin etiam intendendo artem ad occasum vergentem Varro scazontas iambicos et trochaicos admissis qua non decebat spondeis composuit, id quod numquam quisquam ausus est Graecorum.

His praemissis ut tota res plenius illustretur, iam de Laevii, quem plerumque adducor ut primum noviciae artis existimem auctorem, Varronisque et Catulli carminum exponetur reliquiis, ceterorum passim adhibitis.

Ac primum quidem de Laevii et aetate et studiis quas protulere quidam homines doctissimi opiniones equidem non possum satis mirari. veluti aliorum sententias, quas enotavit Weichertus, ut omittam, quod statuit vir longe ingeniosissimus G. Niburius [Vortr. üb. Röm. Gesch. II, 389] videri Laevium priore parte saeculi a. u. c. septimi floruisse, quem esse probabile popularibus usum modulis summum suavitatis et elegantiae optinuisse, paucissimis verbis tres gravissimi insunt errores. nam nec Lucilio aequalis fuit ille, fuit Lucretio, nec propriis Latinorum modulis, sed siquis alius Graecorum imitationi studuit, nec lepore et suptilitate potius quam

audacia et difficultate carminum excelluit. et quidem eo, quod dixi, tempore non alio vixisse illum ut Gellii [XIX, 9, 7] testimonio satis aperto cum Hortensii et Catulli plerisque aequalibus ipsum iungentis, ita omni ratione studiorum eius constat haud dubie. nam cum summa Laevium metrorum varietate usum esse extra controversiam sit positum, non potest fieri quin vixerit ille aut ante Augusti aetatem aut post Hadriani. sed enim eum non Anniano modo, etiam Horatio fuisse priorem Ausonii et Porphyrionis [fin. cent. nupt.; ad Hor. c. III, 1, 2] firmatur testimoniis. ceterum quod Ausonius vocat poetam antiquissimum, id hercule eodem iure de eo potuit dici qui plus CCCC annis vixit ante, quo Horatius Livii et insequentium usque ad Accium poetarum scripta ponit inter antiquissima [ep. II, 1, 28 sqq.] et Tiberius oratores temporis Ciceroniani [Tac. ann. II, 83], Plinius [ep. IX, 22, 1] poetas Augusto aequales dixit veteres. illud enim omitto quod satis constat modicam admodum in Ausonio poetarum Augusto priorum fuisse peritiam neque Laevii magis quam Lucilii vel Ennii integra ei innotuisse scripta, sed anthologiam quandam excerptam ex carminibus horum aliorumque liberae rei publicae auctorum.

Venit autem ad nos notitia duorum Laevii operum, quorum alteri *Erotopaegnion, Polymetron* alteri fuit nomen. Erotopaegnia complesse volumina non minus senis Charisii [gr.l. I, 204] asseritur auctoritate. qui cum Phoenicem novissimam dicat eorum oden, haud absurde statuemus perscripta carminibus non ita magnis, quorum compluribus singuli libri conficerentur. unde nec Alcestim aut Ino ac Protesilaodamiam vel cetera mythici argumenti carmina epyllia potius quam idyllia fuisse putabimus, intertexta equidem illa plerumque diverbiis. haec enim non proprios explesse libros, sed partem et ipsa Erotopaegnion satis aperte declaratur exemplo Phoenicis nec minus versibus a Prisciano [903] ex libro Erotopaegnion V servatis, quibus Hectoris et Andromachae amores describuntur. sed sicut fabulosam vetustatem, etiam sui temporis res et homines perscripsit Laevius. nam et Varronis et Vatienae nescio cuius et Liciniae legis invenitur facta mentio [Prisc. p. 922; Caes. Bass. gr. l. VI, 261; Gell. II, 24]. at cetera quomodo instituerit ille non satis comparet,

nisi quod levem tantum et iocularem placuisse illi materiam nomine ipso operis declaratur. de Polymetris nihil omnino habemus compertum nisi quod ipso titulo indicatur. quos equidem quod dicit Bernhardyus [h. l. L. p. 507] partem fuisse Erotopaegnion non magis probo quam quod conversos e Graecis. nam de hoc nihil constat. illud vel ideo parum probabilest, quod tota omnino Erotopaegnia variis fuere composita numeris.

Ceterum in tanta fragmentorum paucitate si certum licebit statuere de Laevio. satis profundi satisque amoeni aio fuisse illum ingenii. quid quod unus inter aequales videtur recte perspexisse idem, quid conveniret poeticae, quid non, cum vel Varronis opuscula et Catulli interdum solis numeris a pedestri sermone differant. sed age iam eiusdem scrutemur rationes metricas. itaque primum omnium ostendam uti Laevium etiam trochaeis Italicis. etenim cum Prisciani l. VII [739] recte iam feratur '*Laevius in Sirenocirca: nunc, Laertie belle, para ire Ithacam*' — ita idem Laevius librum Protesilaodamiae et Varro Oedipothyestae inscripserunt nomine —, non potest dubitari quin tetrametro tali '*delphino cinctis vehiculis hippocampisque asperis*', quem Nonius servavit s. v. 'hippocampi' [120], praeponendum sit '*Laevius Sirenocirce*' pro eo quod antiquitus traditur *naeusus sireno cicer* vel *citer*. et Laevii nomen, qua fuit ingenii sollertia, expedivit Godofredus Hermannus. his recte compositis simul illud apparet, diversis eodem in odario metris usum esse Laevium, cum fragmentum prius aperte constet tetrametris dactylicis, ut versus finiatur post illud *para*. ita in Protesilaodamia inveniuntur et dimetri iambici et ionici anacreontei.

Iam quam multiformis metris fuerit Laevius vel paucissimis illis, quae supersunt, plene comparet reliquiis. etenim praeter trochaeos Italicos habet nuper adscitos a Graecis dimetros iambicos anapaesticosque et scazontes trimetros ac dactylicos tetrametros, praeterea hendecasyllabos et alienum a ceteris Latinis decasyllaborum quoddam genus, denique ionicorum versuum ternas species. sed idem rectone fuerit iudicio in digerenda multitudine metrorum plane non apparet. magis certum illud, elegantiae numerorum curate

studuisse eum sicut Catullum et Varronem, plerumque ut prae versuum difficultate contemneret dictionum venustatem ac modestiam, cuius vitii haud obscura exempla proferuntur a Gellio XIX, 7.

Quae cum ita sint, nihil obstat quin ad Varronem transeatur, nisi haud absurde videbimur fragmenta, quorum de metro certo constat, hoc loco posse addere. sunt autem haec.

I. délphino cinctís vehiculis híppocampisque ásperis.
II. Andrómacha per ludúm manu
lascívola ac tenéllula
capití meo trepidáns, libens
insólita plexit múnera. —
compléxa somno córpora
operiúntur ac suaví quie
dicántur. —
humum húmidum pedibús fodit. —
lex Lícinia introdúcitur,
lux líquida haedo rédditur. —
numquód meum admissúm nocens
hostít voluntatém tuam? —
num quaépiam alia de Ílio,
Asiático ornatu áffluens
aut Sárdiano ac Lýdio
fulgéns decore et grátia,
pellícuit? —
philtra ómnia undique írruunt.
antípathes illud quaéritor:
trochísci, iynges, taéniae,
radículae, herbae, súrculi,
saurae, ínlices bicódulae,
hiniéntium dulcédines.
III. scabra ín legendo réduviosave óffendens. —
seséque in alta mária praecipem ímmisit
mente ímpos, aegra sánitatis hérois.
IV. núnc Laértie bélle pará
íre Ithacám.
V. corpóre pectoreque undíque obeso,
mente éxsensa tardígenuclo
senio óppressum. —
meminéns Varro cordé volutat.
VI. hác qua sól vagus ígneás habénas
ímmittít propiús iugátque térrae.
VII. ómnes súnt denís sýllabís versí.

VIII. in eum ínruúnt, cachínnós,
ioca, dícta míssitántés,
lascívitérque lúdúnt. —
Venerem ígitur álmam adóráns,
seu fémina ísve más ést,
ita ut álba Nóctilúcást. —
mea Vátiéna amábó.
IX. gráciléntí' colórém. —
éx hóc graciléns fít.
X. Vénus amóris áltríx, genetríx cúppiditátís, mihi quaé
diém serénum hílarula praépándere crésti ópseculaé tuae
ác minístraé,
étsí nutiquám quíd foret éxpérta gravís dúra fera áspéraque
famúltás, potuí dóminio ego áccípere supérbó.

Omissa autem a me nonnulla, quorum de numeris etsi non satis constat tamen promere quaedam haud inutile. veluti quod fragmentum a Prisciano pg. 869 citatum *cupidius miserulo obito* habet decem syllabas, potuit ea res casu fieri, potuit tamen illud esse ex decasyllabis versibus, quorum plura a Laevio genera adhibita probabilest. ad eosdem tamen non satis constat revocanda illa, quae leguntur ibidem *nocte dieque decretum et auctum.* ubi si scripseris *noctu,* oritur duplicatus monometer iambicus hypercatalectus, incertum an in duos versiculos dividendus.

Porro in verbis a Frontone pg. 13 ed. Naberi servatis *nulla decipula tam insidiosa,* si copulam addideris alteri, oritur metrum hoc:

núlla décipulást tam ínsidiósa.

quod spondeo in basin recepto frequenter adhibuere poetae ultimorum temporum.

Denique cum a Macrobio VI, 5 [10], ut probaret adiectivum a Vergilio Aen. I, 224 adhibitum, quod est *velivolus,* primo loco apposita sint haec: *Livius* (*Laevius* Ribbeckius) *in Helena:* '*tu qui permensus ponti maria alta velivola*', non paenitet quidem quod olim hexametros restituimus dactylicos sic:

tu qui permensus ponti maria alta carina
velivola.

videturque adeo eiusdem esse metri, quod e Centauris Laevii citat Festus pg. 206:

ubi echo
saepta petris.

attamen potest tolerari illud *maria alta velivola.* nam *mare velivolum* apud Vergilium extat, neque duplicatum apud Laevium epitheton nimis displicet. et fortasse numerus heroicus propter frequentiam et facilitatem non dignus visus est Laevio, quem usurparet. itaque nescio an et hic versus lateant decasyllabi:

tu qui permensus ponti maria
alta velivola.

Ex Varronis libris poeticis cum nihil paene sit servatum, eo accuratius anquirendum de saturis eiusdem Menippeis. de quibus haec notavit Probus ad Vergilii Buc. 6, 31 *Varro Menippeus, non a magistro, cuius aetas longe praecesserat, nominatus, sed a societate ingenii, quod is quoque omnigeno carmine saturas suas expoliverat.* his verbis quod indicatur Varronem exemplo Menippi cynici, qui c. a. 250 floruit, prosam miscuisse versibus, id etiam declaratur Quintiliani testimonio, qui X, 1 [95], postquam de Lucilii Horatiique et Persii saturis rettulit, habet haec: *alterum illud etiam amplius* (*etiam prius* cdd.) *saturae genus, sed non sola carminum varietate mixtum condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditissimus.* quibus verbis significatur, cum ceteri satirici uno hexametro dactylico contenti fuerint (nam Lucilii iambicos versus ac trochaicos non Quintilianus magis respexit quam Persius et Iuvenalis ac plerique), in Varronis libris non modo multa inveniri metra, sed eadem mixta oratione pedestri. illud *amplius* autem materiae significat ubertatem varietatemque, propter quam adiungitur in sequentibus laus doctrinae Varronis.

Ceterum si nihil esset traditum de forma saturarum Menippearum, tamen non minus esset certum multa in eis constare prosa et ab omni abhorrere metro.

Quae cum ita sint, frustra fuit Roeperus, cum statueret omnes earum reliquias versibus contineri, quos ut efficeret maxima usus est audacia in immutandis, traiciendis, supplendis verbis, nullum adeo vitiorum genus ratus a Nonii libris (nam per hunc potissimum servatum quidquid restat ex saturis Menippeis) esse alienum.

Verum etiam magis sententia fefellit Kochium, Vahlenum, Riesium, qui ita mixtos cum prosa fuisse versus statuerunt,

ut passim fieret transitus ab altero genere ad alterum adeoque in eodem enuntiato nec ullo sensus interstitio. nam haec quidem in inscriptionibus inveniuntur haud raro, ubi etiam alia pleraque prostant barbara, at non perinde apud auctores arte cultos, qui solutam orationem copularunt cum vincta, hoc est Lucianum et Iulianum Graecos, Senecam Petroniumque et Martianum ac Boethium Latinos. a quibus hactenus tantum videtur differre Varro, quod plura eum poetica immiscuisse non abhorret a probabilitate. nec vero ullus in saturis eius est locus, ubi copulationis talis, qualem commentus est Kochius, vel umbra inveniatur exempli certi.

Itaque apud hunc pariter et ceteros non excipitur aut prosa carmine aut carmen prosa nisi plene finito sensu; quae res puncti fere nota solet declarari. excerpuntur tamen orationes, quas per se constare, si essent rectae, auctores veteres voluisse vel inde apparet, quod interdum in eis diverso a ceteris usi sunt dicendi genere. igitur apud Varronem habes haec [Non. 182, 30; 230, 32]: *iurgare coepit dicens:*

quae scis, age quei in volgum volgas artemque expromis inertem?

atque ita Seneca [apocoloc. 7]: *et quo terribilior esset, tragicus fit et ait:*

exprome propere, sede qua genitus cluas;

nec minus Petronius [108]: *atque in colloquium venire ausa:*

'quis furor' exlamat 'pacem convertit in arma'?

in quibus adeo vides illud *exclamat* in ipso collocatum versu. sed hoc non erit mirum reputantibus dicendi verbum a veteribus pro ipsius orationis parte plerumque habitum. quam ob rem etiam Catullus in Atti [77], cum prius posuisset id quod est *loquitur,* statim adiecit *inquit:*

laevumque pecoris hostem stimulans ita loquitur:
'agedum', inquit, 'age, ferox i, fac ut hunc furor agitet'.

et similia Graeci. — eademque causast effectum, ut apud Ovidium et alios saepe '*que*' particula, cum ad dicendi verbum pertineret, adnexast orationi, veluti Metam. I [753]:

non tulit Inachides 'matrique' ait 'omnia demens
credis'.

Neque magis est quod mirere interdum carmina incohari a particulis copulativis velut apud Martianum II [141] '*continuoque novo solidantur membra vigore*'; nam ita et alibi

poemata minora adeoque librorum initia [cf. aen. IX] incipere ab eis, quae sunt *et; atque; at; ergo,* nemini ignotum. nec est quod dicam in saturis hisce plane ut in ceteris scriptis continuo a prosa transiri ad versus, ubi aliorum citantur loci, ut apud Varronem [Non. 408, 4]: *dum sermone cenulam variamus, interea 'tonuit bene tempestate serena'.* nam ultima petita ex Ennio [ann. 155] *'cum tonuit laevum bene tempestate serena'.*

Iam cum Seneca et Boethius hanc teneant viam, semper ut singula metrorum genera pedestri sermone interposito disiungant, at Petronius ac Martianus diversa usi ratione sensus interstitio et puncti signo distinctam continuare audent numerorum varietatem [cf. Petron. 5; 109; Mart. II, 118–126; IX, 911—919]. sed Martianus tantum intercalares versus binos ita in duobus libri II et IX interposuit continuatis carminibus. ubi notandum loci prioris in exitu post finitam Thaliae orationem haustum distichon recurrens usque *'scande caeli templa virgo'* e. q. s. — at Varro in utram partem concesserit non satis apparet. nam sicut inveniuntur, quae sensu cum sint similia metris varient, quaedam item arte inter se iuncta carmina aperte secernuntur admixto sermone pedestri. quod ut intellegatur, praeter alia exempla conferendus locus Eumenidum, ubi de Cybele eiusque sacerdotibus agitur [XXXIII—XXXIX ed. Ries.]. ita et in Prometheo libero cum prius talibus esset descripta origo hominum [Non. 71, 17]:

> humanae quandam gentem stirpis conquoquit,
> frigus calore atque umore aritudinem
> miscet;

in re pluribus exequenda usus est prosa [Non. 217, 24]. nam ita facit loquentem Promethea: *detrimenta cibi, qua exeirent per posticum, canalem feci.* ac rursus, ubi de animo agitur formato, posuit sotadeos [N. 172, 7]:

> cum sumere coepisset, voluptas retineret,
> cum sat sibi haberet, satias manum de mensa
> tolleret.

Quam facile autem metra variaverit Varro, etiam hoc loco Eumenidum comprobatur, ubi cum haec essent dicta de Serapi [Non. 201, 11]:

> in somnis venit, iubet me cepam esse et sisymbrium,

mox subiectumst distichon tale [Non. 480, 22]:

hospes, quid miras nimio curare Serapim,
tantidem quasi non curet Aristoteles.

ita enim fere videntur haec restituenda.

Et potuit eo facilius induci Varro ad permutanda et multiplicanda versuum genera, quo magis ceteros Menippeae saturae auctores digressionum superat frequentia.

Sed longe diffillimumst haud raro dispicere, utrum prosa an versibus contineantur verba illius, vel propter genus orationis, quod est secutus. etenim quod suarum et Lucilii saturarum proprium esse testatur Horatius, si tempora certa modosque eripias perturbatis verbis, non iam inveniri velut membra carminis disiecti, id etiam magis dicendum de Varrone, quippe quem sit certum libris suis addidisse multa, quae cum aliena essent a poetica ad fabularum historiarumque et antiquitatum nec non ad philosophiae, rhetoricae, grammaticae aliarumque disciplinarum doctrinam pertinerent. verum cum aliquando Ciceroniani temporis poetas in eligenda materia parum fuisse felices et quaedam eorum carmina vix alia re nisi numeris differre a prosa supra memorarim, apparet non ideo secludendum a verbis Varronis metrum, quod tenuia nimis videantur vel humilia. veluti quis prosa scripta negaret quae secuntur, nisi certo constaret de versibus [Non. 486, 4; 46, 20; 156, 21]:

candidum lact e papilla cum fluit, signum putant
partuis, quod hic sequatur mulierem e partu liquor. —
ideoque alterum appellamus a calendo caldorem,
alterum a fervore febrim. —
mugit bovis, ovi' balat, equi hinniunt, gallina
pipat.

Augetur autem difficultas rei multitudine ac varietate metrorum, quibus usus est Varro, nec non frequentia numerorum trochaicorum et iambicorum. qui cum pro natura linguae Latinae vel in prosa facile oriantur, in fragmentis plerumque brevibus utrum versus sint constituendi iambici vel trochaici necne, quod identidemst dubium non erit mirum. placet tamen ea ratio emendandi has saturas, ut in corruptis locis, si cetera numeros non abnuant, eae potiores habeantur coniecturae, quibus versus eliciantur, etiam ubi aliae non erunt malae nec ineptae. nam frequentius videri a Varrone

quam a ceteris eiusdem generis auctoribus adhibita metra iam supra memoravi.

Quorum quidem varietate quis magis illo excelluerit apud dactylicos non invenio. quippe etiam nunc plus XX comparent versuum genera, quae non alienum duxi enumerari. itaque praeter hexametros et disticha fuere apud eum anapaestici cum dimetri tum tetrametri, deinde phalaecii, glyconei, galliambi, sotadei, porro ex Italicorum versuum genere iambici trimetri et tetrametri, hi quidem sive pleni seu catalectici, et trochaici septenarii octonariique. accedunt bina scazontum versuum genera. quae quidem cuncta metra etiam Graecanica arte perpolita adhibuit. sunt tamen, quae utri generi numerorum adscribas non satis possit discerni. denique haud obscura versuum et bacchiacorum et creticorum et saturniorum deprenduntur vestigia. omissa incertiora quaedam, veluti tetrametri ionici a minori, quos Lachmannus sibi visus est invenisse ap. Non. [267, 2] s. v. 'candet', ubi conferenda quae adnotavi, et tetrametri catalectici dactylici, quorum exemplum extare puto apud eundem [179, 4] s. v. 'terta'. sed summam reputanti non minus XL versuum generibus Varronem usum probabilest.

Ceterum quos Italicorum iamborum sive trochaeorum libertate instauravit ille versus scazontes, non dubiumst quin ipse novaverit propriis rationibus motus, non, ut Heliodorus grammaticus Graecus, corruptis deceptus codicibus. quod autem saturnio numero eundem uti dixi, paullo curiosius persequar. itaque cum Hermannus et Meinekius verissime statuerint inesse metrum illud in fragmentis Varronis, qualibus is circumscripserit finibus diligentius ostendam. nempe siquis sibi persuaderet tales versus saturnios inseruisse libris suis eum, quales olim triumphaturi in Capitolio fixere qualesque vates Marcius et Appius Caecus, mox Livius Naeviusque composuere, is valde foret homo ridiculus. etenim numeros tales satis antiquo tempore non modo e poetico, etiam ex vulgari usu recessisse et hinc apparet, quod de tribus illis vetustissimorum auctorum poematis sepulcralibus, quae refert Gellius, solum Naevii, non Plauti aut Pacuvii istis versibus est compositum, et magis inde, quod in carminibus popularibus, quae ad finem usque liberae reipublicae per-

tinentia conservarunt Suetonius, Velleius, alii, nullum illius metrist vestigium. verum inde a Lucilii tempore magno grammaticarum rerum studio iniecto hominibus, cum carmina vetustissima Romanorum advertissent plerosque, extiterunt qui et saturnii metri scrutarentur curiosius leges. quorum principem videri fuisse Accium iam supra, cum de eo agerem, demonstravi. unde vix dubiumst, quae de isto tradita sunt apud aetatis imperatoriae auctores artis quin ad Varronem ac per hunc ad Accium sint referenda. nam et ab illo in libris de sermone Latino diligentissime metricam tractatam et plurimum hoc opere usos insequentes grammaticos constat.

Igitur Varro Accium secutus, qui primus post Ennium accuratiore ad Graecos omnia rettulit studio, etiam saturnii numeri originem haud dubie existimavit Graecam, quem alii rectius proprium Latinorum habuere [cf. Hor. ep. II, 1, 157], eiusque primus constituit formam, cuius ut perfectissimum a veteribus afferri solet exemplum versiculus Metellorum:

malum dabunt Metelli Naevio poetae.

deinde tantae metrorum varietati, quam videmus in saturis Menippeis, sicut longo intervallo post Terentianus, etiam saturnium numerum adiecit. ac profecto quotquot inveniuntur apud eum saturnii, respondent doctrinae veterum notissimae. et in prima quidem editione exempla a me posita erant haec [Eum. 8; 9; 3; 22; sexag. 5; 4; 8]:

primum íste qui merét sestertiós vicenos.
quia plús, inquit, merére debet, ín quost virtus.
nunc córius ulmum túu' depavit? pérgis? heia.
priu' quam résponderem,
foris nescioquis óccupat res índicare.
ubi túm comitia habébant, ibi nunc fít mercatus.
tunc núptiae vidébant ostreám Lucrinam.
aut avidus
iudéx reum ducébat esse κοινὸν Ἑρμῆν.

ex quibus tamen priora quattuor damnata in editione Nonii; relicua, quae ad maiorum temporis severitatem frugalitatemque spectant, cur prisco metro scripta videri negem non habeo. paenultimo vero versu probatur licentiam solvendi trochaei postremi ut alibi etiam in saturnio servasse Varronem.

Sed de saturis huius dicendi materia cum sit infinita, iam finem faciemus disputandi. quod eo facilius excusabitur reputantibus in recensione Nonii, cuius opera, ut memoravimus, pleraque sunt servata earum fragmenta, ubique rei metricae diligentissime habitam curam.

Iam a Laevio et Varrone ut tempore ita rationibus paullulum fuere diversi Catullus Calvusque et Cinna ac Bibaculus et qui studiorum eis extitere consortes. e quibus Catulli certe de placitis satis plene potest iudicari. itaque cum Laevius et Varro adeo non fuissent contemptores artis veteris, ut eam potius novella elegantia perpoliendam quam penitus abiciendam existimarent, Catullus cum suis pariter dictionis ac metricae antiquae apertissimum declararunt taedium. quippe idem metrorum non varietatis magis quam elegantiae ubique fuere studiosi, Alexandrinorum quidem ut plurimum affectantes proprietatem. quorum rationes nescio an nulla re clarius significentur quam coalitis tum primum hendecasyllabis phalaeciis et iambis hipponacteis. ex quibus hi quam populares iam fuerint Ciceronis tempore (nam de illis monere supervacaneum) docent versus populares a Porphyrione adscripti ad Hor. Sat. II, 2, 50. congruum autem his evenit curis, quod severitatis eius, qua mox Horatium et Vergilium cum ceteris videmus excellere, prima apparent apud cantores Euphorionis vestigia neque desunt, quae hi vel maiore quam illi gesserint cautione.

Restat ut agatur de scaenicis temporis Ciceroniani.

Et tragicorum quidem, quibus addendum esse Pupium ab Horatio memoratum nuper demonstravimus, artis metricae vix alia prostant exempla, nisi a Cicerone ex tragoediis Graecis conversa. ex quibus apparet noluisse quidem poetas aetate aequales a trimetri iambici locis paribus abesse spondeum, sed in prosodia syllabarum easdem fere atque dactylicos observasse leges. substitisse vero eosdem intra trimetrum iambicum et trochaicum septenarium in dialogo, in canticis intra anapaestos, quales priores adhibuerant tragici, et fortasse tetrametros dactylicos, omissis creticis et bacchiis (ex quibus hi quam fuerint tum insoliti auribus testatur Cicero Oratoris quodam loco [55, 184]) omnes habet veri numeros. conferenda autem quae infra de tragicis Augusto aequalibus dicentur.

At ex mimis temporis illius servati sunt Laberii versus non ita pauci, praeterea sententiae Publilii Syri. quae tamen ideo minus tutae, quod non modo aliena sunt intermixta ab ipso puto auctore anthologiae huius, quam Augusti tempore probabilest concinnatam, sed et asperiora quaedam haud dubie mitigata, ut mutatis hominum adaptarentur iudiciis. medio autem aevo quantum sit saevitum in eandem. notum plerisque. itaque difficillima et quae vix umquam possit expediri quaestio fit de arte metrica sententiarum illarum.

Nec tamen potest ambigi, quin et limae studio comici aetatis illius omnes superaverint priores et paucissimis contenti fuerint metris, h. e. iambico et trochaico usitatissimo quoque exclusis fere anapaesticis, creticis, bacchiacis, quorum exempla apud eos paucissima et plerumque suspecta.

Iam ad Augusti tempus antequam transeamus, quod ab anno 44 a. Chr. ad 14 p. Chr. pertinet, paucis age demonstremus, quid commodi quidque exempli ex aequalium Ciceroni studiis metricis redundarit ad poetas insequentes.

Ac primo notandum loco eos haud exigua fuisse auctoritate apud multos eorum, qui Augusti temporis vixerunt priore parte h. e. usque ad Horatii fere mortem. sane non sine fastidio eorum Horatius, ubi de poeta quodam agitur malo [sat. I, 10, 18], scripsit haec:

neque simius iste
nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum.

cui praeter nimiam imitationem Alexandrinorum metrorumque copiam nimiam id maxime videtur displicuisse, quod neque in materia carminum neque in numeris eligendis recto ubique usi essent iudicio neque aut in elocutione aut in metrica abdicassent omnino veterum rusticitatem, quantumvis eam insectarentur. at aliter longe Vergilius [buc. 9, 35]:

nam neque adhuc Vario videor nec dicere Cinna
digna, sed argutos inter strepere anser olores;

porro Lydamus [III, 6, 41]:

sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus
ingrati referens inpia facta viri;

et secutus hunc Ovidius iuvenis [am. III, 9, 61]:

obvius huic venias hedera iuvenalia cinctus
tempora cum Calvo, docte Catulle, tuo.

Atque huius studii amplissima extant documenta, quae Vergilio adscribuntur opuscula, h. e. Culex, Ciris, Moretum, Dirae, Copa, liber *κατὰ λεπτὸν*, item Priapea. omnia enim et materia et dictione ac metro apertissimam prae se ferunt imitationem Catulli eiusque amicorum. et pars quidem carminum illorum ante bellum Actiacum composita; cetera quin ante Horatii mortem sint scripta non est cur dubitetur.

Cultus autem ac limae studio poetae temporis augustei non modo aequarunt omnes praecedentes, sed superarunt. contra multiformis illa numerositas, quam in aequalibus Ciceronis notavimus, non placuit hominibus sive eiusdem sive insequentis saeculi. at eadem rursus multum probatast Hadriani et insequentium Caesarum aetate, cum denuo imitatio coaluisset scriptorum antiquissimorum.

Duo tamen metra popularia facta Euphorionis cantorum per studia, ut alterum per insequentia saecula duo, alterum usque ad finem litterarum Latinarum et ultra plurimo excoleretur usu, hipponacteum et phalaecium. quod incertum utrum Catulli, qui semper magno mansit in honore, evenerit respectu an ideo, quod illa, cum carerent spiritu maiore et leviculis convenirent carminibus, apta fuerunt studiorum mediocritati ei, qua plurimum homines Romani animi causa utque vacuum otium oblectarent composuerunt carmina.

At de Augusti aequalibus ut recte iudicemus, quorum longe religiosissime per omne deinceps tempus observatae valuerunt rationes metricae, primum illud demonstrandum, qua cura, qua elegantia sint usi in perpoliendis metris iam usitatis, porro quo iudicio quave audacia in adsciscendis constituendisque novis.

Et primum quidem hexametri pentametrique ea evenit hoc tempore perfectio, haud quisquam posteriorum poetarum migrare illorum placita ut sit ausus. sed mansere Vergilius et Horatius ac Tibullus cum Ovidio diversorum carminis generum et in versibus pangendis duces, neque summam rationum eorum labefactarunt posteriores, cum singula pro diversitate ingenii vario modo haberent.

Et Vergilii quidem, si novitatem spectes inventorum, exigua sunt merita. namque haec stat animo opinio, hexametrorum eius artem parum differre ab illa, quae in car-

minibus Varronis Atacini et Lucii Varii comparet quaeque non multum distat ab ea, qua Catullum in hymenaeo et in epyllio videmus uti. igitur adhibendo potius paratam artem quam addendo novam diligentiae ac doctrinae, at non perinde ingenii floret laude. sane illud ne iniquissimi quidem eius obtrectatores abnuent, qualibet eum seu lege seu licentia versus cum summa esse usum peritia et diligentia. atque hinc est orta praeclara ars illa, qua omnes omnium populorum superavit poetas, res per ipsos numeros describendi ac velut depingendi. ab hoc autem ut aliis rebus plurimis, ita metricis rationibus diversissimus fuit Ovidius. nam et exceptionum pleraque recidit et caesurarum atque elisionum eas leges constituit, quas ut necessarias universo artis Latinae progressu ne ei quidem insequentium spreverunt, quibus magis placeret Vergilius. idem distichorum artem, quam incohasset post Catullum Propertius, promovisset Tibullus, perfecit talem, non ut iucundius cogitari possit singulis. nam universis isdem ipsa quodammodo officit praestantia, minus tamen illius culpa quam nostra, cum plerique sic natura simus constituti, ut, quasi amphibia perpetuitatem receptaculorum, ita ipsi nec bonarum rerum nec malarum continuatam feramus aequalitatem.

Neque imminuitur laus eius hac re, quod Zingerleius noster in libro de Ovidio composito, incertum subtilius an diligentius, demonstravit plurima eum in versibus conformandis traxisse de priorum aequaliumque tempore poetarum scriptis, lascivia quidem vel urbanitate ductum, quodque facile eius moverentur affectus, non ob paupertatem ingenii. nam auctorum quantumvis diversorum ars ita ab eo temperata, ut omnia in proprio carmine concinna constarent ac rotunda magisque, ut memoravi, nimia aequalitas quaedam esset culpanda.

At in saturis cum iam Lucilius multo saepius hexametrum adhibuisset dactylicum quam cetera metra, Horatius solum illum usurpavit eumque sunt secuti imperatorii temporis auctores Persius, Turnus, Iuvenalis. idem ex licentia Lucilii quaedam in Saturis, multo plura in Epistulis recidit. ad Saturarum magis exemplum se Persius accommodavit, ad Epistularum Iuvenalis.

Sed cum ita ad severiorem multa revocaret normam ille, tamen diligenter abstinuit ab ea elegantia eisque facetiis, quas primum cantores Euphorionis, mox horum exemplo Varro Atacinus Variusque et Vergilius introduxerunt. has enim iambicis tantum et lyricis carminibus duxit aptas.

Igitur ut in fine versus saepe rythmicas violavit leges, ita abstinuit omnino a spondeo in pedem quintum admittendo (nam Ep. II, 3, 467 videtur spurius) nec non a producendis brevibus vel hiatu adhibendo sequente vocabulo Graeco. sequitur eum in utroque Persius. contra Iuvenalem haud ita raro recipere spondeum loco paenultimo demonstrabo l. II.

Sed iam considerandum, quid noviciae tum artis provenerit.

Ac primum dicendum de melicis. quorum quidem quod iam solum testem habemus Horatium, minus id iniquo casu factum, quoniam ipse de studiis suis satis aperte pleneque exposuit. cuius quae huc pertinent verba, quamquam nota, adscribenda duxi. sunt autem haec:

> Parios ego primus iambos
> ostendi Latio numeros animosque secutus
> Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.
> ac ne me foliis ideo brevioribus ornes,
> quod timui mutare modos et carminis artem:
> temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho,
> temperat Alcaeus, sed rebus et ordine dispar e. q. s.

idem paulo post:

> hunc ego non alio dictum prius ore Latinus
> volgavi fidicen.

De versu sexto et septimo quae pluribus sunt dicta in editione Vindobonensi, hic in brevius redacta referam.

Quippe demonstratum ibi illud *Musam* de metrica arte Sapphus et Alcaei dictum (nam scribendum mutato ordine verborum '*Sappho pede mascula Musam*' vel alia grassandum traiectione), sicuti apud Martialem legitur [IX, 11, 17] *qui Musas colimus severiores,* et quidem ideo quod poesis Aeolica logaoedicis potissimum constaret metris h. e. mixtis ex dactylico trochaicoque vel iambico numero, sed isdem simplicioribus alienisque a Doriensium arte multiformi.

Nempe Archilochi omnes versus et ipsi conflati ex his

pedibus tribus, ita tamen ut diversi non iungantur interse nisi per asynartetos velut:

scribere versiculos | amore percussum gravi.
solvitur acris hiemps grata vice | veris et Favoni.
Δήμητρος ἁγνῆς καὶ Κόρης | τὴν πανήγυριν σέβων.

contra apud Aeolenses uno idem et individuo continentur plerumque metro.

Iam quod legitur loco Horatii supra adlato *hunc ego* (potius *hunc quoque*), ad Alcaeum referendum, non ad Archilochum post Bentleium intellexere omnes. neque ullast causa, cur Sapphus in re metrica ab illo rationem habitam existimemus. nec magis de Anacreonte constat, quamquam saepius is ab eo in lyricis iambicisque respectus, aut de Bacchylide, cuius volunt quidam numeros imitatum c. II, 18.

Versus eius omnes reperiuntur apud Graecos, Archilochum puta et Alcaeum Sapphoque et Anacreontem, exceptis duobus, hoc est iambelegico [ep. 13] et maiore sapphico, quem vocant [c. I, 8]. qui utrum ab ipso sint novati ad exempla elegiambici et sapphici minoris necne, non satis constat.

Praeterea talis est diversitas inter Horatium et proxime praegressos tempore, quod cum illi a systematis versuum plerumque abstinuissent, ipse omnia carmina praeter epodon ultimum certa distinxit aequalitate et concinnitate, bina in epodis, at alibi quaterna continuando cola. quarum legum alterius auctorem habuit Archilochum, alterius fuisse exemplum Alcaeum statuit Lachmannus [opusc. II, 84]. sane nullo pacto potest probari aut Catullum praeter Sappho aut Horatium praeter Alcaeum in re metrica imitari poetas Aeolis. neque Anacreontem ab eodem respectum crediderim. sed de his sub finem agetur libri, ubi de systematis dicendum.

Olim autem monitum a nobis ideo ab Horatio primi lyricorum libri prima novem carmina (quae numerum aequant Musarum) totidem concinnata diversis metris, ut statim ipsa πολυμετρία lectorum animos tinnitu Euphorionis cantorum nonnihil fatigatos novis adsuefaceret modulis et conciliaret. ac nescio an eodem consilio ductus in epodis contraria plane ratione per decem poemata idem continuarit metrum, quo citius perciperent homines eum similibus quidem uti atque

Catullum et studiorum consortes vel versibus vel rationibus artis, sed non cum imitatione Alexandrinorum, verum Archilochi, et quidem ignotis ante Latio systematis.

Porro, cetera ut iam persequar, intra iambicos trimetros (qui in lyricis sunt catalectici) dimetrosque substitit idem. quam ob causam longiores hisce versus eiusdem numeri exulant ab insequentium poetarum libris. trochaeorum in epodis nullus, in carminibus perexiguus est usus. nam bis [I, 4; II, 18], non saepius, inveniuntur. cetera in iambicis dactylico constant numero, in lyricis praeter hunc et ionicum [III, 12] logaoedico.

Praeterea cum severitatem artis in hexametro iam stabilitam ad leviora versuum genera transferre conati essent Laevius Varroque et Catullus, Horatius et progressum artis legitimum et propriam Romanorum ingenii sermonisque indolem observando intendit in plerisque rebus decorem lyrici carminis. nam diversus ab auctoribus Graecis et ancipitem quorundam versuum basin firmavit unice admisso spondeo et in mediis quibusdam metris pro communi longam posuit syllabam et quae caesura prius carerent certa distinxit incisione, cum praeisset ex his quaedam Catullus.

Igitur in sapphico et alcaico hendecasyllabo, item in asclepiadeo duodenarum vel senum denarum syllabarum eis locis perpetuo voluit finiri verbum, ubi vel Graeci saepius fixissent interstitium orationis vel optime figi posse videretur.

Iam quod Christius, vir sollertissimus, non tam suam propriamque moribus Romanorum et convenientem linguae Latinae rationibus indolem quam grammaticorum aequalium praecepta in novandis legibus istis secutum Horatium contendit in libello Monachii a. 1868 edito idque persuasit multis, probare non possum. nam cum inde ab Livio, multo autem magis ab Ennio videamus labore continuo nec umquam intermisso omnes omnium generum poetas Latinos id egisse, ut ad severiores ideoque congruas naturae gentis suae ac linguae leges revocarent metra a Graecis tracta, cur Horatium novis rationibus ac non eis, quae per annos paene ducentos in poetarum scholis obtinuissent, in lyricis metris temperandis ductum esse existimemus? accedit, quod Catullus, quem constat eadem grammaticorum prae-

cepta potuisse noscere, quae ab Horatio observata credit Christius, tamen minime eadem utitur severitate normae in metris eisdem vel similibus eorum, quae Horatius adhibuit, sed ita, ut et ipse iam satis multum a Graecorum recedat libertate. igitur ut Lucretius et Catullus, mox Vergilius Ovidiusque hexametri pentametrive artem legitimo et congruo indoli Romanae progressu excoluerunt accuratius convenientiusque aequalium melius litteratorum placitis, ita Horatius lyricos cantorum Euphorionis modulos magis iam perpolitis hominum iudiciis et aucta doctrina legibus adstrinxit artioribus.

Nec tamen ignoro adeoque primus, nisi fallor, demonstravi, quantum momenti habuerit in metrica scriptorum veterum constituenda rerum grammaticarum studium, in quo Latini poetae etiam diligentius frequentiusque versati sunt quam Graeci post Alexandrum Magnum. itaque non est cur negetur, cupidine illa metra pleraque ex nobilissimis duobus, hexametro dactylico et trimetro iambico, deducendi, cuius prima vestigia ut in prohoemio memoravi, inveniuntur apud Varronem, aliquid collatum ad formas eas, quas novas in lyricis instituit Horatius. at tamen propria multo magis sollertia iudicioque quam summariis professorum metricis praestantissimum quemque poetarum adiutum in arte versuum temperanda apparet, ut iam alibi dictum, vel ex eo, quod plurima eademque ineptissima praecepta grammaticorum reiecerunt idem ac reliquerunt.

Accedit quod vix est probabile aut Aeolensium metrorum, quae primus novavit Horatius, apud ullum ex grammaticis Latinis, qui tempore praecesserunt, aliquam, ne dicam accuratiorem, fuisse descriptionem aut a quoquam Romanorum Graecorumve eas lyricorum versuum caesurarum leges adnotatas, quibus ille constantissime utitur.

Nec vero ultra Iones et Aeoles processit idem, qui de imitando Pindaro quid iudicaverit notum inter omnes, quamquam processere alii. e quibus Pindarici carminis sectatores praedicantur Titius [Hor. epist. I, 3, 9—13] et Rufus [Ovid. ep. ex P. IV, 16, 28]. quibus quomodo evenerit res non iam licet discerni, nisi quod alterum eorum urbana quadam

irrisione videtur tetigisse qui mentionem eius facit Horatius. sunt enim eius versus tales:

quid Titius Romana brevi venturus in ora?
Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
fastidire lacus et rivos ausus apertos.

Sed dignius longe memoria, quod eiusdem temporis tragici iam abdicatis Ennii Pacuviique et Accii placitis eadem qua Seneca iambos ac trochaeos arte adornaverunt, quos secuti sunt posteriores omnes.

Qua quidem in re difficultatem praebent non tacendam trimetri duo cum dimidiato auctoris incerti, qui citantur a Seneca ut tumoris tragici exemplum omnibus notum [ep. 80, 7; cf. et Quintil. IX, 4, 140]. sunt autem tales:

en, impero Argis. regna mihi liquit Pelops,
qua ponto ab Helles atque ab Ionio mari
urguetur Isthmus.

nam cum haud dubie referant illi severissimam artis recentioris normam spondeo vel anapaesto ubique reposito in sede impari, eosdem tangi existimant a Cicerone in Oratore [49, 163]. qui postquam dixit legenda potissimum oratori verba bene sonantia, sed non, ut poetae solerent, exquisita ad sonum, verum sumpta de medio, sic creditur pergere: '*qua ponto ab Helles' superat modum.* ubi exprobratur insolentiore dictus traiectione *pontus Helles* pro *Hellesponto.* quam ad rem expediendam triplex patet via.

Primum enim potuit Accius vel alius quis antiquiorum bis terve trimetros graecanica arte adeoque ea, qua excluditur iambus a loco primo, tertio, quinto, proferre, sicut in Ennii Athamante [330—334] inveniuntur quinque numero nullis in secundo quartoque pede spondeis. nam quod *en* voculae usum ut recentiorem arguit Ribbeckius, quae de *en* et *em* suptilius disputata prompsit idem in libello de particulis Latinis a. 1869 edito [pg. 36], non ab omni parte certa mihi videntur ac tuta. accedit, quod Quintilianus ubi affert versum primum, statim Terentii, tum Catulli adiungit locum.

Praeterea possis coniectare sub finem Ciceronis vitae extitisse, qui Alexandrinorum poetarum artem transferret ad tragoedias Latinas. sane a Cicerone rarissime respiciuntur

sui temporis poetae, qui novas inierant vias. propter admirationem veterum, quos spernebant illi. sed potuit exceptionem facere, ubi locus erat carpendo.

At nullam omnino esse causam, cur verba a Cicerone citata referamus ad locum a Seneca laudatum demonstrat codicum Oratoris auctoritas. qui non habent *qua ponto ab Helles*, sed *qua pontus Helles,* praeterquam quod in unost *ponto.* igitur non minore iure putes tangi illis ea, quae Varro citat d. l. L. VII [21]: *quasi Hellespontum et claustra.* ubi sane plerique pro illo *quasi* reposuerunt Cassii nomen, poetae tragici, quem bis alibi memorat. sed nihil opus. nam saepe ab eo omissi locorum allatorum auctores. *claustra* autem non dicta, ut putat idem, quod Xerxes quondam clausit Hellespontum, sed quod hoc praetexitur Propontis. quae cum ita sint, nescio an totus locus ita sit refingendus ac supplendus:

qua pontus se Helles et claustra porrigunt Propontidos.

nam Varronem, qui propter illud *claustra* affert verba, non curasse traiectionem a Cicerone notatam haud mirabimur. potest vero metrum esse Accii. certe quae secuntur apud Ciceronem et Varronem, item sumpta ex tragoediis.

Quid autem fiet versibus a Seneca pro exemplo dictionis altissimae et vere regiae propositis? eis equidem contineri existimo initium Thyestae Varianae, quae fuit tragoedia cum Nasonis Medea longe celeberrima s. p. Chr. n. I. haud procul autem ab his afuere quae Quintilianus citat l. III [8, 45].

Itaque ut redeam, unde sum digressus, novae artis in iambis trochaeisque tragicorum non invenitur vestigium certum, quod Augustum aetate praecedat. de qua re quod verissime statuit Bentleius [ad Hor. ep. II, 3, 260], confirmatur et fragmentis poetarum et Horatii versibus [ep. II, 3, 259], quibus dicit Ennium propter trimetros abundantes spondeis pari loco positis aut neglegentiae aut ignorantiae turpi premi crimine. quis enim credet tam inclementer de hac re iudicaturum fuisse illum, si amici eius Asinius et Varius, tersissimi poetae, idem cum Ennio Accioque sumpsissent sibi licentiae? immo notissimo Saturarum loco [I, 10, 42] novam Asinii artem haud obscure apparet significari. quamquam vereor, ne nostrorum temporum criticis pleris-

que, Bentleio longe potioribus, aegre persuadeam veritatem istius praecepti. certe apud scholiastam Statii cum extent haec: *Pomponius in armorum iudicio* '*tum prae se portant ascendibilem semitam*', ea O. Ribbeckius L. Pomponio Secundo, qui fuit aequalis Senecae, nulla dubitatione adtribuit, addito fortasse γραφικῶς admissos esse spondeos. sane amat spondeos Ribbeckius ponere ubi metrum eis corrumpitur. veluti talem idem proposuit Laevii quasi galliambum '*tu qui pĕrmensŭs ponti maria alta vèlivola*', quem si cautius quam citius retractarit, apte recordabitur illud Catulli verius galliambicum '*iam iam dolet quod egi, iam iamque paenitet*'. sed mirum neminem intellexisse non esse Pomponii hunc versum, esse Pacuvii. quae res etiam eo confirmatur, quod adiectivorum in *ibilis* exeuntium eis quae plus habent quattuor syllabis praeter composita post Vergilium Horatiumque nullus fere usus est poetarum nisi ultimo tempore christiani, quorum sunt *convertibilis* [Prudent. apoth. 276], *impossibilis* [ib. 833], *immarcescibilis* [Paul. Nolan. 15, 360], *invisibilis* [ib. 36, 207], *incomprensibilis* [ib.], alia. at hercule antiquissimi Latinorum haec ut similia polysyllaba cum magna adhibuere voluptate. unde quis ignorat Pacuvium ipsum a Persio [1, 77] arreptum his versibus '*sunt quos Pacuviusque et verrucosa moretur Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta?*'

Porro, sicut in iambicis, et in choricis satis similes Senecae extitisse Augusto aequales tragicos probabilest, quos quidem puto pro libidine Laevii et Catulli, mox Horatii usos esse metris lyricis, praeterea anapaestis monometris, ut Senecam, quos quidem ab ipsis novatos existimo. locum autem non mediocrem apud eos optinuisse chorica inde concludas, quod in tanta Varii, Santrae, Gracchi, Ovidii carminum reliquiarum paucitate inveniuntur tria anapaestorum exempla. illud tamen fragmentum, quod gravissime adfectum legitur apud Marium Victorinum pg. 2503, potius ad iambicos numeros videri revocandum olim monui. anapaestos constituere docti minime tolerandos. suspicor autem olim verba concepta fuisse in hanc fere formam:

sonora nervis primum ab hoc septemst fides
intenta variique additi vocum modi,
mundi perennis dulce quis resonat canor
sua se retro volventis in vestigia.

ubi per illud *ab hoc* significatur Mercurius vel Apollo, *perennis* trahendum ad *canor*.

Denique comicorum ab illa aetate quae iam fuerit norma quamquam in tanta reliquiarum paucitate non licet definiri, tamen haud absurde novam tribuemus artem his et ipsis, quorum non prodierint in scaenam libri. inter quos fuisse suspicor et Fundanii, amici Horatii, fabulas. e ceteris mimographos saltem quin semper spondeos eis sedibus, quibus non decebat, et tunc et omni tempore immiscuisse credamus, non intercedo. quid quod Claudio imperitante horum potissimum libertate fisus et exemplo, puto, motus Syri sententiarum Phaedrus, libertinae sortis homo, trimetris suis admisso locis paribus spondeo alienam ab aequalium placitis normam videtur constituisse? nec vero fuit absurdum fabularum genus proximum comoediae eadem atque illam licentia tractari.

Iam sequentium temporum studia metrica probe aestimaturis primum omnium tenendum illud, nullo pacto videri probabile inde a Tiberii aetate quemquam poetarum Latinorum ad imitationem conformatum Graecorum petitis, ut ita dicam, ab ipso fonte aquis denuo quasi irrigasse artem Latinam, nisi forte Verginius ille, qui, ut Plinius testatur [ep. VI, 21], non solum Menandrum et aequales huius, etiam priscam Graecorum comoediam facetissima expressit aemulatione, vel metrorum novitate Aristophanis multiformem, quam dicit Terentianus, imitatus est sollertiam. et Plinius quidem laudibus splendidissimis amici sui coepta prosequitur. quarum in fine verba sic collocanda: *fictis nominibus apte, decenter veris usus est* vel *veris usus est decenter.* traditum: *f. n. decenter, v. u. est apte.* vix autem memoria dignum, quod demonstravit Gulielmus Meyerus in libro de hexametro Graeco et Latino s. VI Priscianum, hominem Constantinopoli degentem, praemisisse laudibus Iustini XXII senarios iambicos admisso in locis paribus anapaesto et neglecta interdum caesura Graecorum quorundam secutum exemplum. nam neque nos scholasticorum ad ineptissima quaeque propter materiae defectum prolabentium habemus rationem nec Sereni vel Ausonii in libris aut siqui alii metrorum varietate excellunt ullum apparet Graecorum imitationis

vestigium. sed quod apud hos subinde extant versuum genera, quae non prius apud Latinos inveniantur, minime hac re infringitur observatum istud. etenim ut omittam Laevios et Varrones haud dubie usos metris quibusdam, quorum nunc quidem tertio demum quartove post Christum natum saeculo reperiuntur exempla, apparet enchiridiis grammaticis, quae extant, multas numerorum species edoctos in scholis pueros, quae aut nullo aut perexiguo apud poetas veteres fuissent usu. praeterea qui per tantum spatium temporis primum Graecorum hominum, mox suorum usi essent institutione, eos abhorrebit a probabilitate aliquando ipsos nova protulisse metra? neque vero Vergilius Horatiusque metricorum solum placitorum similitudine Homeri et Alcaei noscuntur imitatores. abstinuere autem ab aemulatione Graecorum principis p. Chr. n. saeculi poetae modestia elegantiaque ingenii, insequentes antiquissimorum auctorum Latinorum studio, cui adeo effuse optemperarunt, ne popularium quidem libris, post Augusti mortem qui provenissent, ut iam vacarent. idem ultimorum imperii Romani temporum scriptores amor, praeterea ingruens undique barbaries a pernoscendis Graecis prohibuit. itaque cum in eo subsisterent a Tiberii tempore auctores, ut paratis priorum uterentur copiis, dignum tamen memoria istud, quod miro consensu Aeolica versuum systemata repudiarunt. cuius rei antiquissimum exemplum praebet Seneca. qui cum in Medea [579—606] septies posuisset stropham sapphicam, qualis est apud Horatium, toties continuavit alteram [607—669], qua versus adonios singulos subnexit octonis hendecasyllabis sapphicis. idem plerumque singulis versibus Horatianis veluti sapphico sive asclepiadeo usus est ad taedium usque repetitis et exclusis supplementis horum legitimis adonio atque glyconeo. atque eiusdem perversitatis multa apud christianos poetas inveniuntur exempla. quid quod veteris artis adeo seu non gnari fuere sive incuriosi, ut ne tum quidem Horatii placerent ipsis systemata, cum versus eorum eodem, quo ille, iugatos adhiberent ordine. velut a Prudentio peri stephanon c. 12 et epilogo scriptorum eadem usurpata metra, quae ab illo I, 4; II, 18, sed per disticha. sane verae Horatii metrorum rationes ut primo contemptu, ita

mox inscitia videntur esse obrutae. nam ne in Caesio quidem Basso, qui distat ab eo annis non amplius LXX, recta earum inest peritia. neque tamen inde repetemus illud, quod dicit Fridericus Schlegelius [I, 237] metrorum, quae a Graecis sumpsissent Romani, praeter hexametros et disticha vix aliud evenisse populare et acceptum in vulgus. nempe illi, de quibus his libris exponitur, auctores cum scriberent non indoctis et ultimae sortis hominibus, verum liberaliter eruditis et apud quos quo quis esset magis imitator Graecorum eo esset celebratior fama, apparet nihil ad hos pertinuisse, quid faeci Romuli et plebeiis auribus probaretur. neque versibus Horatii abstinuere poetarum plerique, abstinuere systematis, quae quidem quaternorum essent versuum. ea vero quod plerique, quo vidimus, contemptu omiserunt, dubito, an inde dicam evenisse, quod fuere studiosi artis tenellae, mollis, delicatae, quae longiores versuum nexus ut gravitate nimios aspernaretur. praeterea cum systemata illa numerorum constent arcana quadam ratione musica, quam nos quidem alienissimos ab ingenio iudicioque veterum perspicere licet facilius quam percipere, credibilest vergentium ad occasum temporum homines ut aliarum legum carminis, ita eius, quae certa quaedam versuum genera secreto artis contineret vinculo, perdidisse sensum. qui nescio an ea re contineri systemata crediderint, ut certus versuum ex arbitrio selectorum numerus, etiam sensus clausula ille distinctus, identidem repeteretur. tales enim christianorum plerique novas confecerunt strophas. -- porro ut systematis Aeolicis iunctorum, ita synaphia cohaerentium versuum paene evanuit memoria.

Superest ut exponam, in eligendis priorum exemplis quomodo interse diversi fuerint diversorum temporum homines. mox quid idem praestiterint in adornandis perficiendisque metris propriis declarabo. itaque poetae, inde a Tiberii principatu usque ad Hadrianum Caesarem qui viguerunt, elegantissimi iudicii homines, parci ac modesti fuere adsumendis versibus. veluti Petronius praeter hexametros et disticha usus invenitur trimetris iambo seu spondeo finitis, porro dimetris catalecticis et numeris anacreonteis ac sotadicis phalaeciisque. deinde eadem modestia fuit Martialis,

qui in tanta epigrammatum multitudine septem non amplius genera versuum adhibuit. at ex eis, qui graviora tractavere argumenta, Statius in Silvis semel systemate sapphico semelque alcaico usus, alibi hexametris et hendecasyllabis. tum Senecae in tot milibus versuum metrorum genera praeter chorica quaedam liberius habita, quae tamen et ipsa simplicibus admodum constare numeris in fine huius libri demonstrabitur, inveniuntur paullo plus decem. quantillum hoc est, si cum Laevii Varronisque compararis ubertate.

Sed intellegitur cultissimo saeculo et flagrantibus, si umquam, in populo Romano poeticae studiis non defuisse, qui spreto aequalium more proprias inirent vias. veluti narrat Suetonius [de gramm. 23] a Palaemone grammatico carmina composita variis nec vulgaribus metris. atque huc pertinet Martialis epigramma illud [II, 86], ubi quod in fine memoratur Palaemon, videtur significari idem ille:

quod nec carmine glorior supino
nec retro lego Sotaden cinaedum,
nusquam Graecula quod recantat echo
nec dictat mihi luculentus Attis
mollem debilitate galliambon,
non sum, Classice, tam malus poeta.

et infra:

scribat carmina circulis Palaemon:
me raris iuvat auribus placere.

quo etiam testimonio docemur artificiorum metricorum amorem deficiente sensim materia mirifice adauctum s. p. Chr. primo, qui deinde plurimum optinuit ultimis imperii temporibus.

Verum sana illa mediocritas multum immutata, cum ad ignaviam paullatim declinantibus ingeniis magna vetustissimorum auctorum admiratio exortast.

Sane ne praecedente quidem aetate antiquariorum totum intercidit genus. de quo scita, nimis tamen exaggerata haec ponit Seneca in epistulis ad Lucilium [114, 13]: *multi ex alieno saeculo petunt verba: duodecim tabulas locuntur. Gracchus illis et Crassus et Curio nimis culti et recentes sunt; ad Appium usque et ad Coruncanium redeunt.* ad quod studium promovendum videtur aliquid contulisse Valerius Probus grammaticus, homo provincialis, qui imperante Ne-

rone lectionem auctorum vetustissimorum, qui vulgo iacebant, rursus resuscitavit [Sueton. gr. 24].

Mox eiusdem vindex ac patronus extitit Hadrianus Caesar insolentia ingenii et pravitate. qua ductum eum Ciceroni Catonem, Vergilio Ennium praetulisse auctor est in vita [c. 16] Spartianus. atque hic, ut solent reges rerumque potentes, multos habuit adseclas et adsentatores.

Inversa autem hominum iudicia ad pedestrem solum orationem nove conformandam pertinuisse nec per se probabilest et refellitur eis, quae mox exponentur. ea autem res ideo minus advertit doctos, quod poetarum Frontoni aequalium tantum non omnis intercidit memoria. quo magis est notandum illud, qui soli memorantur vates eius aetatis, Annianum et Iulium Paullum disertis verbis praedicari a Gellio litterarum veterum hoc est Augusto priorum admodum fuisse peritos [VI, 7, 1; XIX, 7, 1; cf. XX, 8, 4]. itaque varietati numerorum quam maxime studuere, et quidem, quod dignissimum memoria, Laevium Varronemque potius quam Catullum et Horatium imitati. igitur poetae qui secuti Annianum ab Hadriani tempore vixerunt usque ad finem saeculi III (eorum habes collecta fragmenta in appendice editionis Rutilianae) in metris fuere multiformes, tenelli, arguti. unde et minima quaeque et maxima versuum genera mirificum in modum eis placuerunt. porro idem abstrusis laetati numeris, sive quos dixi duces etiam hoc praeierant, sive ipsi probavere primi. cui non dissimile studiost, quod iambi ac trochaei Italici, qui olim ignorantia, mox contemptu essent obruti, iam docta imitatione et vanitate gloriae sunt repetiti, quali ne fingi quidem potest conatu absurdius. ac primum quidem Appuleium satis constat in libro Ludicrorum iambis usum Italicis. ex quibus ipse versus quosdam servavit in apologia [226 anthol. Meyeri]. alterum carmen ex Menandro, ut fertur, ductum codice Isidori Bellovacensi, qui periit, servatumst [230 M.]. puto ab eo et trochaeos Italicos compositos, quamquam in versiculo a Nonio pg. 68 s. l. 'abstemius' servato hoc:

sei fuisti quondam Athenis parcus atque abstemius

exclusi sunt a loco impari spondei. praeterea in ioculari

libello Frontonem suspicor usum senario tali [pg. 262 ed. Nab.]:

et illae vestrae Athenae Dorocorthoro.

quae male orationibus adsignantur, cum et numeri sint manifesti et alienae sint ab actionum gravitate facetiae istae, quibus irrideri existimo hominem Gallicum, cui patria sua viderentur Athenae Atticae. ceterum diversissimumst illud, quod ultimis temporibus non Prudentius quidem vel Avienus seu Boethius, sed Ausonius, Paulinus, alii aliquando ubi non decebat admisere spondeum, id quod sola neglegentia evenisse constat. ac ne in ludo quidem sapientium [pg. 104 ed. Sch.] consulto credo quasi scaenicae artis similitudine ab Ausonio vitiari iambos, sed potius elegantiae defectu, qualem passim evenisse constat aetate illa.

Principes autem rationum harum fuisse videntur Florus eiusque amicus Hadrianus, qui more Laevii anacreonteis dimetris usus est, item iambicis, deinde Annianus, cuius supra inieci memoriam.

De Anniano cum ne Lachmannus quidem, qui de eo egit praef. ed. Terentiani pgg. XIII sqq., satis recte disputasset, dictum a nobis in editione Rutilii pg. 34 sqq. — igitur sic habe: ab hoc solo conscripta esse Faliscorum carmina, dicta, quod in agro Falisco haberet fundum [Gell. XX, 8, 1]. quae cum docta appellat Terentianus v. 1998, imitationem Catulli eiusque sociorum indicat. praeterea ab eodem compositi Fescennini [Auson. cent. nupt. pg. 146 Sch.].

Huius autem, non Sereni versus sunt illi, metro Calabrio scripti, quos citat Terentianus l. m.:

quando flagella iugas, ita iuga,
vitis et ulmus uti simul eant.
nam nisi sint paribus fruticibus,
umbra necat teneras Amineas.

quae verba male intellecto Terentiano adscripsere Sereno et veteres docti et recentes. quamquam non nego eum, qua fuit numerositate, potuisse uti etiam illo metro. — in eisdem Faliscis fuere anapaestica haec:

uva una, set uva Falerna,
et ter feror et quater anno.

item:

unde, unde colonus? Eoi
a flumine venit Oronti.

Vsus autem Anniano ante Terentianum Iuba grammaticus, ut quem c. a. CC p. Chr. floruisse facile tibi persuadeas.

Iam Falisca Anniani carmina secutum Septimium Serenum etsi non certumst, tamen propter argumenti similitudinem pariter et numerorum multitudinem valde videtur probabile. confirmatur res quodammodo versiculo, quem in Centimetro [gr. l. IV, 465], ut cetera exempla omnia, proprio ingenio fictum proponit Servius:

docta Falisca, Serene, reparas.

De Sereni aetate cum non constet diserto testimonio — nam qui eius in carmine ad Magnum Felicem scripto [263] cum aliis plerisque fecit mentionem Sidonius, temporum rationem omnino non habuit —, plane tamen accedendum existimavi ratiocinationibus Lachmanni, qui eum priori saeculi p. Chr. n. tertii adscribit parti [praef. in Terent. Maur. p. XII sqq.]. cuius opuscula ruralia libris plusculis composita quod interierunt, satis id acerbo casu factum. nam et numerorum elegantia et sensuum proprietate excelluit. quare abstrusa quaedam et contorta imitationi veterum et imbecillitati saeculi facile condonabuntur.

Quae cum ita sint, ut supra Laevii, ita hic Sereni placuit potissima apponi fragmenta. de quo pluribus expositum in appendice editionis Rutilii.

I. ínquit amícus agér dominó:
sí bene mí faciás, meminí. —
pínea brácchia cúm trepidánt,
aúdio cánticulúm Zephyrí. —
rúre puélla vagát viridó. —
II. ét nihil ést quod amém Fláminiá minus.
III. píngere cóllibitúmst. graphidém date, prómite bólariúm.
IV. callét senium árte bibéndi. —
culicéllus, amásio Túllae. —
labiúmque insígne revéllit.
V. cedo téstula tríta soló. cor iét tibi pér speculúm Panopé. —
quodsí tibi vírgo favéns reserét cita claústra puérperií.
VI. qui naúfragió navículam aufers Picénae márginis ácta.
VII. animúla miserúla properíter abiít. —
[perit, ábit avipédis animúla leporís].
VIII. aut zónulam aut ricam aút acum. —
occátio occaecátiost. —
non dígnus in quem débeam
saturám calens adcíngier?

IX. ínferis manú sinistra
ímmolamus pócula.
laéva quae vidés, Lavernae,
Pálladis sunt déxtera.
X. púsióní meó
séptuénnís cadús.
XI. ád mercátum eo, vílicé.
quíd vis índe vehi aút agí? —
agítque íntus in óppidúm
anhélós Panopé gregés.
XII. Iáne patér, Iáne tuéns, díve bicéps, bifórmis,
ó cate rérúm sator, ó príncipiúm deórum,
strídula cuí límina, cuí cárdineí tumúltus,
cuí reseráta múgiúnt aúrea claústra múndi,
tíbi vetus árá caluit Áborígineó sacéllo.

Intellegitur iam, opinor, quam multiformis fuerit et tersus in metris Serenus. cuius quidem in versibus nihil extat, quod Laevii non arguat imitationem. quanta vero fuerint auctoritate et hic et Annianus insequentibus temporibus, ea re declaratur, quod saepe utriusque metris usi noscuntur posteriores, quodque ex tam paucis carminum eorum fragmentis duo imitando expresserunt Ausonius et Boethius exemplis hisce: '*et amita Veneria properiter obiit*'. '*qui serere ingenuum volet agrum*'.

Igitur poetae saec. a. u. c. X fuere, ut dixi, multiformes, tenelli, arguti, praeterea nitoris supra quam credi potest amantes, quamquam fatendumst elegantiam nativam nullis posse lenociniis nec fucata specie compensari.

Congruus autem varietati ei metrorum, quae Frontonianorum ab aetate usque ad ultima tempora optinuit, reperitur liber Terentiani. quem quod Lachmannus Diocletiani dixit aequalem, id omnes probabilitatis habet numeros. cui proximi ratione et tempore fuere Avitus ac Marianus, qui dimetris iambicis res populi Romani enarravere. in quibus omnibus agnosces rationes metricas convenientes temporibus illis, quibus obsoleta ac trita arte vulgari iam insolita quaeque captarentur, sive ut obruerentur lectorum animi metrorum variantium mole sive ut deciperentur eis, quae non deceret, versuum generibus adhibitis. — iam Sereno similes paresque multitudine metrorum fuere Ausonius Prudentiusque et Martianus ac Boethius Luxoriusque. ex

ceteris ut quisque plura minuta carmina composuit, eo propius ad horum numerositatem accedit, puta Sidonius, Eugenius. notandum autem etiam Graeculos ultimorum temporum potissimum minutis et abstrusis delectatos versiculis.

Neque habeo quae addam nisi pauca de hymnis et psalmis christianis. ei secundum morem orientalium ut canerentur ab Ambrosio primum esse institutum auctor est Augustinus [confession. lib. IX, 7]. quod ita recte interpretabimur, ut dicamus illum hominum liberaliter eruditorum in usum magis magisque pervulgato cultu christiano pro carminibus rythmicis, quae vulgo tum optinerent, sanxisse talia, quae quantitatum legitima observantia essent composita. quod quo facilius posset custodiri praeceptum, ipse hymnos quosdam composuit, qui pro tanta huius viri auctoritate celeriter optinuerunt. sed horum quid ad nos pervenerit, in magna talium carminum multitudine tantaque artis dictionumque et argumentorum similitudine admodumst incertum. itaque Benedictini cum duodecim ut proprios eius relicuis operibus iunxissent hymnos, sextum tamen non immerito suspectavere ipsi. nec magis sunt certi quattuor ultimi. sed fuit utique efficacissima claritas huius viri ad promovenda ista studia. nam et Prudentius eum secutus et Venantius et alii, qui hymnos et psalmos usitatissimo quoque per illa tempora numero, hoc est iambicis dimetris trimetrisque plerumque et trochaicis tetrametris composuerunt, quos ipsos quidam dimetris dispescuerunt [Beda 2379; 80].

Sed haec hactenus. superest ut addam illud, eos, qui per medium aevum versus panxere Latinos, multo minus Vergilii Horatiique quam Prudentii Boethiique et Fortunati sese ad exempla accommodasse.

Iam quales in stabilienda augendaque arte versuum per eadem tempora optinuerint rationes exponendum. ac primum quidem monendum, quae modo de metrorum eligendorum varietate observavimus, eadem plane pertinere ad artem versuum. scilicet etiam hic maiorem curam in retinendis et exornandis eis, quae erant parta, quam nova ut pararent collocavere, neque quisquamst ausus leges carminis a Vergilio Ovidioque et Horatio constitutas propriis invertere

placitis. unde sequitur hoc fere solum meritum eorum potuisse evenire, ut, siqua ferrentur prioribus minus curata — quamquam quid perfectius disticho Ovidiano? — ea iam horum ipsorum via ac ratione emollirentur, et quae in hexametro pentametroque ars plerumque optineret, ad cetera transferretur metra. quae cum ita sint, longe dignissimumst cognitione illud, quibus auctores illi priorum usi sint exemplis. sed de hac re cum copiosius libro insequenti simus expedituri, hoc tantum monebimus, Ovidii plurimum viguisse placita. cui proximi accessere auctoritate, sed longo intervallo proximi, Vergilius et Horatius. ceterum ut primi p. Chr. n. saeculi auctores ne in hac quidem parte propriam elegantiam non probarunt, ita insequentium temporum magis magisque scholastica optimorum ducum imitatione degenerarunt, adeoque postremae imperii aetatis plerisque suptiliores leges sermonis Latini paene intermortui vix magis patuerunt quam nobis.

Superest ut quaeramus, quod iudicium, quam elegantiam declararint poetae Latini in eligendis adhibendisque metris singulis. qua in re quamquam Romani et Graecorum ut plurimum carpsere vestigia nec sua se praestitere elegantia destitutos, apparet tamen eos non satis prosperis condicionibus usos. primum enim quamquam ut sanguinis cognatione, ita versuum ratione longe proximi fuere Graecis Latini, tamen cum sero Musa, ut Porcii Licini verbis utar, pinnatum gradum intulerit Romuli ferae genti, neque iustum et nativum poeticae ortum progressumque fieri verum fuit et scholica ratione percipientes artem peregrinam iam ab initio libidini vel arbitrio aliquantum indulgere oportuit. adde quod ut Laevii aetate, ita ab Anniani tempore ac Sereni poetae plerique apertissimum variandi metra vel remota magis et abstrusa seligendi sectati sunt studium, quo et ipso saepe debuit impediri modulorum aptus delectus. accedit, quod mutatione, ut mihi quidem videtur, longe importunissima synaphia coeuntium systematum usus ac peritia post Horatium fere evanuit. hinc enim lyricorum metrorum vigorem et robur infringi par erat et, quod peius multo fuit, eam venire poetis opinionem, ad systema conficiendum nulla re opus esse praeter coiugatos paris aut similis ambitus numeros. sed longe importunissimum illud, quod Horatii melicorum

cum systemata aspernarentur, versuum pleraque genera multum continuata adhibuerunt Seneca et insequentes. quid enim deformius usque repetitis sine intervallo numeris glyconeis vel sapphicis? aucta vero facilitas peccandi primum cum aetate Augustum praecedente non satis constaret poetis, quae inepta essent carmini nec tractata possent nitescere, deinde inopia argumenti, quae non hercule historicos magis [Tac. ann. IV, 32; XIII, 31] quam poetas oppressit Caesarum imperio optinente, cum quantum rerum tenuitas iucunditati carminis officeret, tanto magis animos metricis facetiis allici conduceret. unde non fuit mirum abstrusa et absurda aliquando versuum genera delecta esse a poetis, vacua ut oblectarent ingenia. accedit quod cum ars hexametri pentametrique Augusti tempore, ceterorum versuum primo post Christum saeculo ad perfectionem esset adducta, nulla iam patente nova via ceteros eo descendere verum erat, ut pleraque artificiorum a priorum gravitate aliena iam temptarent novandi studio, quibus indulgentes facile potuit fieri ut simplicissimam quamque iudicandi rationem prae difficilibus et alienis spernerent ludibriis. praeterea observasse mihi videor in omni poesi temporibus illis, quibus studia metrica ad lusus et amoenitates diffluant, parum iam attendi, singula versuum genera quibusnam potissimum animi affectibus exprimendis sint apta, sive illud ignorantia fit veri — neque enim prius fere eis, quos dixi, indulgetur lusibus, nisi vera et nativa arte iam obsoleta —, seu consulto ab usitata via deflectunt auctores, hebetem nimis suetis dapibus gustum et sensum assiduitate luxus enervatum iam inusitatis illecebris et lautioribus deliciis ut foveant. nisiquis dixerit difficultate ipsa artificiorum, quibus iam studeant isti, effici, cetera ut non possint perinde attendere.

Ac primum quidem reverentia magistrorum cum nobilissimos versus, hexametrum pentametrumque dactylicum ac senarium iambicum, pari ferme atque Graeci adhibuerint usu Romani (nam ne saturarum quidem ad numeros constituendos peregrino prorsus caruere exemplo, conformato, ex quo litteris est additum ab Ennio, genere hoc ad Alexandrinorum poetarum imitationem), apparet minus ad horum pertinere modulos ut quaeratur, quam apte diversa poeticae

genera illis metris fuerint instaurata. at Graecorum usque ad Alexandri Magni tempora satis tuto potest credi elegantiae.

Sed ad Romanos ut redeam, non multum proficient ad aestimandum, quonam fuerint iudicio in ceteris metris eligendis, qui illud monuerint, cum adstrictiore omnino arte sint usi Latini quam Graeci, facile potuisse fieri, non ut apud hos, qui apud illos, idem perinde numeri paribus rebus describendis possent inservire. nam cum aucta normae severitas pariter ad omnia pertineret metra, potuit equidem evenire, ut quorundam rythmorum intenderetur austeritas, lepos imminueretur. sed cum minime essent prompti Romani ad nova reperienda metra, etiam in levibus argumentis eos similibus plerumque Graecorum uti oportuit numeris, hactenus sane minus aptis interdum, quod gravitate nimis premerentur Romana.

Praeterea ut omittam quaedam quae praeierant peregrini duces subabsurda, qualia sunt sotadicum metrum et myurum, vitia haud pauca Latinorum inveniuntur propria. quae tamen ne nimis studiose persequar, verecundia cohibeor, cum praesertim interdum ad argutias aut arbitria res relapsura esse videatur.

Itaque et Euphorionis cantores praeteribo, nec istud quaeram, quam conveniat mollitiae Ionicorum versuum [cf. Odofr. Mueller. hist. litt. Graec. I, 310 ed. pr.], quod Horatius in Neobulae carmine longam Bellerophontae fortitudinis descriptionem addidit, aut in singulis metris adhibendis quantum idem ab Aeolensium recesserit norma, quae quidem interdum casu ac variandi libidine digessisse eum satis constat.

Sed missis his ad saeculi tertii quartique auctores transeo, quibus viam videtur munisse Annianus Faliscus. his igitur sicut plurimum offecit in lyricis studium et maxima quaeque et minutissima captandi metra, ita non mirificumst quasi prorsus iam evanida antiquitate non satisfecisse versum heroicum ad res gestas scribendas, cum praesertim paris pravitatis exempla apud eorundem temporum Graeculos (nam Byzantinos, qui vocantur, omitto) occurrant.

Iam ut certis rem probemus exemplis, ab Avieno, qui Iuliano imperatori fuit aequalis, et Vergilii fabulas et totum

Livium iambis scriptum (quod quidem ita intellegendum, ut potissima quaeque ex Livii historia in versus redegerit, ut et Alfius Avitus fecit, de quo mox dicetur) testatur Servius [ad aen. X, 272; 388]. fuere autem haud dubie trimetri, quibus etiam descriptionem orae maritimaest persecutus. nam eodem numero Prudentius usus est in rebus Romani martyris enarrandis [peri steph. 10], qui liber non argumenti modo similitudine, etiam spatii circuitu sustinet paene epici carminis proprietatem. quamquam Prudentius sua excusatur venia (nec enim umquam in volumine, quod inscribitur Peristephanon, continui ab eo adhibiti hexametri), magis incusandus est Avienus et deficientis manifestus artis. simillimus autem pravitate fuit Alfius Avitus, quem quamquam non satis certo dixit Lachmannus [praef. Ter. p. 12] a Terentiano poetam sui temporis autumari, tamen referendum esse ad decimum u. c. saeculum apparet. nam nequis tam ineptos conatus aliquo antiquiorum dignos habeat non veremur. cumque iam Frontonis aequalibus mirifice placuissent dimetri iambici, id quod noto Gellii demonstratur loco [XIX, 11], ubi distichon quoddam Graecum redditur metro illo — unde Hadrianus imperator ne mortis quidem ingruentis metu ab eis est deterritus —, adaucto captandi insolita studio hos versus iam tempore Sereni plerumque optinuisse, ubi non decebat, non est quod mirere. neque enim soli Avito placuisse inepta constat Terentiani testimonio, qui sic tradit de hoc metro [2446 sqq.] '*plerumque nec carmen modo, sed et volumen explicat, ut pridem Avitus Alfius libros poeta plusculos usus dimetro perpeti conscribit excellentium*'. persecutum autem esse hunc Livii renarrando libros res Romanas inde ab origine urbis incertum quidem per aetatis spatium ne in tanta quidem reliquiarum paucitate inepte coniectabitur. nam in primo libro ad raptum Sabinarum spectantia fuere haec '*marite si sanguis Curis, Sabina si caedes placet, in me oro convertas manum*'. dein secundo Faliscorum litteratoris perfidia relata. huic autem non argumenti magis ac metrorum quam temporum similitudine iunctum fuisse suspicor Marianum Lupercalium poetam, cuius quod unicum extat fragmentum a Vergilii interpretibus servatum [Philarg. ad eclog. 1, 20] cum dimetris iambicis contineri divino Scaliger

ingenio persensisset [ad Manil. IV, 775], nos suo restitutum nitori hoc loco adscripsimus:

> sed diva flava et candida
> Roma Aesculapi filia
> nomen novum Latio facit,
> quod conditricis nomine
> iam Romam ab ipso omnes vocant.

in quibus tamen quod ultimo loco posui, non tuebor pertinacius, nisi quod non veremur ne quis salvum dicat illud, quod legitur apud Philargyrium '*ab ipso omnes Romam vocant*'. dignum autem memoria, quod saeculi tertii poetae amavere et res gestas populi Romani veteres nec minus antiquitates enarrare, id quod et hoc fragmento confirmatur et Sereni de Iano versibus. nam et Albinum, qui de rebus Romanis conscripsit carmen, huic fere tempori esse adscribendum infra demonstrabitur. ceterum cum Alfii ac Mariani studiis bene potest componi Prudentii peri stephanon carmen V, quod et ipsum dimetris constat iambicis et est epyllii instar.

Iam cum sit probabile saeculi III scriptores ut doctrina, ita elegantia iudicii praestitisse posteriorum plerisque, quod etiam minus attenderunt poetae insequentes, vel si constaret etiamtum, quibus animi affectibus exprimendis inservirent numeri singuli, non erit mirum. veluti, ut hoc exemplo utar, quantillum gravitatis in metris habent Ausonii parentalia quaedam [27; 28], quae a verbis incipiunt hisce: '*et amita Veneria properiter obiit*'; '*parva etiam fuit Idalia*'; at quam nimium de professoribus Burdigalensibus carmina systematis constantia sapphicis [7; 8]. porro quotusquisque spondebit non posse Prudentii carminum lyricorum cuncta interse immutari metra, non ut detrimentum capiant tamen rationes musicae, quarum aut nulla aut perparva cura ei habita? itaque non fallemur dicendo saeculi quarti quintique auctores excepto uno fortasse Claudiano exiguo admodum delectu diversissima pro arbitrio adhibuisse metra, solam equidem varietatem et, quatenus per tempora licebat, nitorem versuum spectantes. atque apparet etiam hic scholicam plurimum valuisse doctrinam. proxima verost intermortuae arti ars ea, cuius ignores rationes ac facultates.

Sequitur ut conspectum metrorum addamus, primum simplicia versuum genera, mox systemata cum Senecae quibusdam canticis liberius habitis enarraturi. et cum ita ferme res instituatur libris metricis, ut a trochaeis et iambis ad ceteros procedatur numeros, nos potius a dactylis et anapaestis descriptionem ordiemur, primum quod apud Romanos heroico demum metro translato evenit ea studiorum ratio, quae his libris perlustratur, deinde quia persuasumst nobis apud ipsos Graecos pares rythmos prius quam impares concinnatos esse carmine. porro cum ceteri singulorum adauctum metrorum a minutissimo quoque sint persecuti, nos ferme a nobilissimo exorsi relicuas eiusdem aut similis numeri perlustrabimus species. dignum enim existimamus altitudine indolis Graecorum, ut credamus perfectissimos quosque versus — et certe hexametrum dactylicum et iambicum trimetrum qui invenere, me quidem si audies, summis cuiuslibet aetatis exaequandi sunt ingeniis — abundante diversissimorum pedum ac rythmorum copia inventos esse primos, ut ex ipsis originem traxerint plerique ceterorum vario successu temporis artisque. quare qui scindendo secandoque hexametri quasi membra invenisse sibi sunt visi, mihi quidem, nequid dissimulem, non videntur prudentiores illis, qui bracchia aut pedes aut aliquam partem corporis humani reliquarum parentem esse dixerint. placet rem alieno illustrari exemplo. veluti apud Iudaeos, praecipuam ad religiones gentem, antiquissimi monumenti initio cum dicatur homo imago dei, hanc sententiam, quam simili simplicitate et suptilitate nemo extitit inter paganos qui proponeret, num quasi atomis opinionum conflatam an potius insita illis facultate recte componendi divina et humana ortam esse existimabimus? ita non existet umquam hexametri patrem matremque qui possit indicare nisi rythmon ac melos et propriam Graecorum indolem. nam omnia perfecta ex se nascuntur. quod cum ita sit, non modo confusa Vseneri, etiam belliora Bergkii de origine versus illius spernemus commenta. praeterea accedit illud, quod poetae Latini, cum mirum quantum scholica eruditione niterentur, epiplocae artificio non cognatos solum, etiam alienos plane numeros ex nobilissimo quoque metro repetere saepe sunt soliti,

quorum migrando rationes sine ulla utilitate haud ita parva contrahemus incommoda. itaque non veremur, nequis inutiliter et vanitate gloriae novasse nos versuum ordinem incuset.

Igitur primum omnium memorabitur a nobis versus heroicus dactylis quinque et trochaeo uno constans. quod longe fuit et celeberrimum fama metrum et usu frequentissimum. rettulere ad auctorem Apollinem, Musarum praesidem, quippe quod pulchrius subtiliusque videretur quam ut humanii ingenii sollertia posset inveniri. ideoque etiam oraculorum responsa versu hoc sunt edita, qui ob id vocatus est Pythius. sane de virtutibus eius, quas noto carmine pulchre adumbrat A. Schlegelius, memorare supervacaneum.

Sed cui potissimum materiae conveniret, sic expressit Horatius [ep. II, 3, 73]:

> res gestae regumque ducumque et tristia bella
> quo scribi possent numero monstravit Homerus.

eidem didactica, ut plurimum, et bucolica cesserunt carmina. e satiricis Ennius passim, Lucilius libris longe pluribus, Horatius et posteriores tempore semper eodem utuntur. idem plerumque in epistulis optinuit, at non perinde in epigrammatis. certe apud Martialem quater [I, 53; II, 73; VI, 64; VII, 98] invenitur, non saepius. ex carminibus autem talibus duo singulis constant versibus; cetera iocosam quandam habent gravitatem, ut appareat ob id ipsum adsumi metri insolentiam. nam testatur idem fuisse, quibus heroico versu scripta displicerent epigrammata [VI, 65]. a tragoedia exulat fere hoc metrum. quo tamen memoria dignum Senecam uti et in choricis ad concinendas laudes deorum [Oed. 403; 4; 429—431; 445—448; 466—471; 503—508; Med. 110—115] et in dialogo ad referendum oraculum [Oed. 233—238]. atque etiam apud Graecos vel in choricis vel ab actoribus promi idem, ubi res augustae vel graves essent memorandae, satis notum [cf. Od. Muelleri hist. litt. Graec. II, 74].

Sequitur versus et ipse nobilissimus frequentissimusque, qui penthemimeri repetita oritur. hunc pentametrum perversus quidem, sed tamen inveteratus dixit usus. Callinum quidam voluere inventorem, alii Archilochum. sed videtur,

ut hexameter, incerti esse auctoris, ab illis tamen primum litteris additus.

Ei legitimus locus in distichis elegiacis. continuatum posuere Ausonius et Martianus ac multo ante incertus poeta, Commodo imperatori aequalis, quem Lampridius citat in vita Diadumeni [c. 7] ut Graeci epigrammatis interpretem. sane et apud Graecos talia carmina provenere, sed rarissime. nam Vergilii illud *sic vos non vobis* quater repetitum huc non pertinet, quoniam ioco notissimo eius non unum, sed quattuor disticha designata [cf. Herm. el. d. m. pg. 360]. — aliud autem pentametri genus, quod caret arsi ultima, adhibuit Serenus ita [cf. Mall. Theodor. gr. l. VI, 590]:

et nihil est quod amem Flaminia minus.

Proximi sunt tetrametri dactylici. eis primus in asynartetis usus Horatius, mox integris Seneca et Pomponius tragici, una syllaba minutis Horatius, qui sumpsit utrumque genus ab Archilocho, arsi quarta finitis iam cum Laevio Varro, siquidem integrum videtur explere versum fragmentum tale [Non. 179, 4]:

aerea terta nitet galea.

de quo metro ita Terentianus [1975 sq.]:

Septimius docuit quo ruris opuscula libro,
hoc genere adsidue cecinit.

Serenum hic, ut saepius, secuti Prudentius et Ausonius.

Atque hoc loco non inepte adiungetur metrum Calabrium, ut vocat Marius Victorinus [2579], quo Annianus usus, fortasse et Septimius, dein Terentianus ac Boethius. quod post tres dactylos adsumit pyrrichium vel iambum. quamquam potius putasse auctores compositum ex penthemimeri hexametri et proceleusmatico vel paeone quarto inde apparet, quod post tertiam arsin praeter locos duos Terentiani [1996; 1998] et unum Boethii [III, 1, 3] solet finiri verbum. id igitur genus versus subabsurdum ad similitudinem hexametri myuri, de quo postea memorabitur, fictum existimo.

Raro etiam trimeter catalecticus reperitur, qui completur duobus dactylis cum semipede. primus Archilochi exemplo adhibuit Horatius [c. IV, 7].

Superest adonius numerus, qui constat ex bucolica incisione. quo integra carmina composuisse Sappho narrant

Terentianus [v. 2159] et secuti eum Victorinus [2564] et Columbanus [carm. ad Fedol.]. at apud Latinos Terentianum primum continuasse hoc metrum ipsius constat testimonio [2177]. mox eiusdem adducti auctoritate usi sunt hoc versu Martianus [II, 125], Boethius [I, 7], Columbanus [carm. ad Fedol.].

Iam versus dactylici hexametro catalectico ampliores cum habeant nescioquam inelegantiam, non potuerunt facile placere nisi auctoribus lusuum praestigiorumque studiosis et ab ingenuo decore alienis.

Tali metro usus Serenus ita '*pingere collibitumst. graphidem date, promite bolarium*'. cuius numeri Diomede teste superius commast tetrametrum dactylicum, alterum dimidium versus elegiaci.

At ex anapaestis primum nos advertent dimetri, quibus solis sive monometris additis composuerunt carmina Ausonius, Luxorius, Boethius. paroemiaco versu continuato qui sint usi primos invenio Annianum et Serenum. hoc metrum quam placuerit saeculo p. Chr. n. tertio demonstrat Terentianus dicendo dulce [v. 1813] nec minus eo laetati insequentes.

Sed missis hisce iam de Senecae et auctoris Octaviae anapaestis nobis disserendumst, quos quidem pessime credunt hodieque synaphia quadam nexos dimetris contineri, post priorem dipodiam ut incidatur. et illud quidem minime dubitatur, post binos oportere orationem finiri pedes nec licere posteriorem solvi arsin. nam vix dignumst memoria ferri in Octavia [779] '*aut quid pectore portat anhelo*' pro eo quod venit ab auctore '*aut quid portat pectore anhelo*'. at relicua metri eiusdem non perinde recte aestimantur vulgo. et cetera alibi; nunc satis est monuisse ideo monometris dimetiendos versus utriusque, quod, cum certum sit illos numquam in alienis metris aut hiatum aut productam brevem arsis vi admisisse, hanc normam sexiens deciens migrasse existimandi sunt idem, si dimetros potius quam monometros adhibuere anapaestos [Herc. fur. 1134; 1136; Thyest. 832; 881; Hippol. 30; 43; 327; Med. 342; 827; Agam. 314; Oct. 67; 273; 320; 662; 890; 965]. quod quis facile adducetur ut sibi persuadeat? itaque monometris, quibus iam recte dispositum fertur carmen in ludo de morte

Caesaris [c. 12]. etiam tragoediarum instaurandi sunt anapaesti. et monometros continuo decurrentes agnoscit aequalis Senecae Caesius Bassus [gr. l. VI, 267], cuius verba ita scribenda: *quae clausulae* (h. e. '*terruit urbem*'; '*primus ab oris*') *et per se repetitae et inter se iunctae anapaesticon metron efficiunt sic:*

terruit urbem
primus ab oris;
inclyte parva
prodite patria;
terruit urbem primus ab oris;
nomine celebri claroque potens.

contra depravatae iam doctrinaest, quamquam ex eodem fonte ductum, quod Diomedes [pg. 511; cf. 516] profert: *anapaesticum choricum habemus in Seneca* [Med. 301]:

audax nimium qui freta primus.

hac autem condicione numerorum evenit illud, quod incusavere plurimi, explicavit nemo, ut qui sapphicis versibus adonios et glyconeis pherecrateos admiscuisset poeta numquam anapaesticis subiungeret paroemiacos. atque etiam hoc advertere debuit doctos, quod dimetris institutis numquam constante ratione remanent usque monometri. codicum autem in hac discriptione auctoritas plane nullast, cum sat constet canticorum pleraque olim continua scriptura exarata. — ceterum praeisse videri monometros Senecae tragicos Augusti aequales iam supra memoravi. et potuit opinionis firmandae causa adduci Gracchi Peliadum fragmentum [Non. 202, 17] *sonat inpulsa regia cardo,* nisi probabiliter admodum ibi Delrio reponeret *inpulsu.* monometris etiam usus est Ausonius, plane ut Graeci ultimorum temporum Iulianus in Caesaribus [I, 409 ed. Hertl.], item in hymnis Synesius [anthol. gr. pg. 6 sqq. ed. Christ.].

Praeterea anapaesticum tale fertur Sereni:

cedo testula trita solo. cor iet tibi per speculum, Panope.

nobilissimumst metrum Aristophanium, quo usi Varro et Serenus. superest mirus quidam versus proceleusmaticus, cuius haec est species:

perit abit avipedis animula leporis.

quem quidem assentior Hermanno [elem. doctr. m. 72] item

ad anapaesticos referendum esse numeros, quamquam a Latinis alioqui talis licentia solvendarum arsiumst aliena. sed nimirum adhibitus est imitatione Graecorum et a ludibundis poetis Sereno et Ausonio. et huius quidem carminis initium talest [parental. 27]:

et amita Veneria properiter obiit.
cui brevia melea modifica recino.

ubi scripsi *melea,* pro quo vulgo mendose fertur *mela.* — apparet autem Sereni obversatum illi carmen tale:

animula miserula properiter abiit.

Iam ad iambicum numerum transeundum. cuius longe nobilissimus versus est trimeter seu senarius, laude soli cedens heroico et ut hic origine ad Apollinem relatus. quo cum libertate magna scriptores plerique inde a Livio Andronico usque ad finem liberae rei publicae sunt usi; et acceptum iam tum fuisse vulgo pluribus declaratur exemplis. ad Archilochi et tragicorum Graecorum normam adaptarunt primum Varro et Catullus [c. 52], tum tragici, post Caesaris mortem qui extitere, et eodem tempore Horatius, qui de eo haec tradit [ep. II, 3, 79]:

Archilochum proprio rabies armavit iambo.
hunc socci cepere pedem grandesque cothurni,
alternis aptum sermonibus et populares
vincentem strepitus et natum rebus agendis.

satis bene quidem ille, quamquam ultimo imperii tempore etiam didactico et epico carmini, porro hymnis adhibuere hoc metrum. primi novarunt Catullus et Varro.

Et Catullus quidem praeter unum carmen ad Archilochi modulos accommodatum bis [4; 29], ter imitator eius (unus seu plures fuere) in libello κατα λεπτόν [3; 4; 8], semel Horatius in epodis [16] usi sunt hoc versu integro, id est exclusis pedibus ceteris praeter pyrrichium sede ultima. atque item Diocletiani tempore Terentianus puros finxit aliquot [2182—2190] trimetros, quem locum adscribam, cum eo pulchre natura numeri celeberrimi reddatur.

adesto, iambe praepes, et tui tenax
vigoris adde concitum celer pedem,
nec alterius indigens opis veni,
sed ipse verus integerque sexiens,
adusta felle qualis ante carmina
dabas amarus, ultor impotens tui.

vides ut icta verba raptet impetus,
brevemque crebra consequendo longula
citum subinde volvat artius sonum.

rationes autem eius variae eleganter descriptae a Schlegelio noto carmine.

Trimetro simillimus fit versus detracta una thesi, quo olim Archilochus et Sappho usi [A. 101; 103; S. 103], inter Romanos primus Horatius. hic apud Romanos certe (nam Graecorum lyricorum scaenicorumque multiformem varietatem non moror [cf. Alcman. 74; 75]) numquam solus proprio constat carmine. sequitur dimeter iambicus hypercatalectus, qui tertius est in systemate alcaico. proximus dimeter iambicus acatalectus. qui cum initio non magis quam pentameter dactylicus perpetuo carmine esset continuatus, hanc tamen observantiam satis maturo tempore ipsi migravere Graeci [cf. Alcman. 76]. apud Romanos primus adhibuit Laevius. mox quam indecoro incremento coaluerit, supra indicavi. sequitur versus eiusdem metri catalecticus aeque tenellus, quo primus usus Anacreon. sed saepius multo in Anacreonteis, quae vocari solent, reperitur. inter Romanos primus Arbiter adscivit eum ut puta:

anus recocta vino
trementibus labellis.

mox plerique alii [cf. Ter. Maur. 2484]. non puto a Seneca usurpatum in Medeae cantico quodam [849—878], ubi legendum existimo [871]:

infanda Colchis arvis

pro illo *nefanda.* quo admisso omnes versus habendi anacreontei ex genere ionicorum a minori. quamquam versus 857, 865, 878 in fine sunt truncati. ceterum a christianis videtur interdum utrumque confusum metrum.

Ex numeris longioribus trimetro octonarios rarissime adhibuere Graeci nec fere in carminibus scaenicis. affert Alcaei [frgm. 56] exemplum Hephaestio. septenarii, quibus primus est usus Hipponax, in comoedia Graeca Latinaque haud raro positi, numquam in tragoedia. neutro metro usus quisquam ex Latinis post Varronem et Catullum. ex quibus uterque septenarios, Varro etiam octonarios graecanica arte composuit. conferendum Nonii l. 'medioxime' [141, 3]. at

insequentibus saeculis inusitatum fuit metrum utrumque. declarat rem et Terentianus, qui in paucissimis versibus, quos exempli causa ponit [2376; 79 sq.; 2394—97], paene semper neglexit caesuram septenarii [2376; 80; 94; 96 sq.]. — ceterum octonariis iambicis, pleno pariter ac minuto, constantia Boisci haec:

Βοίσκος ἀπὸ Κυζικοῦ παντὸς γραφεὺς ποιήματος
τὸν ὀκτάπουν εὑρὼν στίχον Φοίβῳ τίθησι δῶρον

paribus expressit numeris Iuba [gr. l. VI, 564]:

Boiscus is de Cyzico novi repertor carminis
nunc primus octonum pedum versum deo dicavit.

E trochaicis versibus octonarius catalecticus — nam acatalectum eundem qui adhibuerit praeter Varronem non invenio — valde fuit acceptus in vulgus. unde et populares versus eo plerique continentur, partim Plauti servata norma, partim Archilochi. et utroque genere saepe usi christiani. graecanica arte compositi octonarii primum apud Varronem inveniuntur. porro memoria dignumst septenarium trochaicum a Seneca non usurpari in tragoediis nisi ad res augustas ac sublimes vel quae horrorem incutiant describendas [Hippol. 1201—1212; Oed. 223—232; Med. 740—751]. exclusis spondeis a Romanis adhibitos non temere adfirmarim. quamquam non abhorret a vero Septimium saec. p. Chr. III eis usum, imitatione fortasse Varronis Menippei vel Catulli amicorum. conferenda quae in appendice Rutilii Namatiani pg. 48 sunt adnotata.

Porro tetrametri catalectici legitima incisione procreantur dimetrorum binae species, quarum breviorem (quam iam usurpavit Alcaeus [100 B.] ita: *ἀμμέσιν πεδάορον*) primus Horatius in systematis lyrici partem recepit [II, 18]:

non ebur neque aureum;

mox continuo carmine posuit Seneca [Oed. 882—914]. longiorem non nisi auctores ultimorum saeculorum admiserunt, et ferme alternantem cum minore. — restat versus ithyphallicus, tripodia constans, quo iam Archilochus et Sappho usi, sed ut parte versus longioris [A. 79—82; 100; S. 84]. idem a Graecis per systema copulatus cum trimetro iambico [cf. Athen. VI, 253]. sed cum per se satis sit concinnus

et elegans, ubi continuetur solus non invenio nisi in opusculo quodam Bacchi honori dicato [anthol. 573]:

huc ades, Lyaee,
Bassareu bicornis.

nam quod haec leguntur in libro, quem Caesio Basso tribuit H. Keilius, ut pleraque in eo ad hunc redire auctorem probabilest, ita quaedam ibidem haud dubie addita aetate longe inferiore. et sane ista adiecta ab interpolatore ipse tenor arguit carminis, cuius initium adscripsi [gr. l. VI. 255].

Secuntur numeri ionici a minori. e quis longe sunt usitatissimi, qui anacreontei dicti, quia multum eis usus est Anacreon. sed enim iam Sappho adhibuit ut partem metri compositi [90]:

γλυκεῖα μᾶτερ. οὔτοι | δύναμαι κρέκην τὸν ἴστον.

Omnino ionicorum varia genera ut Graecis, maxime post Alexandrum Magnum, ita a Laevii tempore satis placuere Romanis.

Sed longe mollissimumst metrum galliambicum. quo vetustiores Romani non sunt usi nisi Alexandrinorum exemplo in laudibus magnae deae vel Attis [cf. Martial. II, 86, 4 sq.; Terentian. 2888 sqq.]. nota res de Catullo et Maecenate. nec minus apparet eodem esse argumento Varronis quae restant galliambica. nam de Atti ad Cybeles nemus tendente aperte dicta sunt haec:

tua templa ad alta fani properans citus itere.

ubi illud *fani* obscurum. nec non ad eundem pertinent gallorum verba:

tibi typana non inani sonitu matri' deum
tonimus modos, tibi nos, tibi nunc semiviri.

ubi mirus stupor Nonii, qui *tibinos* a tibiis putat dictum. — et ad comites ipsius referenda, quae sic tradita sunt in libris Nonii [46, 14] *spatule* (*spatula* docti) *eviravit omnes venerivaga pueros.* ubi recte Vahlenus: '*pueros venerivaga*'. quamquam magis placet illud: *Veneri' vaga.* ita priscos et ferarum similes homines dixit Horatius *Venerem incertam rapientes.* denique etiam a gallis, dum immaturam Attis mortem memorantes quasi fato fieri queruntur, cito ut obeant amasiones dearum, cantata fuere haec [Non. 158]:

sic sic ille puellus Veneris repente Adon
cecidit cruentus olim.

quibus alterum *sic* de meo addidi. ceterum ut a Varrone, ita a Martiano [II, 192, 26] ac Venantio [misc. VII, 12, p. 248] et Corippo [iohann. IV, 514] aemulatione antiquissimorum dicitur nominativo casu *Adon*, quam et agnoscit formam Probus grammaticus [IV, 121]. porro Cybeles honori etiam s. p. Chr. I destinari solita carmina galliambica demonstratur his versibus Martialis [II, 86, 1; 4—6]:

quod nec carmine glorior supino —
nec dictat mihi luculentus Attis
mollem debilitate galliambon,
non sum, Classice, tam malus poeta.

sed saeculi tertii poetas vanescentibus placitis antiquitatis non moror. hi enim aperte usi sunt hoc versu etiam ad alienam materiam. ita poetae nescio cuius fertur hic versus [Diomed. 514]:

rutilos recide crines habitumque cape viri.

item alterius [Caes. Bass. gr. lat. VI, 262]:

o qui chelyn canoram plectro regis Italo.

Praeterea Lachmannus [pg. 276] statuit a Varrone ad exemplum Anacreontis integros tetrametros ionicos admissa quidem anaclasi esse compositos. quorum exemplum ponit hoc, quod affert Priscianus pg. 697:

gravidaque mater alvo peperit Iovi puellum;

ubi *alvo* non comparet in libris scriptis. sed res incerta, cum eodem iure possis verba dividere in dimetros anacreonteos. nec quod apud Nonium legitur s. v. 'candet' [267, 2] *candens corpore Taurus Triviae lumine Lunae* tuti satis est numeri. nam rectius de anapaestis cogitari ibi a nobis adnotatumst. atque in hoc falsus idem, quod putat illud metrum iambionicum vocatum a Varrone. etenim in eis, quae apud Diomedem extant l. III [517] '*ex iambico novum* (ita Keilius; om. cdd. *ex; iambionicum* Lachmannus) *comma* (ita nos; *carmen* v.) *refert Varro, cuius exemplum est tale:*

pedem rythmumque finit.

si addas hic quae detracta sunt ex iambico, eundem iambicum supplebis sic:

pedem rythmumque finit 'alta narium',

in his, inquam, ionico numero locus nullus. sed videtur novum dixisse Varro comma, quod, cum ipse Anacreon cum antiquioribus rarissime esset usus dimetro iambico catalectico, sectatores eius Alexandrini plurimum delectati sunt eodem. — contra haud dubie inveniuntur tetrametri ionici, sed scilicet citra synaphiam, apud Martianum in carmine [l. IV fin.] quod incipit:

venerandos mihi fatus reverendosque secuta.

de Horatii ac Terentiani et ignoti cuiusdam auctoris ionicis per synaphiam iunctis dicetur l. II.

At ex ionicis a maiori, qui aliquanto sunt inelegantiores (nam initia claudicant), dimetros catalecticos potest videri admisisse Laevius ita [Non. 116, 8]:

gráciléntí' colórém.

idem:

éx hóc graciléns fít.

et habes tales numeros in fragmento Sapphus quod sic incipit [51 B.]:

κῆ δ' ἀμβροσίας μὲν
κράτηρ ἐκέκρατο.

ubi alii ex binis versibus minus bene effecerunt singulos. ultima autem in eodem nondum expedita. praeterea apud Laevium rem non satis certam vix est quod dicam.

Sequitur metrum subabsurdum, quod nomen habet a Sotade, poeta Alexandrino. huic quod mirificum in modum indulsere Romani usque ad Diocletiani tempora et Constantini — quippe non doctorum modo [Lachm. opusc. II, 67 sqq.], etiam vulgi usu optinuit [Meinek. specim. alter. in Athen. deipnosoph. p. 24] —, utrum ludibriorum quodam amore an alia pravitate evenisse dicamus, haud facile definias. accedit tetrameter acatalectus quem usurpavit auctor non satis certus [Victor. 2537; Atil. 2694] exemplo tali:

uvas nitidis frondibus Euhan hederis inligat.

Restant versus choriambici et cretici quorum perexiguus fuit usus apud dactylicos Latinos. ita dimetri choriambici inveniuntur Claudiani hymenaeo illo [12] '*age cuncta nuptiali redimita vere tellus*', et quidem systematis quinque versibus constantis loco quarto; at cretici in Sereni carmine:

pusioni meo
septuennis cadus.

quae gravi lapsus errore dicit Diomedes [517] constare epitrito et iambo sive pariambo.

Praeterea satis constat Varronem, qua fuit multitudine metrorum, etiam creticos numeros et bacchiacos inseruisse saturis, et quidem continuatos per multos pedes ac modulo fere graecanico temperatos. exempla inveniuntur in Parmenone, item in libro qui inscribitur *περὶ ἐξαγωγῆς*.

Iam antequam ad compositos numeros transeamus, perstringenda sunt mira quaedam metra, ultimo inverso pede orta, hexameter dactylicus miurus (nam ecaudem vocat Diomedes pg. 499) vel potius myurus (quippe muris caudae prolixitatem videbantur aequare tres vel quattuor in dactylico numero continuatae contra fas syllabae breves) et hipponactei trimeter iambicus sive trochaicus tetrameter. ac primum ille quo sibi modo constet cum varie sit disceptatum [cf. Herm. elem. doct. metr. 354—356], equidem contendo eum nullam omnino habere compositionem numeris et arte modulatam, sed ortum esse poetarum Alexandrinorum ingeniis et prava interpretatione versuum quorundam Homericorum. in quibus principem locum optinet ille a grammaticis decantatus:

Τρῶες δ' ἐρρίγησαν ὅπως ἴδον αἰόλον ὄφιν.

sane idem metrum apud veteres auctores omni aetate perexiguo fuit usu. nam e Latinis solus illud habet Terentianus nec nisi exempli ergo et deceptus a Basso [1922 sqq.], qui eodem versu Livium Andronicum in Ino tragoedia alternatim cum heroico usum frustra adfirmavit [cf. Haupt. observ. crit. pg. 43]. nec vero mirum, doctorem mediocrem et digitis, non auribus computantem numeros elicuisse ex monumentis vetustissimis metra aliena. nam eadem pravitate in numeris saturniis erratum, ut vel ex reliquiis, quae hodie extant, paucis possint quaedam sine ullo negotio ad aliud metrum revocari. ita quae ex Naevii bello Punico sumpta afferuntur a Charisio [103] nulla addita mutatione explent trimetros iambicos:

Marcus Valerius consul partem exerciti
in expeditionem ducit.

quid quod terna Livii illius fragmenta apertam hexametri habent similitudinem? sunt enim haec:

at celer hasta volans perrumpit pectora ferro.
cum socios nostros mandisset impiu' Cyclops.
inferus an superus tibi fert deu' funera Vlixes?

in his igitur omnibus propter ignorantiam veri numeri et fallacem quandam speciem interpolatorum grammaticorum libidine saevitum. de qua re pluribus dictum in libro de v. saturnio [111—15].

Simile autem poterit videri, ut supra dictum, myuri versus metrum Calabrium, quod vocat Marius Victorinus [gr. l. VI, 122], dictum a pastoribus Calabris:

qui serere ingenuum volet agrum.

quo usus est Annianus, non Serenus, quantum constat, cui multi tribuere [cf. Rutil. Nam. ed. pg. 35 sqq.], et aemulatione huius Terentianus [1922 sqq.] ac Boethius [III, 1].

Longe magis sciti claudicantes iambi vel trochaei, quoniam pedum in his permutatorum, h. e. spondei et iambi, multo maior est similitudo quam dactyli et iambi, neque arsis et thesis vices invertuntur. nam falsissimi sunt, qui putarunt hoc saeculo ultimi spondei vel trochaei priorem syllabam notandam ictu, qua re omnis tollitur compositionis concinnitas. quippe ridiculum claudicantium numerorum totum continetur eo, quod cum in archilochiis metris ultimum locum semper optineat iambus, paenultimum plerumque spondeus, iam invertitur modo plane novo et inusitato auribus castigatis lex podica. sic igitur scandendus hipponacteus:

misér Catúlle désinás inéptiré.

et confirmat rem Plotius Sacerdos [gr. l. VI, 519]. itaque hi numeri ut pravitate sua movent risum, ita lepore quodam iucunde tangunt animos. qui primum ab Hipponacte et Ananio novati cum Alexandrinorum et insequentium aetate poetarum multum probati essent Graecis, etiam apud Romanos inde a Laevio et Catullo haud sane exiguo viguere usu. trochaicos tamen versus huiusmodi praeter Varronem qui prompserit non invenio. at iambi usque ad II p. Chr. n. saeculum admodum fuerunt frequentes. contra minus videntur placuisse posterorum temporum hominibus, cum et quarto quintoque saeculo raro admodum reperiantur et sic de eis tradat Terentianus [2416]:

hoc mimiambos Mattius dedit metro.
nam vatem eundem iste Attico thymo tinctum
pari leporest consecutus et metro.

quippe minime solitus ille scabrae iactantia eruditionis prisci usus memorare exempla in metris eis, quae ipsius placerent aequalibus. igitur non mirum quod et Ausonius [epigr. 128] et Boethius [II, 1; III, 11] ut sublata pridem traditione scholica duriores exhibent numeros.

Iam de mixtis et compositis numeris dicturi omittemus quidem pentametrum sapphicum, cuius haec est species *ἠράμαν μὲν ἔγω σέθεν Ἄτθι πάλαι πότα*, porro versum archebulium, qui constat anapaestis tribus et pyrrichio, item ditrochaeo, ut [Terent. 1919]:

generi datur auctor huic vetus Archebulus,

et eum, qui ab Archilocho dictus post anacrusin habet dactylos tres, sed ultimum catalecticum, tum tres trochaeos:

Ἐρασμονίδη Χαρίλαε, χρῆμά τοι γελοῖον.

nam hi plurimum quidem apud grammaticos Latinos, at non perinde optinent apud poetas. neque vero enchiridia aut centimetros puerorum in usum perscribimus, sed libero ingressu, ut quaeque digna memoria et frequentia arte Latina evenere, exponimus. ceterum ex numeris illis longe sunt iniucundissimi, quibus sociatur cum trochaeo vel iambo anapaestus, qui proprietate naturae ne cum dactylo quidem amet copulari. ita paroemiacum metrum corrupit Platenus identidem imminuto pede paenultimo in Oedipo romantico exemplis talibus [IV, p. 101; 102; 182]:

an die duftigen zehn des dichters.
des erhabenen spielers anmut.
auf jede geburt des fruehlings.
ein poetischer regenbogen.

Sed missis his ad versus logaoedicos velut glyconeos, hendecasyllabos phalaecios sapphicosque et alcaicos et qui ab his originem traxerunt transeamus. eorum plerique valde probati a Sappho Alcaeoque et Anacreonte, sed non minus a poetis Alexandrinis.

Glyconeus cum pherecrateo cum multum Anacreonti placuerit, quin iam a Sappho et Alcaeo sit usurpatus non potest dubitari. et utriusque numeri apud eos comparent

vestigia [cf. S. 46; 47; 49; 96; A. 80; S. 45]. phalaecium Sappho invenit, quam in quinto libro exempla eius et continuata posuisse et dispersa auctor est Caesius Bassus [gr. l. VI, 258]. asclepiadeo utroque ipsa pariter et Alcaeus concinnarunt carmina.

Glyconeus cum pherecrateo primum apud Catullum invenitur, neque dubiumst quin et ab aliis cantoribus Euphorionis sit receptus. posthac fuit frequentissimus. est autem octo syllabarum, constans trochaeo in basi posito et dactylo cum cretico. hic cum systematis similium numerorum plurimum vigeat, continuo solus carmine primum adhibitus est a Seneca, qui, quanto praestat elegantia et severitate versuum, tanto minor est eligendis digerendisque numeris. atque hunc secuti sunt auctorem saeculi p. Chr. n. tertii poetae et alii. — iam glyconeo si dempseris syllabam, oritur pherecrateus. at in unum collato utroque nascitur versus mollis ac delicatus ac Priapo deo, a quo Alexandrinorum tempore traxit nomen, aptus (ad Anacreonta auctorem referunt). is a Catullo et Priapeon poeta quodam adhibitus. sed non ita multum post Augusti tempora in desuetudinem abisse inde apparet, quod Terentianus [2752—81] exempla eius, ut oblivione diutina alieni, mirificis turbavit ineptiis.

Addito vero post basin glyconei choriambo oritur asclepiadeus minor, quo post Alcaeum et Sappho [cf. Atil. Fort. gr. l. VI, 295] primus usus Horatius, deinde alii haud pauci. proximus est asclepiadeus maior, qui fit altero adiecto choriambo. etiam hunc Aeolenses eorumque exemplo Catullus [c. 30] et Horatius, tum paucis versibus Terentianus [2714 sqq.], denique Prudentius [praef.] adhibuit, hic quidem praepositis glyconeo et asclepiadeo minore, ut quasi seriem originis trium commonstraret metrorum.

His adfinis versus phalaecius postquam semel receptus est, quam placuerit Romanis, supra iam declaravi. unde et proprie plerumque hendecasyllabi nomine significatur [ut Cat. 12, 10; Auson. ep. 4, 82 sq.; Prudent. peri st. 6, 162].

Eo vix minus populare fuit alterum hendecasyllaborum genus, cui a Sappho nomen inditumst. id, si systemate cohibiti versus dirimantur metro adonio, longe iucundissimumst. multum enim valet lepore, at non perinde vi. quare

minus placet, quod ab Horatio frequentius est adhibitum in argumento gravi. plurimum autem deperit suavitatis exempta varietate, ut apud Senecam. — huic si primam detraxeris dipodiam, oritur versus sapphicus minor, quem prima Sappho protulit [frgm. 61]. integra eo carmina composita non invenio praeter illud aetatis ultimae, quod ab Augustino in libris de musica servatum [Mey. 620]:

ite igitur, Camenae.

per systemata adhibuere eum Horatius [I, 8] et Claudianus [c. 12], hic quidem satis eleganter praeeunte dimetro choriambico. nam cum hoc alibi coalescit in unum sic:

Iane pater, Iane tuens, dive biceps, biformis.

de quo sic tradit Terentianus [1889] '*qui multos legere, negant hoc corpore metri Romanos aliquid veteres scripsisse poetas*'. tamen videntur apud Terentium, modicae alioquin circa metra audaciae scriptorem, in Adelphis tales reperiri versus duo [612 sq.]. mox isdem usi Serenus, Terentianus, Ausonius, Martianus. superest metrum, quod fit sapphico hendecasyllabo praeter ultimum amphibrachum et sapphico minore copulatis. id Horatius novitate ductus (nam ab Alcaeo iam usurpatum, quod tradit Diomedes [gr. l. I, 520] non credo, cum aliud asserat Victorinus [VI, 270]) nec tamen ineleganter semel adhibuit [I, 8], post nemo.

Iam pervenimus ad alcaicum hendecasyllabum. quem cum Sappho illustravit Alcaeus. hic ita potest videri compositus, ut sapphici hendecasyllabi prima pars subiecta sit fini. insignis est gravitate et robore. unde plurimum eo usus Horatius, etiam, quod minus arridet, in carminibus amatoriis et convivalibus. metrum ab hoc et Statio in systematis parte, a Prudentio [peri st. 14] et Claudiano [11] etiam solum usurpatum non ita ingratum fuisse vulgo ea re apparet, quod in hymnis reperitur [Dan. I, 89; 131]. hoc autem inverso sine anacrusi oritur decasyllabus alcaicus, quem cum phalaecio alternante iunctum per systema adhibuit Boethius [III, 4].

Iam cum Seneca choricorum liberius habita sic plerumque instituerit, ut singulos versiculos non Graecorum exemplo, sed dimidiatis versibus alcaico et sapphico hendeca-

syllabis nec non asclepiadeo minore vel aliquando adonio continuaret. obsecuti sunt ei posteriores iugando in unum duo talia cola sic:

heu quam praecipiti mersa profundo.

hoc metrum, mihi quidem ut videtur, fractum et elumbe, licet non careat exemplo Graeco [cf. Christ. metr. 468], mirifice ultimorum temporum hominibus placuit. unde et in hymnis optinuit. memoratur autem primum a Terentiano 1939 sqq. – praeterea metra simili compositione constantia ipsa apud Boethium habes talia [IV, 5]:

siquis Arcturi sidera nescit.
mergatque seras aequore flammas.

ubi vides initiis versus sapphici vel alcaici iungi adonium. alcaici principium cum Horatiano illo [IV, 7, 2]:

arboribusque comae

invenitur apud Luxorium [Mey. 316]:

monstrent, volatu praememores famulo.

similes autem facetias poterit videri primus adhibuisse Laevius decasyllabo tali:

ómnes sûnt denís sýllabís versí.

quem docti, quasi non legissent verba, iambicis distraxere dimetris.

Ex divulsis autem diversorum metrorum particulis conflatos versus etiam apud Graecos temporis seri invenias adeoque iam apud Aeolis veteres.

Superest, de asynartetis ut dicamus. quorum perexiguus apud Romanos fuit usus.

Ex his is, qui quattuor dactylis et tribus trochaeis constat, ab Archilocho prius, deinde ab Horatio usurpatus [c. I, 4], non nimis displicuit aetatis ultimae hominibus. nam et apud Prudentium [peri st. 12; 13] invenitur et apud Boethium [V, 5]. at aliast res in elegiambico metro, quod iam usurpavit Archilochus, et contrario. utrumque ab Horatio adhibitum in epodis [11; 13]. de quibus sic refert Caesius Bassus [2685]: *nam cum Archilochus heroi partem priorem cum iambici priore parte commiserit, ita ut antecederet herous in hunc modum 'scribere versiculos amore percussum gravi', Horatius immutavit, ut antecederet iambici pars,*

sequeretur heroi sic 'occasionem de die dumque virent genua', ut cum ex galliambo sotadeus fit, ex sotadeo galliambus, ut iam demonstravi. quod si vere tradidit ille, habet Horatius quo laetetur. nam et elegantius longest hoc metrum altero, quippe in quo insurgant et invalescant numeri. quibus equidem aptissime usus Horatius in carmine, quo hortatur oblitos vitae laborum periculorumque hilaritati et conviviis dare animos. sed horum, de quibus modo expositum, metrorum utroque nemo usus posteriorum, nisi elegiambico per unum carmen Luxorius [Mey. 304].

Iam procedimus ad systemata versuum. in quibus enarrandis utilissimum mihi visumst, temporum sequi ordinem, quorum pro diversitate insignis hac in parte poetarum Latinorum extat differentia. quod non casu factum, sed necessitate.

Itaque simul cum hexametro non multum impar nobilitate receptumst a Romanis systema elegiacum. de cuius origine sic tradit Plotius [2634]: *'elegiacum metrum dictum est, quod εε sonat interiectionem flentis, et hoc metro mortuis fletus componebant antiqui'.* ac similiter Horatius [ep. II, 3, 75]:

> versibus inpariter iunctis querimonia primum,
> post etiam inclusast voti sententia conpos.

addas epigrammata aliosque lusus, maxime amatorios, in quibus tamen Latini non magis quam Graeci semper usi hoc numero. parum illud probandum, quod ab Ovidio adhibitum idem didactico carmini, nec tantum iocosi argumenti, sed et gravis.

Iam Varronis Catullique aetate quotquot reperiuntur admissa systemata, plerumque habent versus synaphia iugatos, quod tamen ex parte casu accidisse reor. quis enim in tanta reliquiarum paucitate affirmabit in metro sapphico Catullum maiorem quam ipsam Sappho servasse normae severitatem, quae haud raro versus eius habet asynartetos? neque in asclepiadeis illius comparet exemplum synaphiae.

Contra systemata anapaestica, ionica, glyconica non casu recepere legem eius.

Ex quibus anapaesticis dimetris, aliquando addito monometro et in fine paroemiaco, usus Varro compluries. et isdem plane rationibus grassatum existimo Laevium, licet certo

non constet propter paucitatem versuum. sed tali anapaestorum coiugatione omnino abstinuerunt insequentes.

Iam periodis alternatim iunctis ionicorum a maiore denorum ac novenorum, catalecticorum quidem, usus est Laevius in Phoenice, quod in fine fuit Erotopaegnion carmen. cuius versus inde ab antiquissimo tempore pessime habitos nos iam sua donabimus forma paene citra mutationem ullam.

Itaque in capite Charisii nuper reperto [gr. l. I, 288], ubi de inconditis agitur numeris, haec extant: *sunt item saturnii quinum denum et senum denum pedum, in quibus similiter novum genus pedum est et ipsum ametron. de quibus nihil praecipitur, eoque nomine artis quidem res non est* (*artios quidem est* cd.). *et solent esse summi pterygiorum senum denum, sequentes quinum denum. quales sunt in pterygio Phoenicis Laevii novissimae odes erotopaegnion* '*Venus amoris altrix genetrix cupiditatis mihi quae diem serenum hilarula praepandere cresti opseculae tuae ac ministrae*'. *tum* '*etsi ne utiquam quid foret expavida gravis dura fera asperaque famultas potui dominio accipere superbo*'. haud sane apposuissem Charisii verba ipsa, hominis vanissimi, nisi eis declararetur periodos, quas iam dixi, binas singulis continuatas systematis. porro ut intellegi possit locus, ultima mutanda locis ita: *quales (saturnii) sunt in pterygio Phoenicis Laevii novissimae odes Erotopaegnion. et solent esse summi pterygiorum senum denum (pedum), sequentes quinum denum.* contineri autem carmine verba phoenicis avis ad Venerem bene monuit Buechelerus [ann. philol. a. 1875 pg. 306]. sed quod fuere qui conicerent Laevium imitatum Simmiae 'alas amoris' aliosque Alexandrinorum lusus sic, ut a denis pedibus ionicis ad singulos ex ordine descendens informaret alas phoenicis, id Charisii verbis refellitur. praeterea si ad versus minutissimos decrevissent numeri, vix potuit eorum natura fallere Caesium Bassum, unde tracta haec videntur. sunt autem, ut memoravi, pedes ionici a maiori severissima arte exculti et quorum systemata singula continerentur binis versibus, qui essent pedibus denis ac novenis, ut Catulli hymenaeus prior constat systemate ternorum glyconeorum et singulorum cum singulis pherecrateis. ceterum in numeris crebra soluta arsis. quibus reconcinnandis nihil novavi nisi

in *cupiditate* duplicavi *p*, ut Lucretius dixit *cuppedinem*, nec non addidi illud *ego*, quod quam facile potuerit absorberi voce praecedente nemo non videt. deinde cum testetur Keilius non satis constare, *hilarula* an *hilarulum* constet codice Neapolitano, id quod nos posuimus unice esse verum necessitate metri evincitur. praeterea dubito an pro illo *expavida* scribendum sit *experta*. nam vocabulorum interse mutatorum audaciam apte defendemus et Alexandrinorum auctoritate et hoc versu Catulli '*non ita me divi vera gemunt iverint*'. huic similia licentiae exempla Horatii enotavit Meinekius [praef. p. 37]. ceterum non unus veterum poetarum, quorum extant libri, Laevius synaphia iunctos continuavit ionicos a maiore. quippe vere puto a Buechelero in Sexagesi Varronis illi aequalis instauratos decametros ionicos a maiori catalecticos, quos et ipsi olim discripsimus [Non. 460, 7]:

néqueíquam agipínnís anatés rémipedés búxeiróstrís pecudés
palúdibús nócte nigra ád lúmina lámpadís sequéntés.

nam et narrat Victorinus [2537] metrum illud stare etiam per se integrum cum synaphia.

Tertia accedit stropha glyconeis composita et pherecrateis, qualibus usus est Catullus in hymno Dianae laudibus dicato et carmine nuptiali priore [34; 61]. qua in re convenit ei cum Ticida, ex cuius hymenaeo afferuntur hi versus [Prisc. 673]:

felix lectule talibus
sole amoribus.

ceterum ex illis poematis prius ternis glyconeis ac singulis pherecrateis compositumst, alterum ternorum glyconeorum ac singulorum glyconeorum pherecrateorumque systematis, quod praeeunte Lachmanno primus apte distinxit Hauptius. nam nisi post tertium quemque glyconeum in eo finiveris partem strophae, non constabunt leges synaphiae severissime in numeris glyconeis a Catullo servatae [ut v. 154; 174; 219]. Lachmanno autem parum prudenter oblocuti quidam non inveniri exemplum simile adfirmarunt. sed vix potest dubitari quin ab Alexandrinorum poeta uno alterove metrum illud sit petitum, ut omittam, quod Anacreon satis licenter glyconeorum systematis interposuisse videtur pherecrateos.

verum omnino ad rem facit, quod Laevium in Erotopaegniis per systemata iunxisse denos ac novenos ionicos a maiori modo demonstravi. nec minus Varro glyconeis usus cum synaphia. ex quo apparet in illis [Priscian. pg. 595]:

per
aeviternam dominum domum,
tellurem propero gradum

vel scribendum *perque* vel statuendum post illud *per* quaedam hausta. et glyconeorum quidem usum non recte ad principem auctorem Anacreonta, sed ad Alexandrinos hunc imitatos referas. — praeterea Catullus usus est sapphico systemate, nec non illo, quod binis constat asclepiadeis maioribus, et quidem citra synaphiam, etiam hoc cum imitatione Sapphus, cuius tertius liber talibus fuit conscriptus numeris.

At enim non potest demonstrari epodica illius tempore carmina provenisse. quae primum novasse Horatium ipsius adseritur testimonio illo [ep. I, 19, 23]:

Parios ego primus iambos
ostendi Latio numeros animosque secutus
Archilochi.

namque haec haudquaquam ita possunt accipi, ut eum dicamus gloriari iambis primum a se exclusa veterum licentia excultis. id enim ne statuas, Varronis Catullique et Bibaculi prohiberis exemplis, qui et ipsi tali arte composuere trimetros, ut omittam quae de Asinio et aequalibus Horatii tragicis supra memoravi. nec vero ullum epodici metri apud poetas Augusto priores invenitur vestigium.

Ex XVI Horatii epodis, qui systematis tenentur, primi decem constant iunctis exemplo Archilochi trimetris et dimetris iambicis. insequentium quinque praeter iambelegicum omnes apud Archilochum inveniuntur versus (habet idem elegiambicum), non quidem ut sit compertum, eodem illa coniuncta et conexa ab eo ordine, sed ut valde sit probabile. ex quo apparet Horatium in systematis epodon coiugandis Archilochi ad exemplum vel totum se accommodasse vel certe accessisse quam proxime. et XII carminis compositionem apud Archilochum extitisse auctor est Diomedes [gr. l. I, 529]. — confirmatur autem res ipsius

poetae verbis, cum dicit: *numeros animosque secutus Archilochi.* ubi per *numeros* non subtiliores quaedam pedum observantiae significantur, sed tota ratio metrica, ut per *animos* totum argumentum. et utroque respecto ab Horatio, qui nunc *epodon* dicitur liber, inscriptus est *iamborum.* — paenultimum carmen constat hexametris dactylicis et iambis puris.

Idem autem, quod de epodicis systematis eius, etiam de lyricis iudicandum statim demonstrabitur.

Ceterum in libello *κατὰ λεπτόν*, qui eodem fere quo epodi compositus est tempore, cum inveniatur systema ex trimetris constans et dimetris in carmine V, apparet quam cito increbuerit nova ars.

Quaeritur iam, lyricorum Horatii systematum, quae quaternis omnino contineri versibus Meinekius et Lachmannus docuerunt (ea plerumque minus proprie stropharum nomine appellata), unde fuerit origo. de qua re post alios multos, paulo antequam hic liber ad typographos deferretur, rursus egit G. Christius. est autem difficillima. duplex tamen patet via eius explicandae. nam aut statuetur cum Lachmanno illum etiam hoc traxisse ab Alcaeo, quem potissimum sequitur ducem, aut respectu nobilissimorum systematum, hoc est alcaici et sapphici, eandem rationem adhibuisse metris relicuis. sed de hoc certo ne constaret nobis, et paucitate reliquiarum Alcaei librorum et deficientibus testimoniis professorum veterum prohibitumst. certa enim exempla stropharum Horatianarum praeter alcaicam et sapphicam apud Graecos non extant.

Vix autem multum tribuas testimonio Diomedis, qui dicit [gr. l. I, 528 sq.; 519 sqq.] ut epodon XI, XIII, XIV, XV systemata, ita in lyricis asclepiadeorum mixtorum cum glyconeis sive pherecrateis strophas, item eam, quam habes II, 18, ab Horatio novatas.

Itaque hoc potissimum notandum, quod I, 4 systema etiam apud Archilochum invenitur, sed binorum scilicet versuum. II, 18 metrum diversus a Diomede Caesius [VI, 270] Alcaeo frequenter tractatum refert. et reperitur apud hunc dimeter trochaicus, apud Sappho trimeter iambicus catalecticus. sed hos quaternorum versuum, non binorum,

coiugatione dispositos ab illo quis audebit affirmare? quod autem fuere, qui Bacchyliden respectum putarent in hoc opusculo, quippe qui carmen item sobrietatis et temperantiae laudibus dicatum continuis exarasset trochaeis puris [frgm. 28], tenendum ut numquam alias, ita ne hic quidem Doriensium metricam respectam ab Horatio, id quod ipsum declarat systema, de quo agitur. itaque non magis hic quam in vaticinio Nerei [I, 15], ubi item constat ab eo observatum Bacchylidem [frgm. 29], metrum ab Aeolensibus alienum potuit admitti.

At de ceteris systematis quae dicam habeo haec. L. I c. 7 et 28 mixta hexametro tetrametroque dactylicis, quibus etiam Archilochus usus est. idem systema, sed binis versibus decurrens, etiam in epodis reperitur [12]; et a Diomede Archilocho tribui ante dictumst.

Asclepiadeis maioribus [I, 11; 18; IV, 10] exarata ter carmina. hoc metro totum librum, sed per disticha, a Sappho perscriptum supra memoravi. tetrasticha num praetulerit Alcaeus, non compertumst.

Porro III, 12 concinnatum ionicis a minori decametris, cum synaphia per unam stropham continuatis. hos item habet Alcaeus, sed incertum an dispositione diversa.

Praeterea IV, 5 cum etiam versus habeat archilochios, hexametrum dactylicum et trimetrum catalecticum, utrum post longum tempus (nam quae in primo libro extant eiusdem imitationis exempla 4; 7; 28, inter antiquissima numeranda comparet) ad Parii poetae revolutus sit systema Flaccus, sicut visum Diomedi [gr. l. I, 527], an ex Alcaeo sumpserit an ipse novarit, parum liquet.

Denique I, 8 proprio ab illo adornatum invento.

Vsus autemst alcaica stropha in XXXVII carminibus, sapphica in XXVI, asclepiadeorum generibus quinque in XXXIV. omnia omnino numero sunt CIV.

Alcaicis numeris et sapphicis promiscue persecutus est res argumenti gravis, levis, medii; asclepiadeis potissimum tenuia ac mollia. unde suavissimum quodque eius opusculum, veluti decantatum illud '*donec gratus eram tibi*', concinnatumst hisce.

Systemata epodon sunt VI, lyricorum XIII.

Leges vero tales instituit idem, ut in epodis versibus cunctis uteretur pro asynartetis, in lyricis ionicos [III, 12] totos continuaret per synaphiam, ceteros teneret ambiguos inter rationem utramque, sed saepius asynartetorum admitteret libertatem, plenamque synaphiae licentiam, elisionem vocalis sive verbum discerptum in fine versus, non adhiberet nisi raro admodum. de qua re libris IV et III curatius exponetur.

Iam quod ego supra tetigi Aeolensium systematum incuriam minimo post Flaccum intervallo optinuisse, exemplis comprobabo. igitur synaphia iunctorum versuum inde a Tiberii aetate praeter paucos Ionicos Terentiani et alterius auctoris ignobilis, quos affert hic [2060—2071], nullum prorsus extat vestigium nisi in canticis quibusdam Senecae liberius habitis. sed huius anapaestis quandam adfuisse synaphiam quod statuit Bentleius, numquam mihi probabitur. nam si ulla certior iunctura in illis evenit, quid facias, ut similia mittam, metris talibus:

spargeret astra
nubesque ipsas.
colit impense
femina virque
numen geminum.
iura pudorque
et coniugii.

haec quis umquam alia quam finiti plene ordinis excusatione stare posse credet? at non ita frequenter evenit brevis syllaba in fine anapaestorum. audio. nec tamen tam raro quam visumst Bentleio [de Phal. ep. pg. 186 sqq. ed. german.]. est autem haec norma antiquae artis, ut vel per se stantes ac libere agitantes numeri, si breves sint nimis nec propinqui longioribus, nulla causa aperta, sed arcana elegantiae lege communis finalis infrequenter fruantur libertate.

Praeterea sapphica quidem stropha aequabili ad ultima usque tempora usu viguit, sed alia eiusdem Horatii systemata tetrastropha qui adhibuerit non invenio, nisi semel alcaicum Statius, Severus [anth. l. R. 893] illud quod constat asclepiadeis tribus et uno glyconeo. quod et in hymnis pauculis reperitur. relicua vero metra Aeolica cum tanta arte tantoque iudicio fuissent culta ab Horatio, prorsus abiere

ex usu. magis viguere epodica. de quibus notandumst illud, quod Martialis ex trimetris hipponacteis et dimetris iambo exeuntibus conflavit [I, 61]. at aliae novae species systematum sunt ortae, quarum primus auctor fuit Seneca, qui semel in Medea [607—669] stropham versibus octonis sapphicis et singulis adoniis constantem adhibuit. nam quod in fine feruntur continuati decem et septem sapphici et adonius unus, foedissima illud interpolatione evenit vitium. etenim cum nonus ex his versus talis esset traditus '*patrioque pendet crimine poenas*', plerique ut tollerent vitium, ceterum clavum clavo expellentes, sapphicum metrum instauravere. satisfecerit Senecae qui pro verbis istis aperte glossam continentibus substituerit velut '*crimine amoris*' [cf. aen. X, 188]. quod si scripsit ita Seneca, dicit Nauplio exitii causam fuisse amorem Palamedis filii eiusque ulciscendi studium nimium.

Anniano ac Sereno tertiique p. Chr. n. saeculi auctoribus quatenus placuerint systemata versuum etsi non satis notumst, vix tamen falsi erimus statuendo magis illos abhorruisse a talibus quam posteriorum quemquam aut praecedentium. contra Ausonius, Martianus, Boethius ut versuum multiformium, sic systematum variorum inusitata novitate captum ierunt animos. igitur cum Catullus et Horatius optimorum exemplorum aemulatione iugatos non composuissent versus nisi eos, qui similitudine originis et arcana ratione musica quasi sponte coirent in systema, haud sane eadem aetatis ultimae hominum fuit modestia, qui varietatis potius studium casumve aut arbitrium secuntur. quod statim additis exemplis probabo. itaque apud Ausonium habes tetrametros trochaicos cum trimetris iambicis coiugatos et tetrametros dactylicos cum dimetris catalecticis. porro apud Boethium extant versus sapphici cum glyconiis invicem copulati nec non asclepiadei minores cum dimetris iambicis et cum trimetris versus elegiaci et phalaecii cum alcaicis hendecasyllabis; item cum sapphicis; nam III, 10, 2 corruptus est. piget plura addi, cum ante oculos res sit posita, quibus ultimorum imperii temporum carmina perlustrandi seu desiderium venerit seu necessitas. illud solum dignum laude, quod certe concinnitatis spatiorum habuerunt plerumque rationem non nimis dispares circuitu interse iugando versus.

Superest ut de systematis quibusdam dicam hymnorum. quae nulla causa poetica, sed usus facilitate cum provenissent, vix aliam habuere legem quam ut versus fere pares certo numero comprensi identidem repeterentur. itaque versuum in dimetris quaternorum, quinorum in trimetris, in tetrametris ternorum comprobavere strophas Prudentius, Sedulius, Drepanius, Orientius, Venantius, Eugenius [carm. 12; 13; 21], ut scholica quadam auctoritate sive Ambrosii exemplo concentum talem effectum esse appareat.

Restat ut de canticis quibusdam Oedipi et Agamemnonis Senecae dicamus [Oed. 403—415; 472—502; 709—737; Agam. 589—636; 808—866], liberius illis Graecorum ad exemplum, sed, ut mihi quidem videtur, mira inelegantia compositis. de quibus cum magna imperitia Fabricius disseruisset, pauca quidem Bothius correxit, ut tamen vel sic nulla illis carminibus constaret ratio. quare cum nec Grotefendius quidquam profecerit, qui in grammatica Latina eadem perlustravit, iam quid rei sit explanabimus. et primum quidem illud monebimus, penes nos stare digerendi versus arbitrium. qui quomodo in Florentino libro sint discripti, ex Peiperi Richterique cognoscitur editione. nec vero multum differt distinctio numerorum in ceteris libris eisque deterioribus. qui tamen aliquando rectiora praebent quam ille minimeque omnium in his canticis sunt neglegendi. — ceterum non ita multum discrepat recensio utraque a placitis nostris, excepto quod in ea saepius breviores versus contracti in longiorem, sicut et in Graecorum canticis factum. atque interpolatorum codicum traditio repraesentatur ut plurimum editionibus vulgatis.

Sed haec parvi momenti vel nullius. nam probabilest hos versus ab initio sicut Graecorum choricos continua fuisse exaratos scriptura. unde potuere oriri iam in ipsa antiquitate grammatici, qui eas crassa distinguerent Minerva. certe similem ob causam et in anapaesticis eiusdem Senecae et in Horatii ionicis turbatum.

Igitur cum cantica illa graecanica libertate composita esse supra memorarim, non ut solitam referant Romanis versuum aut systematum congruentiam, electis maxime metris comparet, quam fuerit Senecae tempore labefacta et convulsa elegantia antiqua.

Iam dignissimum memoria, quae reperiantur versuum genera, paene omnia ab Horatio esse sumpta, sive pleni seu divisi eius ut adhiberentur numeri. quae praeterea extant, ipsius Senecae in alienis inveniuntur canticis. sed illorum in numero plurima versuum sapphici et alcaici hendecasyllaborum, porro asclepiadei minoris constant partibus. quae proveniunt caesura. quarum legitimae species sunt hae:

floribus vernis.
cohibere mitra.
sensere terrae.
Lesbia cum thymo.
huc adverte favens.

hae tamen formae quasdam vicissitudines subiere. ac primum quidem evenit, ut sapphici coli spondeus dactylo mutaretur, velut ita:

te caput Tyria.
tradidit thalamis.

praeterea fuit, ubi numerus iste inverso ordine collocaretur, ita ut praecederet spondeus sequeretur creticus sic:

quam non flexerat.
non tristis videt.

at in alcaici priore parte videtur nonnumquam admissa initio brevis syllaba. namque observavi exempla haec:

inauspicata.
nec inpotentis.

porro asclepiadei versus membrum illud '*huc adverte favens*' soluto spondeo aut dactylo coacto has aliquotiens recepit formas:

effugium et miseros.
ut primum magni.
fraude sua capti.

et his quidem numerorum rationibus longe plurimi continentur versus. sunt et aliae quaedam, sed aeque illae a sapphico metro repetendae. cuius primo abiecto trochaeo habes velut talia:

Thermodontiacae catervae.
qui vultus Acherontis atri.

quibus accedit hic versus:

vidimus simulata dona

sive omisso versus sapphici medio spondeo sive iure basis

mitigato, sicut factum alibi in glyconio. non minus ex sapphico numero descendunt haec:

Ophioniaque caede.
molis immensae Danaumque.

praeterea systematum eorum, quibus informandis adhibuit Horatius versus supra memoratos, diversa metra item in his extant canticis. ac primum quidem haud infrequenter invenitur versus adonius, deinceps alcaicus decasyllabus, sed hic rarissime, tum glyconii admisso nonnumquam in basin trochaeo, quod alioqui vitatur a Seneca. ceterum ultra syllabas denas, quae quidem exempla paucissima, non progrediuntur numeri. — praeterea aeque Horatiani reperiuntur versus ithyphallicus et minor sapphicus sive anacreonteus et tetrameter dactylicus, quales habes hos:

educas alumnos.
pulveramve nubem.
et quos vicinus Boreas ferit.

porro aliquotiens ab ipso Seneca alibi in choricis positi extant anapaesticus monometer nec non dimeter trochaicus catalecticus, qui habet secundo loco spondeum (nam diversus est Horatii l. II in c. 18), ut puta:

te decet cingi comam.

verum plurima longe ab Horatio repetenda, cui etiam in eo morem gessit ille, quod aliena ab aequalibus libertate usus bis in fine versus et quidem in Agamemnone discerpsit vocem, parata sane a nomine proprio excusatione. quae an emendandi probabilitate tolli possint exempla, diiudicandum relinquo aliis. nam tria in eadem fabula posita talia:

nec impotens pro-
cella fortunae
servitium contemp-
tor levium deorum.
tuus ille bisse-
no meruit labore

novissimis curis iam sublata a nobis. sunt igitur haec:

carusque Peli-
dae nimium feroci.
aut cum ipse Peli-
des animos feroces.

Iam quod horum versuum, aut siquos ipsi prava sollertia novavere, saepe duo aut etiam tres coiugarunt in unum homines docti, fecerunt id insulsissime. etenim plerumque ne aptus quidem apparet conexus, nisi ubi versuum, quibus concisis vel discerptis constant cantica illa, legitima evenerit species, veluti ita:

vitae dirus amor, cum pateat malis

aut:

par ille regi, par superis erit.

et ne stabit quidem umquam ratio. nam vel sic, nisi frequenter et hiatus admissos et productas in thesi breves et lacunas nullo sensus defectu hiantes et similia perversitate males statuere, semper superabunt versus minores. sed certissimum inde argumentum assumemus, quod, cum ea metra, quae aperte longiore continentur ambitu, inveniantur omnino rarissime, talis fastidii nulla hercule causa poterit reperiri, si ceteros versus simili aut eodem fuisse existimabimus spatio. unde quid lucramur talia fingendo, nisi quod versiculos per se mediocriter formatos copulando reddimus pessimos? an sine causa factum esse existimabimus, quod conditores artis, ut his exemplis defungar, versus sapphici eum ordinem voluerunt, quem videmus, non hunc:

sacer et Cithaeron sanguine undavit.

nec alcaici talem:

militia puer robustus acri?

nisi forte eo pravitatis provectum esse credemus Senecam, ut sperneret optime coiugatos versus longiores, at amaret pessime.

Quae cum ita sint, nihil iam paratumst negotii, quin adscribantur cantica ista. in quibus cum pauca de coniectura novarimus nostra, haec, qualiacumque fuerunt, silentio transeunda censuimus.

Effusam redimite comam nutante corymbo,
mollia Nisaeis armantes bracchia thyrsis.
lucidum caeli decus,
huc ades votis,
quae tibi nobiles
Thebae, Bacche, tuae
palmis supplicibus ferunt.

huc adverte favens
virgineum caput,
vultu sidereo
discute nubila
et tristes Erebi minas
avidumque fatum.
te decet cingi comam
floribus vernis,
te caput Tyria
cohibere mitra
hederave mollem
bacifera religare frontem.

Sensere terrae
Zalacum feroces
et quos vicinus Boreas ferit
arva mutantes
quasque Maeotis
alluit gentes
frigido fluctu
quasque despectat
vertice e summo
sidus Arcadium
geminumque plaustrum.
ille dispersos
domuit Gelonos,
arma detraxit
trucibus puellis.
ore deiecto
petiere terram
Thermodontiacae catervae,
positisque tandem
levibus sagittis
Maenades factae.
sacer et Cithaeron
sanguine undavit
Ophioniaque caede.
Proetides silvas
petiere, et Argos
praesente Bacchum
coluit noverca.
Naxos Aegaeo
redimita ponto
tradidit thalamis relictam
virginem meliore pensans
damnum marito.

pumice ex sicco
fluxit Nyctelius latex.
garruli gramen
secuere rivi,
conbibit dulces
humus alta sucos
niveique lactis
candidos fontes
et mixta odoro
Lesbia cum thymo.
ducitur magno
nova nupta caelo.
sollemne Phoebus
carmen decorus
cantat infusis
humero capillis,
et geminus Cupido
concutit taedas.
telum deposuit
Iuppiter igneum
oditque Baccho
veniente fulmen.

Non tú tantís
causá periclís,
non haec Labdacidas petunt
fata, sed veteres deum
irae secuntur.
Castalium nemus
umbram Sidonio
praebuit hospiti,
lavitque Dirce
Tyrios colonos.
ut primum magni
natus Agenoris,
fessus per orbem
furta sequi Iovis,
sub nostra pavidus
constitit arbore
praedonem venerans suum,
monituque Phoebi
iussus erranti
comes ire vaccae,
quam non flexerat
vomer aut tardi
iuga curva plaustri,
deseruit fugas

nomenque genti
inauspicata
de bove tradidit,
tempore ex illo
nova monstra semper
protulit tellus.
aut anguis imis
vallibus editus
annosa supra
robora sibilat
supraque pinus,
supra Chaonias
celsior arbores
caerulum erexit caput,
cum maiore sui
parte recumberet,
aut feta tellus
impio partu
effudit arma.
sonuit reflexo
classicum cornu,
lituusque adunco
stridulos cantus
elisit aere.
non ante linguas
agiles et ora
vocis ignotae,
clamore primum
hostico experti.

Heu quam dulce malum
mentibus additum
vitae dirus amor,
cum pateat malis
effugium et miseros
libera mors vocet,
portus aeterna
placidus quiete.
nullus hunc terror
nec impotentis
◡◡ – procella
fortunae movet aut iniqui
flamma Tonantis.
pax alta nullos
civium coetus
timet aut minaces
victoris iras,

non maria asperis
insana Coris,
non acies feras
pulvereamve nubem
motam barbaricis
equitum catervis,
non cum urbe tota
populos cadentes
hostica muros
populante flamma
indomitumve bellum.
perrumpet omne
solus servitium
contemptor levium deorum,
qui vultus Acherontis atri,
qui Styga tristem
non tristis videt
audetque vitae
ponere finem.
par ille regi,
par superis erit.
o quám miserúmst
nescíre morí.
vidimus patriam ruentem
nocte funesta,
Dardana cum tecta
Dorici raperetis ignes.
non illa bello
victa, non armis,
ut quondam Herculea
cecidit pharetra.
quam non Pelei
Thetidisque natus,
carusque Peli-
dae nimium feroci
vicit, acceptis
cum fulsit armis
fuditque Troas
falsus Achilles,
aut cum ipse Peli-
des animos feroces
sustulit luctu
celeremque saltu
Troades summis
timuere muris.
perdidit in malis

extremum decus
fortiter vinci;
restitit annis
Troia bis quinis,
unius noctis
peritura furto.
vidimus simulata dona
molis immensae Danaumque
fatale munus
duximus nostra
creduli dextra,
tremuitque saepe
limine in primo
sonipes cavernis
conditos reges
bellumque gestans.
et licuit dolos
versare, ut ipsi
fraude sua capti
caderent Pelasgi.
saepe commotae
sonuere parmae,
tacitumque murmur
percussit aures,
et fremuit male
subdolo parens
Pyrrhus Ulixi.

Argos nobilibus
nobile civibus,
Argos iratae
carum novercae,
semper ingentes
educas alumnos.
imparem aequasti
numerum deorum.
tuus ille functus
bisseno meruit labore
adlegi caelo
magnus Alcides,
cui lege mundi
Iuppiter rupta
geminavit horas
roscidae noctis
iussitque Phoebum
tardius celeres
agitare currus

et tuas lente
remeare bigas,
pallida Phoebe.
rettulit et pedem
nomen alternis
stella quae mutat
seque miratast
Hesperum dici.
Aurora movit
ad solitas vices
caput et relabens
imposuit seni
collum marito.
sic sensit ortus,
sensit occasus
Herculem nasci.
violentus ille
nocte non una
poterat creari.
tibi concitatus
substitit mundus,
o puer magnum
subiture caelum.
te sensit Nemeacus arto
pressus lacerto
fulmineus leo
cervaque Parrhasis,
sensit Arcadii
populator agri,
gemuitque taurus
Dictaea linquens
horridus arva.
morte fecundum
domuit draconem
vetuitque collo
pereunte nasci,
tergeminosque fratres,
pectore ex uno
tria monstra natos,
stipite incusso
fregit insultans,
duxitque ad ortus
Hesperium pecus
Geryonae spolium triformis.
egit Threicium gregem,
quem non Strymonii

gramine fluminis
Hebrive ripis
pavit tyrannus
(hospitum dirus
stabulis cruorem
praebuit saevis),
tinxitque crudos
ultimus rictus
sanguis aurigae.
vidit Hippolyte ferox
pectore a medio rapi
spolium, et sagittis
nube percussa
Stymphalis alto
decidit caelo.
arborque pomis
fertilis aureis
extimuit manus
insueta carpi
fugitque in auras
leviore ramo.
audivit sonitum
crepitante lamna
frigidus custos
nescius somni,
linqueret cum iam
nemus omne fulvo
plenus Alcides
vacuum metallo.
tractus ad caelum
canis inferorum
triplici catena
tacuit nec ullo
latravit ore
lucis ignotae
metuens colorem.
te duce succubuit
mendax Dardaniae domus
et sensit arcus
iterum timendos;
te duce concidit
totidem diebus
Troia, quot annis.

Iam quam multiformes fuerint in metris Latini nemini, opinor, erit obscurum. quodsicui ne haec quidem satis ampla videbitur esse artis varietas, denuo excutiat metricos veteres

quaeratque, quae illi diversorum afferunt numerorum exempla, ab ipsisne sint ficta an sumpta de poetis. quod haud ita difficile poterit diiudicari. et maxime quidem omnium opus erit harum rerum existimatorem penitus esse imbutum Vergilii et relicuorum, unde sumunt sua grammatici, poetarum cognitione, statim ut appareat, sintne ista ex horum versibus conficta necne, dein illud videndum, an sint nimis inepta sensu, quam quae de poetis ducta videantur. ceterum potuit fieri, ut uno alteroque horum metrorum, praesertim abstrusis, uterentur Laevius ac Serenus et ut quisque horum simillimus. et monitum de quibusdam in appendice Rutilii Namatiani. nec tamen hic operaest mihi in minutiis immorari, cum vix summae rerum sufficiam.

III.

LIBER SECVNDVS.

DE PEDVM OBSERVANTIA.

Iam magna copia metrorum Graecanica arte compositorum prolata eorumque origine et usu modice percursis perlustravimus quidem, ut ita dicam, aedificii, quod visuri eramus, spatia ac parietes, firmos sane et duraturos, sed tamen, nisi accederet cura et sollertia, nec aptos satis tantis laboribus et impensis nec iucundos oculis et dignos cognitu. itaque ne aut nihil egisse videatur Ennius, qui primus rem metricam Latinorum novavit, aut plurimum ei, qui doluerunt, non modo quod Plauti, sed quod Aboriginum tam cito periere numeri, iam carminis Latini suptiliores quasdam regulas insequentibus deinceps exponemus libris. neque enim exceptiones dixerim, quales ubi videntur esse, etiam legum instar sunt habendae, minus late quidem patentium, sed quae et ipsae profectae sint ab illa rerum metricarum iudicii sobrietate et elegantia, qua vel Graecos superavere Romani. etenim quod facete dixere homines ingeniosi in tragoediis Sophoclis inesse aspera quaedam et incongrua non re, sed specie, quippe quae teneantur maioris cuiusdam concinnitatis et consonantiae lege, id iure optimo statui licet de metris dactylicorum Latinorum. possis etiam horum imaginem globi figurae adsimilare, cuius circuitus et spatia undecumque oriunda semper in se redeunt et cuius incisionibus variis omnino circuli, quae perfecta et ipsa formast, efficitur species.

Sed et haec et siqua vere exceptionum instar sunt habenda, simul diversa poetarum aeque bonorum isdem de rebus placita septem potissimum contineri videntur causis.

Quarum prima venit ab ipsa ratione metrorum et secreta elegantiae lege, altera a vocabulorum, quibus utuntur poetae, plerorumque condicione, tertia a sensuum vi seu proprietate, qua aliquando invertuntur leges versus, quarta a progressu, quem in arte faciunt poetae, quinta a novitate metrorum, sexta ab optimorum exemplorum, quorum praevalet auctoritas, differentia, septima a diversitate carminum. de his iam omnibus cum cura exponendum.

I. Itaque cum prima potissimaque lex sit versus Latini — nam apud Graecos non perinde servatur — ut cuiusvis ordinis metrici finis proprios sui referat numeros, at initia ferme habeantur indifferenter, iam apparet his ob illud ipsum maiorem evenire libertatem. constat autem finis ordinis in medio versu desinentis singulis pedibus, at in ultimo duobus aut uno ac dimidiato. praeterea dignissimum memoria legitimo quodam progressu et intendi et imminui diversarum partium licentiam, ita quidem ut priores loco etiam libertate sint potiores. veluti in hexametro dactylico semiquinaria caesura praedito quarti et quinti semipedum, quibus prior ordo cluditur, minus firmiter fere observatur norma quam, quibus posterior, pedum quinti ac sexti. porro primus dactylus cum dimidiato proximo etiam agitat facilius quam cum tertii parte altera quartus. verum haec in universum cum habeant rectissime, ne tamen errorem trahant, duae res erunt monendae. primum enim nullius, ne primae quidem sedis, tam eximia potest esse licentia, ideo principales versus rationes et aeternae leges elegantiae ut migrentur. deinde potest fieri aliquando in mixtis metris, ut nullo pacto, ne si ipse quidem velit Iuppiter, partes securius habitae prorsus possint percipere libertatem permissam ipsis. quod ubi evenit, legitime transfertur licentia ad proximum versus membrum, illi quod melius conveniat. contra pedes severiori alias obnoxii normae est ubi ob certas et non

mutabiles ipsorum leges, qualis est ut puta quinti in hexametro dactyli, exceptionibus talibus pateant, quibus propria eorum qualitas efficitur.

At a circuitu metrorum et pedum substantia regulae provenere tales. primum quo quis longior est versus, eo plures admittit exceptiones, illam quidem ob causam satis apertam, quod in talibus, sicui parti insit asperitas, ea relicuarum aucta elegantia compensari quasi potest et emendari. porro licentiae a pedum proprietate descendentis hic est modulus, plus ut habeant libertatis dactyli et anapaesti quam trochaei et iambi, his autem minus etiam mixta genere numerorum utroque, horum tamen ut variae partes pro diversitate pedum differentem normam sequantur. ceterum et eorum versuum, qui uno eodemque perpetuum continuato pede decurrunt, intenditur severitas, tum cum excluduntur seu necessitate sive arbitrio numeri ei, quos legitime permutare permissumst. quale habes Catulli metro hoc '*phaselus ille, quem videtis hospites*' et Sereni tali '*inquit amicus ager domino*', e quibus alterum solum dactylum, iambum solum recipit prius. namque is omnino apparet mos auctorum Latinorum, satis quidem notabilis ceterisque eorum rationibus congruus, quo magis subtiles sint ac laboriosi versus, eo accuratius ut excolantur. scilicet aliter primam compositionis elegantiam velut degenerare existimarunt.

II. Deinde late patens venia verborum, quibus constant versus, spatio ac proprietate oritur. ac primum quidem liberius habentur voces plurimo usu communis vitae tritae et necessariae, quales sunt coniunctiones, praepositiones, adverbia, pronomina et ut quaeque pars orationis proxime accedit ad istarum frequentiam. — porro perspicuas ob causas facilius migrantur leges carminis in multarum syllabarum quam unius vel duarum vocibus. nam quo erit minus apta numeris pars orationis, eo citius ansam praebebit exceptionibus, quibus metro accommodetur. ceterum non inepte addemus in adsignanda difficilioribus verbis libertate nativae tantum eorum formae habuisse rationem Graecos ac Latinos, non eius quae elisione admissa posset evenire. — sed plurimum inde ab Homeri et Hesiodi aetate usque ad Georgium Pisidam et Eugenium Toletanum versibus venit

libertatis a nominibus, quae dicuntur, propriis. nam cum optimo quoque tempore eorum vel quantitatem vel formam immutare haberetur nefas — unde Tullius in oratore [45, 153] nihil dicit immutandis vocabulis licentius esse factum, quam quod hominum etiam nomina contraxissent [cf. item Meinek. in ed. Babrii p. 139] —, et cum laetarentur tamen eis admodum poetae veteres, saepius quidem multo usi quam recentes (unde quis ignorat inveniri aliquando versus ex solis constantes nominibus propriis?) atque dis heroibusque et hominibus adeoque locis gratam esse rati πολυωνυμίαν, quam vocant Graeci, varia artificia ac praestigia reperiri oportebat, difficiliora ut aptarentur metro. ab his exiguo temporis spatio pariter ad omnia evagatast licentia. ceterum quod tam anxia cum cura habuere vocabula propria veteres, non poterit mirum esse reputantibus inde a saeculo XVII philologos, qui Latine sua componunt, tanto cum amore nomina sua barbara plerumque ori Romano et incongrua servare, iam ut verendum sit, ne ineptus habeatur ille, ineptis qui placitis obviam ierit. igitur primum quidem non erit mirum ipsa nomina ea, quam dixi, levari libertate. simili tamen ac pari fruuntur verba proxime praecedentia. et huius quidem usus innumera prostant exempla. sed nec illud infrequens, subsequentem vocem ob eandem causam haberi licentius, neque desunt versus, qui cur recedant a solita arte plane non apparet, nisi quod inest in eis quocumque loco positum nomen proprium. ceterum eodem ferme ob similitudinem rationum fruuntur iure cuiuslibet generis voces peregrinae, porro in didactico carmine nomina proprie ad argumentum spectantia quasi technica, qualia habes apud Manilium et Germanicum astrorum, medicaminum apud Serenum. ita licentiam saepe metri admittunt christiani rerum sacrarum vocabulis additis.

III. Aliud genus libertatis venit carmini ab oratoria sermonis concitatione gravique affectione animi. a qua remissior ars et numeri neglegentiores adeo non sunt alieni, interdum ut plurimum faciant ad elegantiam versus. quippe devincit nos nescioqua iucunditate forma sine cultu decens, cum praesertim minime fallat prudentem rerum in simplici isto habitu longe maiorem inesse artem quam alibi

vel in ornatissimo. ceterum cum plerumque sermo commotior indicetur verborum aut cumulatione aut iteratione sive oppositione, dabitur venia, quod dicam plerumque parum proprie ab hisce ortas exceptiones metricas. proximum autemst, quod in oratione vel leni ac mediocri a multarum rerum enumeratione quaedam versui oritur libertas. praeterea intellegitur minime oportere poetas cultas ipsis leges servare in aliorum versibus afferendis, neque sine causa factumst, quod auctores christiani, locos de scriptura sacra petitos carmini ut accommodent, minus aegre patiuntur alioqui placitam metrorum normam immutari.

Veluti Phaedrus cum numquam sustinuisset quartum pedem senarii constare verbo in spondeum exeunte, non timuit citare Ennii metrum tale [III epil. 34]:

palam mutire *plebeio* piaculumst.

atque ita Sedulius usus est hiatu prorsus abhorrente a placitis suis in oratione dominica [c. p. I, 305]:

sic ait ipse docens '*ego* in patre et pater in me'.

IV. Et haec quidem exceptionum genera ipsa natura metri et orationis oriuntur. alia vero a progressu artis seu defectu temporumque intervallis et diversitate operum repetenda. qua in re hoc potiores Latini, quod apud eos pleraque metra legitimo successu venere ad summum, cum apud Graecos, qui vetustissimi auctores artis, idem sint et perfectissimi. praeterea posterioribus horum offecit nimia Homeri auctoritas, quem sane ea veneratione sunt prosecuti, quam *εἰδωλολατρείαν* vocant ipsi. aliquanto rarius evenit apud Latinos, ut elegantiae leges prae Ovidii Vergiliique placitis spernerentur.

Igitur non mirum diversas inter se et dispares pro temporum varietate singulis poetis adfuisse rationes metricas. quamquam huius rei iudicium lubricum identidem et ambiguum, primum quia plerorumque auctorum veterum libri quonam ordine fuerint compositi ignoratur, tum quod omnino veterum scriptorum prima ars a summa non eo distat intervallo, quod optinet ferme initia inter ac fines neotericorum. scilicet similes interpretum eorum, quos dicit Lessingius edere conversa e linguis externis scripta non habentes, sed

parantes sermonis alieni peritiam, adulescentuli nostri, qui carmina factitant, reperiuntur sudantes laborantesque in studiis προπαιδευτικοῖς metrorum eis, quae ut ad omnium pariter eruditionem liberalem pertinentia scholae attribuerunt veteres. — ita magis exculta ars comparet Horatii in Epistulis quam in Saturis, Statii in Achilleide quam in Thebaide, Corippi in laudibus Iustini quam in Iohannide.

Ceterum quamvis verum sit poetas plerumque, quo longius procedunt in studiis, eo magis curam intendere, est tamen ubi contrarium eveniat. veluti satis notum Sophoclem et Euripidem inde ab anno fere 425 plura sibi in numeris tragoediarum permisisse quam antea. atque Horatius in IV lyricorum, quem post tempus satis longum addidit prioribus, cum intenderet artem exclusa ab anacrusi metri alcaici brevi et bis, non saepius [1, 35; 3, 24], elisis longis, remisit eandem adhibita magis quam ante caesura trochaica in versu sapphico. item ab Ovidio laxioribus adstrictos frenis pentametrorum exitus post exilium cui ignotum?

Praeterea potest fieri, ut poetae vel cultissimi, sive amore antiquitatis sive studiorum proprietate ducti vel ludendi cupiditate [cf. Pers. 6, 9; Martial. XI, 90, 4 sq.], aliena ab aequalium usu sustineant aliquando inserere carmini.

V. Nec non refert permagni novisne an pridem vulgatis numeris utantur poetae, quoniam ut in vita, ita in arte plurimum iuvamur exemplis. quae vel si mala sunt ad verum inveniendum viam communiunt; quid, ab omni prope parte si perfecta? at per vacuum incedenti cum gloria intendi pericula. quare non est mirum antiquiores Romanorum nonnumquam inelegantia lapsos, donec stabilitis metricae Latinae legibus ad firma eademque sana placita se verterunt insequentes.

VI. Et tractata plurimum et tractandast materia imitationis veterum poetarum. in qua illud plurimum curandum, praesertim in Latinis poetis, ne aut parum simus diligentes aut nimium. etenim cum collegiorum poeticorum contentionibus ipsaque natura linguae Latinae, quae aliquanto minus idoneast numeris dactylicis quam Graeca, cito formulae quaedam elocutionum evenissent, suo quaeque metro aptissima, item finales eo magis adhiberentur usu,

quo quaeque esset dactylico numero accommodatior, non poterit mirum esse, quod, ut hoc utar exemplo, in versibus Latinis circa finem hexametri, cuius moduli excluso fere a quinta sede spondeo accuratissime servantur, saepe similia interse occurrunt, in quibus non sit cogitandum de imitatione ulla, sed de fortuito quodam concentu. de qua re luculentissime expositum a Zingerleio in dissertatione de repetitis in fine hexametri Latini similibus eorumque origine, quae legitur in libello de posteris aetate poetis quibusdam Latinis I [44 sqq.]. idem tamen disputationibus de Horatio [l. m. I, 1 sqq.], Ovidio, Martiale editis [Oeniponti 1869—71; 1877] demonstravit, quantum se prioris temporis illustribus poetis et pro exemplo adhibitis propter auctoritatem nominis applicassent saepe auctores vel tales, quorum ab ingenio omnis esset aliena inopia. ad hos igitur libros remittimus, siqui accuratius voluerint doceri de re gravissima.

At ubi corroborata post medium a. u. c. saeculum octavum Latini versus arte non nova reperire, sed retinere parta interfuit plerorumque, tum vero quasi tumultu facto in diversa discessere poetae, pro varietate ingeniorum alius aliud Augustei aevi exemplum imitatione prementes. atque maxima apud recentiores auctoritate viguere Vergilius et Ovidius. quippe hos non similis modo materiae scriptores, sed omnes, quotquot fuere, quam religiosissime observarunt. quare non perinde magnum locum in lyricorum versuum et satiricorum arte constituenda optinuit Horatius, nec multum valuit exemplo Tibullus. Propertium qui sint secuti non invenio praeter Passennum Paulum, quem Propertium, a quo genus duceret, felicissime imitatum dicit Plinius Ep. IX, 22. id tamen num ad metricam artem pertinuerit, incertum. certe nihil de hac re monuit Plinius, qui eandem in Catulli Calvique imitatore quodam adnotare non supersedit [I, 16, 5].

Sed gravissimum inde ortum discrimen inter poetas Augusto posteriores, quod quidam Vergilium, Ovidium alii magis probavere ducem. etenim alieni longe fuere plerique Latinorum ab illa pravitate, qua nunc illum solum unicumque principem artis Latinae, alterum suptilem opificem versuum existimant. et quamquam uterque sectatores habuit sat multos, tamen potiores aemulati Ovidium, ut vel hinc

possit concludi illius magis normam gentis Romanae indoli et suptilium ingeniorum proprietati convenire. scilicet Nasonem secuti fere auctores Priapeorum, Columella, Lucanus, Homerus Latinus, Calpurnius, auctor ad Pisonem, Seneca, Martialis, Nemesianus, Palladius, Claudianus, Rutilius, Merobaudes, Avianus, Sedulius, Arator, Boethius, plerique poetarum minorum, Vergilio accessere Persius, Valerius, Statius, Silius, Ausonius, Prudentius, Paulinus, alii. quidam ambigui, ut Manilius et Iuvenalis, aut pro varietate operum diversi, ut Corippus. ceterum vel qui magis probavere Maronem, longe pluribus rebus Ovidium quam quibus hic placuit illum observavere. iam ultimorum temporum homines quod quasi expertes legum et Faunis vatibusque similes fuisse credunt vulgo, turpissimo illud errore optinuit. adeo enim illi non alieni ab arte, ut potius artificiis plerumque labantur, nec metrorum hercule pedumque diversitate neoterici differunt ab antiquis, sed potius prosodiae et quantitatum. quod non erit mirum reputantibus, quanam religione illi grammaticorum aequalium praecepta absurda plerumque, sed saepe difficilia sint executi.

VII. Praeterea pro materiae diversitate et spatio librorum oriuntur exceptiones. quippe apparet non decere admitti breviculo carmine, quod multis milibus versuum constante. nam tale dum legimus, animus ad finem properans seu devinctus varietate rerum non nimium immoratur taxandis vitiis. at pusilla elegantia et suptilitate, quibus solis valent virtutibus, praestare oportet. tum similis ambitus opera multum interest quodnam ad genus poesis pertineant. quippe graves et severi cum tragicis et melicorum plerisque epici, remissi satirici et ut quisque humilia sectatus, medii didactici et elegiaci. hinc pro varietate librorum diversa legis firmitas. fatendum tamen magis id pertinere ad Graecos, quibus ipsa natura adesset longe maior et artis varietas et copia exceptionum. at Romani ab antiquissimo aevo vel in hac parte servantes indolis proprietatem haud ita dissimiliter omnes studuere elegantiae et concinnitati.

His praemonitis non potest fieri quin pleraeque seu leges sive exceptiones metrorum recte percipiantur. nam a casu et arbitriis pauciores etiam et tenuiores repetendae

res in versibus Latinis quam in Graecis. contra quod saepe insolentiam metri compluribus simul rationum earum de quibus exposui videmus excusari, eo acrior eveniet prudentibus admiratio veterum poetarum, re ipsa qui comprobarint ingeniis probe institutis legum firmitate inniti vel licentiam. praeterea cognitu haud absurdus mos poetarum Romanorum, epicorum maxime, multiplicandi uno versu exceptiones, qui, cum specie prima possit videri solitae horum normae esse dissimilis, altius introspicientibus apparet congruens omnino et aptus. quippe eam haud dubie ob causam descenderunt ad placitum tale vates illi, quod, unius metri exiguitate spatii facile dilabentis e memoria insolentiam cumulatam iam plurimorum versuum integro decore cum compensarent, facilius potuit servari severitatis Latinae proprietas quam dispersa passim licentia.

Igitur nihil iam obstat, quominus propriam huius voluminis materiam, h. e. varias diversorum pedum formas ordine expediamus, quod eo laetiore animo opus aggredimur, cum non alia in re plenius appareat insignis Graecorum et magis Romanorum suptilitas et elegantia.

Et primum quidem omnium rationes apponam metricas, quarum, cum sint certae firmaeque, velut fundamento niti oportebit omnem huius libri disputationem.

Itaque prima lex est, ut in metro Latino pedis dactylici non possit solvi arsis.

Dubitatum multum a doctis de Ennio; cuius ab hexametris Hermannus [elem. doctr. metr. 347] aliique non alienum putarunt proceleusmaticum sive anapaestum. qua de re eo difficilius est iudicium, cum non abhorreat a vero rationes illas falsissimas et perversa interpretatione Homericorum quorundam versuum ortas, quibus adducti grammatici nonnulli et acephalos numeros et myuros et quos non? in Iliade et Odyssea deprehendere sibi visi sunt, non ignotas fuisse Ennio, studiosissimo et ipsi, siquis fuit alius, rerum grammaticarum eodemque minime alieno a grammaticis minutiis argutiisque. igitur retractatis ante annos decem carminibus eius rem in medium reliqui, cum praesertim exempla proceleusmatici vel anapaesti contra artem positi omnia in primo constent pede, qui maiorem quam ceteri

sibi vindicat libertatem. conferenda quae in vita Ennii pg. 224 dicta quaeque in commentario editionis ad Saturarum v. 53 adscripta. ac tamen plerumque adducor, ut corrupta illa existimem. sunt autem numero tria, ex quibus duo inveniuntur in fragmento pessime corrupto Hedyphageticon, quod servatumst Appuleii libro de magia [cap. 39]. quorum verba feruntur haec [sat. 53; 59]:

Mytilenaest (mitilene est *libri*) pecten charadrusque apud Ambraciai finis.
melanurum, turdum merulamque umbramque marinam.

et in hoc quidem versu reponendum *tum turdum, merulam, melanurum u. m.* coniecit Schraderus. in altero quaerendum an *Mytilenae* alia forma eaque brevior extiterit veluti graece dicitur *μύτλος* pro *mytilus, mutilus.* restat Annalium, quod videtur, metrum tale [267]:

capitibu' nutantis pinos rectosque cupressos.

id a Gellio Nonioque [XIII, 21, 13; 195, 22] allatum nulla fere varietate scripturae, nisi quod huius in libris est *nutantibus,* sicut in Vossiano illius a manu prima. iam utrum sotadeo potius numero contineantur verba ista, id quod olim visum nobis, in hunc modum:

cápite nútantís pínos réctósque cupréssós,

an scribendum sit *nutantis capitis,* quam nuper protulimus coniecturam, an per syncopen efferendum *captibus* an denique proceleusmaticus tolerandus, penes alios erit iudicium. erravit autem in his tractandis Ritschelius, qui in trochaicos numeros eosque parum elegantes distraxit ea ita [opusc. IV, 108]:

capitibus nutantibus
ibi pinos rectosque cupressos,

oblitus a Gellio unum dici versum. neque verba huius quae secuntur: *contra vero idem Ennius in annali duodevicesimo 'aere fulva' dixit, non 'fulvo'* interpretatus est recte, ubi illud *contra* non ad carminis diversitatem pertinet, sed ad generis.

Ceterum quamquam de Ennii rationibus non prorsus constat, non tamen hercule dignumst grammaticorum refellere ludibria, qui a Vergilio, ut acephalos versus et myuros, etiam proceleusmaticum pedem vel anapaesticum admitti pro dac-

tylo asserunt, cum nullo tempore defuerint qui probarent veriora [cf. Serv. ad georg. I, 397].

Altera regula numerorum extat Latinorum, ut dactyli thesis semper possit cogi in unam longam in ordine tribus pedibus integris non minore. ceterum quo minutius erit metrum, eo magis exclusus est spondeus. nec vero ullo pacto credibilest trochaeum umquam aut creticum poni pro dactylo.

A qua norma exempla aliena quotquot ferebantur apud antiquissimos auctores, in editionibus Ennii Luciliique ac Nonii sunt sublata. veluti in fragmento Enniano [ann. 514]:

viresque valentes
contudit crudelis hiemps

illud *contudit,* etsi diserto firmatur testimonio Prisciani, qui dicit eius produci paenultimam, haud sane existimavimus ferendum. etenim ut largiamur admissum aliquando ab Ennio trochaeum pro dactylo, tamen non aliter putabimus id factum quam in verbis averso Apolline natis et heroico metro ineptis. sed cur poneret ille violata lege creticum *contudit,* cum esset in promptu servata dicere aut *contunsit* aut *contutudit?* quod ipsum venisse ab Ennio omnibus spondebo pignoribus. quis autem ignorat et Priscianum et alios grammaticos haud raro falsis et corruptis uti testimoniis?

Porro ut minime similest veri admissos esse ab antiquissimis pro dactylico numero pedes alienos praeter spondeum, ita certo constat apud nullum insequentium, ne apud eos quidem, qui ultima aetate vixerunt, tales inveniri. scilicet quantumvis inepta magistrorum placita iudicii probitate declinarunt poetae, ut rationum perversitas, sicut fieri solet, vivido usu mitigaretur. quare ubicumque apud christianos trochaei aut cretici positi sunt pro dactylis, non metrorum hercule, sed quantitatum inversus est modulus, sicut in illis Homericis *δῶρα παρ' Αἰόλου* et *Πύθιον καλέουσιν.* de qua re l. VI exponetur.

Tertia sancitast ea norma, ut in numeris anapaestico, iambico, trochaico, choriambico continuum decurrentibus pro arsi plerumque possint poni binae breves.

Quartum servatur, ut spondeo vice iambi seu trochaei posito numquam possit succedere anapaestus sive dactylus nisi in ordine plene iambico vel trochaico. nec vero in tali promiscue, sed artis finibus circumscriptus adhibetur idem. ceterum plane sic ut in dactylico numero evenit, ut, quo brevius sit metrum iambicum vel trochaicum, eo difficilius admittantur formae alienae.

Quintum optinet ut in versuum fine ultimi tres semipedes principalem propriumque rigide conservent numerum. quam ad legem iuvandam nec non ob certam rationem musicam ultima metri syllaba pro communi habetur et indifferenti, neque hiatus defugitur in ea sequente in proximo versu vocali. utrumque tamen alienum a versibus synaphia iunctis.

Ceterum magis amare poetas Graecos et Latinos concludi metrum vel longa syllaba vel brevi tali, quae terminaretur consona, notaverunt plerique. atque hinc haud pauca, quae in fine versus memorantur ut a solita dictione aliena, possunt explicari.

Quod cum ita sit, dubito plerumque, an potius ita lex sit illa formanda, ut dicamus brevem syllabam in fine versus cuiuslibet extendi, cuius rei causa libri III initio aperietur, veteresque etiam ibi, ubi ultima haud dubie propter originem metri esset corripienda, censuisse longa opus esse finali (quae res et hexametris hypermetris et aliis comprobatur argumentis), quippe quod congrueret vocis interstitio post finem versus legitimo.

Igitur in heroico versu vel pueris notumst optimam constare rationem numerorum mixtis dactylis et spondeis, par ut utrisque cedat numerus pedum. qualis si spernitur aequabilitas, aut fractus nimis et mollis aut durus et onustus existet rythmus. est tamen, ubi laudi cedat per opportunitatem, quod ratione culpetur. tales habes facetias noto

Schlegelii carmine de hexametro et haud paucis exemplis Maronis, cuius sunt decantata haec [georg. III, 220; aen. VIII, 452; 596]:

illi alternantes multa vi proelia miscent.
illi inter sese multa vi bracchia tollunt.
quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

ultima sic est imitatus Corippus [ioh. V, 19]:

socium terroribus agmen
exagitat solidum quatiens levis ungula campum.

magis laudanda illa, quae quaternos habent spondeos sive dactylos. veluti eiusdem Maronis sunt haec [georg. I, 281; 201; aen. IV, 581; V, 481]:

ter sunt conati imponere Pelio Ossam.
non aliter quam qui adverso vix flumine lembum.
idem omnes simul ardor habet. rapiuntque ruuntque.
sternitur exanimisque tremens procumbit humi bos.

quin in partibus versus idem Vergilius invenitur dactyli spondeique sapienter digessisse vices, ut puta [aen. I, 586]:

vix ea fatus erat, cum circumfusa repente
scindit se nubes et in aethera purgat apertum.

quibus apte depingitur nubium primum lentius, deinde, ubi in nubeculas sunt dilapsae, celerrime discedentium species. digna memoria et illa [aen. IV, 309]:

quin etiam hiberno moliris sidere classem
et mediis properas aquilonibus ire per altum.

ubi priore metro labor Aeneae quamvis iniquo tempore classem reficiendi per spondeos, altero studium quoquo modo abeundi per dactylos pulcherrime adumbratur. nec minus elegantia quae secuntur [g. I, 319; IV, 300]:

quae gravidam late segetem ab radicibus imis
sublimem expulsam eruerent.
huic geminae nares et spiritus oris
multa reluctanti obstruitur.

est ubi complurium versuum spatiis tales facetias continuet auctor idem. prout est in primo georgicorum [356]:

continuo ventis surgentibus aut freta ponti
incipiunt agitata tumescere et aridus altis
montibus audiri fragor aut resonantia longe
litora misceri et nemorum increbrescere murmur.

quibus similia habes cum alia plurima tum quae initio

aeneidos leguntur tempestatem describentia [81—91; 102—123] quaeque in altero eiusdem volumine de turri in Danaos praecipitata [460—467]. neque ulla maior est laus Vergilii quam quod istis frequentissime pariter ac felicissime usus est facetiis. et inveniuntur similia haud ita raro apud Horatium Ovidiumque, minus apud posteriores, a quibus subtiliora pedum temporis spatio aequalium discrimina paulatim omissa.

Praeterea quod creditur apud Ennium et Lucilium pleraque abundasse spondeis, cum minime probetur maioris spatii fragmentis, ex quibus solis cum quadam probabilitate diiudicabimus normam illorum, dubito plerumque, an eo tantum differre veterum artem a posteriorum dicam, ut illi, dum versus conficerent, sine lege nunc dactylos nunc spondeos continuando, parum videantur curasse concinnitatem numerorum et varietatem. — sed enim sermo Latinus cum plures multo longas habeat Graeco, ob id ipsum versus dactylicos oportuit duriores evenire apud Romanos. nam et apud Vergilium pleraque scatent spondeis, neque Ovidius et qui proximi ei artis perfectione aut voluere aut potuere volubilitatem Graeci carminis exaequare, sed satis habuere longioris pedis ac brevioris quantum posset fieri exaequare usum. itaque apud optimos hanc fere proportionem fuisse existimes, ut ex octonis septenisve pedibus terni essent dactyli, apud deteriores, ut ex senis bini, ceteri spondei, cum apud Graecos contrarius obtineret modulus. praeterea adnotandum a satiricis auctoribus, quo propius accederent ad sermonis quotidiani exemplum, magis adamatum spondeum. ex ceteris ut quisque potius ad Vergilii sive Ovidii applicavit se imitationem, disyllabum trisyllabumve saepius adhibuit pedem.

Ceterum omni tempore merito displicuit spondeis solis constare numerum. de qua re Albinus, qui rem metricam tractavit versibus, ut circa idem tempus h. e. sub finem s. III Terentianus et saeculo fere post Rufinus, a quo [gr. l. VI, 565] citatur (nam quod apud hunc [ib. 573] in fine eorum qui de numeris latine scripserint memoratur Servius, id nomen haud dubie additum ab interpolatore monacho) —

sed ut redeam ad propositum, Albinus de versibus supra dictis ita refert [gr. l. VI, 211]:

vile spondeo totum concludere versum.
pars potis est fieri, iunges si dactylon apte.

atque ita Ennius [ann. 66]:

olli respondit rex Albai Longai.

at non perinde constat eiusdem esse auctoris haec [ann. 169; dub. 5]:

cives Romani tunc facti sunt Campani;
introducuntur legati Minturnenses.

verum post Ennium qui classicorum idem admiserit non invenio praeter unum exemplum Catulli [116, 3] '*qui te lenirem nobis neu conarere*'. at nec illud satis habet recte, quod quidam homines docti tribuerunt Lucretio [VI, 1133] '*an caelum nobis natura ultro corruptum*', et peius quod dixere nonnulli spondiazontem esse Vergilii talem [VII, 634] '*aut leves ocreas lento ducunt argento*', cum brevem esse primam in *ocrea* probetur Diomedis et Plotii testimoniis [495; 2627]. Terentianus quod de primo, qui dictus est in antiquitate, hexametro *ἰὴ παιάν, ἰὴ παιάν, ἰὴ παιάν* sic rettulit [v. 1592]:

spondeis illum primo natum cernis sex,

non neglegentia potius quam consilio illud evenisse nemo non videt. deinde eodem vitio abstinuerunt ferme christiani. tamen legi apud Avienum [descr. orb. terr. 1204]:

et procerarum fluctu vernat palmarum.

et apud Iuvencum [h. e. IV, 233; 629]:

certatim duplis auxerunt incrementis.
proiecit templo tum detestans argentum.

ita Drepanius [LXI, p. 1087]:

te muti pisces, te virosi serpentes.

Iam ut cetera exsequar, satis certo potest demonstrari illud, aequabiliter distribuendis numeris, si penthemimeris adsit hexametro, debere esse primum pedem et secundum et quintum dactylicos, ceteros spondiacos. unde egregius quisque versificator sic opus suum solent ingredi, veluti Maro Aeneida, Metamorphoses Ovidius, Lucanus Pharsaliam, Statius Achilleida. praeterea magis placet secundi et quarti quam aliarum partium inverti numeros. at in hephthemimeri mutata paullulum ratione, quae locata sunt ante caesuram,

cum debeant potius anapaesticum quam spondiacum numerum referre, thesis secundae et tertiae iam invertitur condicio, quali metro Vergilius orditur Georgica:

quid faciat laetas segetes, quo sidere terram.

hinc, si quintae sedi addatur spondeus, cum ad exaequandos numeros praecedens utique debeat habere dactylum, apparet non posse bene poni paenultimo loco pedem breviorem, nisi ut adsit metro semiquinaria.

Has autem perfectorum versuum species, quo quis fuit praestantior arte, eo magis frequentari verumst.

Quibus iam omissis pauca adiciemus de spondeo quinto. quem cum necessitate carminis victi identidem adhibuissent antiquiores Latini, alia longe poetis placuerunt novellis, qui aemulatione Alexandrinorum eo iam sunt usi pro ornamento. veluti Catullus spondiazontem finem hexametri cum alibi satis frequenter admittit — abstinuit tamen eodem in hymenaeo — tum in epyllio de Peleo et Thetide, quod paullo plus CCCC habet versus, viciens quinquiens non minus, semel etiam [78—80] ternis continuatis exemplis, cum alibi ne bina quidem apud Latinos inveniantur iunctim propagata. porro similes fuisse rationes sociorum Catulli probatur noto Marci Tullii ioco, qui in epistulis ad Atticum [VII, 2, 1] *ita belle* inquit *nobis* '*flavit ab Epiro lenissimus Onchesmites*'. *hunc σπονδειάζοντα sicui voles τῶν νεωτέρων pro tuo vendita*'. ita Cinna '*atque imitata nives lucens legitur crystallus*'. at Vergilius et Ovidius ratione exemplorum, sed non perinde frequentia similes fuerunt Catulli, quem magis aequavit auctor Ciris. ceterorum, Augusti tempore qui vixerunt, haec sunt placita. habet Propertius spondiazontes, sed raro, cum Tibullus simplex poeta et porro Culicis auctor omnino facetiis talibus careant. Horatius ex varietate operis diversus. nam cum in melicis et iambicis pro tanta hexametrorum paucitate satis multa habeat exempla spondiaca, eadem in Saturis et Epistulis praeter unum et quidem valde suspectum [a. p. 467] omnino devitavit. etenim numeri spondiazontes cum aetate eius solerent adhiberi ambitiosa iactantia eruditionis et cupidine versuum molliculorum, iam non potuerunt non abesse a satirici carminis simplicitate et cruditate, licet alioquin hoc abundet spondeis. haec autem quae modo

exposui placita quin etiam Tiberio Claudioque ac Nerone imperitantibus valuerint non est dubium. itaque Persius cur nullos spondiazontas admiserit satis aperte declaravit versu, quem unicum habet spondiazontem. namque eius in prima satura haec leguntur [92]:

sed numeris decor est et iunctura addita crudis,
claudere sic versum didicit 'Berecyntius Attis'
et 'qui caeruleum dirimebat Nerea delphin',
sic 'costam longo subduximus Appennino'.

in his quod primo loco posuit Persius 'Berecyntius Attis', videtur ab eo irrideri epicorum mos ubique rebus personisque vel notissimis addendi epitheta vasta et sonantia, inania tamen. secundo versu carpitur, quod frequentissimo usu ponuntur a poetis Latinis deorum nomina pro earum rerum, quarum curam habent ac tutelam. de qua re Lachmannus [p. 164] et Hauptius [prooem. l. Berol. 1859—1860 p. 8 sqq.] exposuerunt. nam cum quaedam ex illis tam vulgaria facta essent, etiam in pedestrem sermonem ut transirent, puta *Mars* pro *bello*, item *Bacchus* pro *vino* seu pro *fruge Ceres* vel *Venus* pro *libidine* dicta, alia tamen subinde provenerunt vel poeticae orationi nimia. qualia sunt cum Ovidii exempla quaedam et Statii, tum hoc Silii [V, 404] '*ille sibi longam Clotho turbamque nepotum crediderat*' et Columellae [217] '*ista canat maiore deo, quem Delphica laurus impulit*', cum modeste dixerint Horatius [c. IV, 2, 33] '*concines maiore poeta plectro Caesarem*' et Nemesianus [63] '*mox vestros meliore lyra memorare triumphos accingar*'. ceterum non memini apud dactylicos me legere talia, qualia habes usu contrario isti in versu hoc comici nescio cuius '*id persuasit animo vinum, deu' qui multost maximus*', et porro apud alium aeque ignobilem '*vinum precemur, nam hic deus praesens adest*'. sed ut redeat in viam oratio, in tertio exemplo non tumorem solum dictionis irridet Persius, sed pariter, id quod plerique animadverterunt, commodum poetis doctis heroicorum versuum exitum spondiazontem. bene autem id verbum in fine versus collocavit, quo certatim conclusere hexametros, ut Horatius, Severus, Ovidius, Lucanus, Silius, Rutilius, Sidonius, Priscianus. verum enim vero minimo temporis intervallo alia apud auctores Latinos optinuerunt placita. namque

versuum spondiacorum praecipuo modo honore habitorum subito venit contemptus, iam non ut viderentur apti doctis potius gravisque materiae carminibus quam levibus et iocosis. itaque Valerius Flaccus semel habet quinto hexametri loco spondeum [I, 468] nec saepius Sammonicus [752], quinquiens Claudianus [X, 175; XXVI, 337; XXVIII, 178; XXXIII, 104; LIV, 1], sexiens Silius [II, 314; IV, 225; 744; VIII, 432; 623; XV, 776], septiens Statius, numquam in achilleide [theb. IV, 5; 227; 298; V, 288; IX, 305; XII, 630; silv. V, 3, 165]. abstinuere autem exitu spondiazonte Symphosius, Nemesianus, Merobaudes, Palladius, laudator Herculis, Boethius, denique Terentianus praeter versum supra prolatum. at scilicet diversa longe Martiali placuere ac Iuvenali, e quibus ille deciens quater, hic triciens quinquiens non minus habet versus spondiacos. et haec quidem classicorum ratio.

Ex christianis abstinuere numeris istis Avianus, Luxorius, Orientius, Maximianus, Arator, Eugenius, quibus accedit Sedulius. nam quod alienum exemplum extat tale [c. p. V, 196] '*scribitur et titulus: hic est rex Iudaeorum*', inde excusatur, quod bibliorum verbis migratur regula. itaque quod Priscianus semel et ipse talem admisit versum [339]:

limite quam recto mediam secat Appenninus,

veniast parata a nomine proprio. porro ter spondiazontem habet Claudius Victor [I, 428; III, 600; 603]. at ex ceteris segregandus est Avienus, qui, ut omnino duriores habet numeros, in libro periegesis, qui constat hexametris circa MCCCC, admisit versus spondiacos XXVIII, magis hercule similis Catulli et aequalium huius quam ultimae imperii aetatis hominum. etenim quamquam ab his subinde sunt adhibiti spondiazontes, non tamen binorum trinorumve versuum exceptione migrabitur tot milium observantia. neque dubiumst, quin, quod olim eximia elegantia crederetur florere, quarto quintoque post Christum saeculo alienum ab arte sit habitum. unde Beda nugatoris nescio cuius ridiculo usus invento dicit [2372 sq.] *r* litteram solutionem recipere, ut quasi inculcata vocali in his versibus '*palpitat atque aditu spiraminis intercepto*', '*sic prope, sic longe sita culmina respergebat*' pronuntiandum sit *intericepto* sive *resperigebat* et

similiter in aliis, quoniam non sit moris in quinta regione versus heroici ponere spondeum.

Quartum pedem dactylicum optinendum, si proximus sit spondeus, supra iam indicavi. quam normam secutus est Lucretius [Lachm. p. 150]. at enim Catullus et cantores Euphorionis nec in hac parte peregrinae immemores aemulationis non raro et quartam sedem fecere spondiacam, quod Vergilius et Ovidius ambitioso retinuere studio, quamquam rarissime. quin ne Ciris quidem auctor promiscue admisit. nam quod invenitur apud hunc [474] '*Nereidum matri et Neptuno Aegaeo*', non est ipsius versus, sed Vergilii [aen. III, 74]. verum enimvero ex insequentibus poetis classicis nemo idem ausus est. nam quod semel habes apud Iuvenalem in fini versus [5, 38] '*inaequales berullo*', satirica id licentia excusatur. at e christianis Prudentius semper pede quarto habet dactylum. quae migratur identidem observantia ab Avieno, Iuvenco, Paulino, Drepanio. medii Ausonius et Sidonius, qui singulis versibus regulam deseruerunt hisce [epist. 4, 55] '*nodosas pestes animantum Nerinorum*' et porro [carm. 7, 80] '*Sylla, Asiagenes, Curius, Paulus, Pompeius*'. hactenus de heroici versus pedibus.

Deinceps in pentametri posteriorem partem spondeum admittere ne christianorum quidem poetarum ultimi, quorum ego libros legerim, sustinuere. quamquam et hoc licentiae et quid non? invenitur in lapidibus inscriptis. in priore hemistichio haud obscuram ob causam ea perfectissima iudicatur species, qua initio dactylus collocetur, deinceps spondeus veluti:

nil mihi rescribas; attamen ipse veni;

quali metro et Tibullus elegias suas et Ovidius Heroidum librum incohavit, nec minus Artem et Ibin Fastosque.

Porro in tetrametro non catalectico hanc haberi formam optimam, qualis est [Hor. c. I, 4, 1]:

solvitur acris hiemps grata vice

et hexametri similitudine demonstratur et mirifico exemplo Prudentii. nam is in archilochio tali [peri steph. 12; 13]:

solvitur acris̆ hiemps grata vice veris et Favoni

eo progressus est curae, ut in versibus ferme CXL semper eam normam, quam modo declaravi, sequeretur.

Aliter res habet in versu simili, cuius est ultimus pes catalecticus. hic enim ab extremis potius quam primoribus hexametri partibus cum videatur ortus — nam et incisione certa caret —, exulat a tertia sede spondeus, nisi quod semel Horatius dixit ita [c. I, 28, 2] '*mensorem cohibent, Archyta*'. ceterum ea optime habetur species, qua primus tertiusque pes dactylico, secundus constet numero breviore.

iam secundum ea, quae supra disputavi, evenit, ut a trimetris hypercatalectis Serenus, Terentianus, Ausonius — non Pomponius tragicus et Boethius [III, 6] — excluderent spondeum, neque mirabimur, quod a secundo pentametri hemistichio aut a versu adonio abest idem pes, licet Ausonius, cum tribus carminibus [parent. 25; 26; idyll. VII praef. 3], per systemata adhibuisset dimetros hypercatalectos puros, eo, quo solum hoc continuavit metrum [prof. Burdig. 10], etiam admiserit illum. praeterea Terentianus a primo pede versus Calabrii:

quí serere íngenuúm volet agrum

noluit alienum spondeum [1996], ut ipse tamen testetur amare hoc metrum magis fieri dactylicum.

Iam de anapaesticis metris dicturo paucis poterit absolvi. ac primum quidem adscribam Varronis tetrametros aristophanios, quotquot extant, omnes, statim ut apparere possit cunctis, quanto a Plautinis distent intervallo. sunt enim hi:

anima ut conclusa in vesica, quandost arte religata,
cum pertuderis aera reddet.
demitis acris pectore curas cantu castaque poesi.
ipsi scitis δὸς καὶ λάβ', id est: sivis contendite sivi,
anticipate atque addite calcar, stultos contemnite docti.
ipsum propter vix liberti sematrati exequiantur.
ipsum avidum vino invitavi poclis large atque benigne.
Luna expectant Adriam se itiner longum sermone levare.
non quaerendast homini, qui habet virtutem, paenula in imbri.

quibus an addenda sint quae leguntur apud Nonium s. v. 'castum' [267, 9], non omnino constat. poterunt sane sine negotio in numeros redigi ita:

⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑– ergo tum sacrae (sacra *cdd.*), relligiosae
castaeque fuerunt res omnes.

idem alibi: *iurgare coepit dicens:*

quae scis, age, quei in volgum volgas artemque expromis inertem?

ubi illud *age, quei* de nostra venit coniectura, pro quo antiquitus traditumst *atque,* sicut in Lucretii I [690] membranae semel habent *iquenem* pro *ignem.* ultimum fragmentum Varronis huc pertinens legitur apud Valerium Probum commentario in Bucolica [p. 18 K.], quod ita ferme constituendum censeo:

domus est maxima homulli, quam quinque altitonae segmine zonae
cingunt, limbus pictus qua bis sex stellimicantibu' signis
altus in obliquo aethere lunae bigas acceptat ⏑ – ⏑
⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ postumi+ cui seplasia fetet.
appellatur a caelatura caelum, Graece ab ornatu κόσμος, Latine a puritia mundus.

e quibus primum quidem versum, cui praeponi solet illud *mundus,* quin recte emendarimus haud dubiumst, cum constet testimonio Probi de igni versus istos esse accipiendos, nec minus ipsius Varronis verbis, pedestri quae sermone subsequuntur, appareat nullam ante factam esse mundi mentionem. at in ceteris quaedam gravissime affecta quod non licuit eadem felicitate usis persanare facile ignoscetur, cum praesertim ne Hermanno quidem eadem expedire contigerit.

Iam ex dimetris maxime nos advertent exempla Boethii — nam Luxorii anapaesti et duri nimis et satis feruntur mendosi —, quibus ille a solita alibi plane alienus elegantia secundam dimetrorum resolverest ausus arsin, sicut Laevius dixit '*corpore pectoreque undique obeso*', qualis abest licentia ab Ausonio et Claudiano. at hercule extremi pedis arsis semper mansit integra, praeterquam quod apud Boethium [IV, 6, 20] legitur '*elementa modis ut pugnantia*', in quibus tamen ultimum verbum nescio an possit cogi synizesi. — iam pro numero anapaestico spondeum et dactylum receperunt omnes, at non perinde proceleusmaticum. quid quod ne diversorum quidem pedum partibus effici patiuntur eundem numerum auctores praeter solum Ausonium, qui bis idem admisit, semel in dimetris, semel in monometris [prof. Burd. 22, 10; 7, 45 ed. Schenkel.]:

et tibi Latiis posthabite orsis.
nobile soceris.

nam Boethii l. I quod fertur [5, 30] *debita sceleri noxia poena,* etiam positionis norma ut servetur, scribendum *sceleri debita.*

Restat ut de Senecae dicam monometris, qui et ipsi severissima lima sunt castigati. nam proceleusmaticum unius pedis instar positum habet numquam, pro binorum partibus rarissime [Herc. fur. 1064; Herc. Oet. 185; 195; 1883; 1887], ut et Octaviae auctor [646; 904]. at concessis pedibus sic utitur, non nimis frequenter ut anapaesti et minus etiam ut spondei inveniantur continuati duo.

Superant versus paroemiaci. quibus proprie excolendis multum offecit, quod prima eorum species congruit versus heroici ei parti, quae post caesuram semiquinariam relinquitur. itaque et Graeci fere hanc servarunt formam quasi primariam et magis etiam Latini. nam apud hos excepto Varrone, cuius sunt talia '*sanguine rivos compleret*', '*munera belli ut praestarem*', nemo aut arsin solvere aut molossum in fini ponere sustinuit.

Longe intricatius habent iambici versus ac trochaici, quos quidem propter summam utriusque numeri similitudinem tractabimus una. nam et solutione arsis et anapaesti dactylive pro iambo ac trochaeo admittendi lege seu licentia inter eos ubique fere convenit.

Ac primum quidem de spondeo iambi vel trochaei loco posito agendum. cuius rei expediendae difficultas hoc maxime continetur, quod nec pedum diversorum aut metrorum aut carminum eadem fuit condicio neque temporum auctorumve nulla differentia.

Igitur primi iambici ac trochaici metri inventores, quo levarent difficultatem ac taedium carminis, ratione non iam prorsus aperta, ceterum solita Graecis iudicii elegantia usi, notis locis admisere spondeum excepta tamen paenultima sede versuum talium '*veris et Favoni*', '*tinctus colore noctis*'. qua licentia cupide usi dactylici Latini abundantia maxime pedum talium, simul quia metra ista ut plurimum longe minore quam dactylica fruuntur libertate.

Fuit etiam, ubi cumulatis spondeis decor et gravitas quaereretur versui, ut puta in carmine tragico. itaque incertus grammaticus, cuius opusculum solet iungi Censorini libro de die natali, quod dicit [gr. l. VI, 612] hunc trimetrum esse tragicum (est Accii, sed fortasse non nihil mutatus):

pro veste pinnis membra textis contegit,

id quo pertineat alterius auctoris aeque ignobilis testimonio docemur [analecta gramm. Endlich. II, 517], qui memorat tragicum esse metrum, quod plures spondeos habeat et sit elatius, veluti tale '*o parens antiqua nostrae gentis, Argivum decus*'. apertius etiam rem indicat auctor incertus, qui ad epodorum Horatii initium notat recipere trimetrum tragicum pedes spondeum primum, tertium, quintum, iambum secundum, quartum, sextum, quale sit hoc versu '*divi potentes ferte vexatis opem*'. adde Terentiani illa [2205 sqq.]:

at qui cothurnis regios actus levant,
ut sermo pompae regiae capax foret,
magis magisque latioribus sonis
pedes frequentant, lege servata tamen,
dum pes secundus, quartus et novissimus
semper dicatus uni iambo serviat.

id autem praeceptum ab Alexandrinis inventum poetis vel grammaticis demonstrat locus Horatii a superioribus tempore doctis male intellectus [ep. II, 3, 254 sqq.]. ubi haec leguntur de trimetro tragico:

non ita pridem,
tardior ut paullo graviorque veniret ad aures,
spondeos stabiles in iura paterna recepit
commodus et patiens, non ut de sede secunda
cederet aut quarta socialiter.

nam his verbis declaratur iambum cessisse pede primo, tertio, quinto, quo succederet spondeus iure velut hereditario. ac nulla prorsus est causa, quin Varium Gracchumque ac Senecam et Pomponium cum ceteris praecepto isti satis scito et natura ipsa commendato, quoad liceret, obsecutos existimemus. bene igitur Quintilianus [IX, 4, 140]: *itaque tragoediae, ubi necesse est, affectamus etiam tumorem ex spondeis atque iambis invicem succedentibus mixtae. nam his maxime continetur.* ubi verba *invicem succedentibus mixtae. nam his* de coniectura addidimus.

Sed enim immensae fuit operae tot spondeos comparare. porro timendum erat, ne, quod aequalitati et gravitati versus accederet, demeretur elegantiae ac varietati. quare potius tenuere alteram regulam, ut paenultima certe thesis ne umquam constaret brevi syllaba. de quo ita Diomedes [pg. 507]: *iambicus tragicus, ut gravior iuxta materiae pondus esset,*

semper quinto loco spondeum recipit. aliter enim esse non potest tragicus. hoc placitum, Alexandrinorum tempore ortum et antiquis Graecis incognitum, omnino observatur a Seneca, id quod saeculi sexti decimi initio Avantius [comment. de trimetro Senec.], mox Lachmannus [p. 130] perspexere. neque enim saepius quam senis migravit istud idem versibus [Med. 512; 709; Thyest. 115; Troad. 195; 1080; Herc. Oet. 804], quos quidem pariter omnes clusos habet verbis diiambicis. eandem autem plane normam in tetrametris dimetrisque trochaicis ille custodit. quae cum ita sint, apparet ne a metro quidem stare alioquin ineptum illud, quod habet in Hercule Oetaeo [1199] liber Mediceus:

lucem recepi, lucis erui moras.

et *Ditis* quidem pro illo *lucis* scribendum persuadent deteriores. sed praeterea reponendumst '*et rupi*'. sunt autem Ditis morae, quae obiciuntur a Dite. ita alibi Seneca [Troad. 939] '*abrumpere ense lucis invisae moras*' et Maro [aen. III, 717] '*fata renarrabat divum*'. ceterum haec observantia, quam quidem ab Augusti tempore omnes tragicos custodisse probabilest, etiam in satura eiusdem Senecae optinuit [c. 7] nec non Petronii carmine de excidio Troiae [c. 89], quod proxime accedit ad tragicorum gravitatem, de qua re monuit Alb. Langius in quaestionibus metricis Bonnae anno MDCCCLI editis [p. 28—44].

At contrario hercule modo res habet in claudicantium iamborum et trochaeorum fini, in quibus ferme ultimo spondeo antecedere iambum vel pueris notum. de quo praecepto ita tradit Terentianus [2408]:

quare cavendumst, ne licentia sueta
spondeon aut qui procreantur ex illo
dari putemus posse nunc loco quinto,
ne deprehensae quattuor simul longae
parum sonoro fine destruant versum.

eam tamen normam identidem Hipponax et Ananius ipsique migraverunt Alexandrini, servarunt Catullus et aequales excepto Varrone, cuius est hoc:

nemini fortuna currum a carcere intimo missum
labi inoffensum per aequor candidum ad calcem sivit.

quod cum ita sit, videtur errasse Lachmannus [p. 29], quod dicit in versu hoc '*sensibus crassis homulli non videmus quid*

fiat' verbum a fine tertium subtracta *s* littera debere pronuntiari. praeterea ultima aetate a Boethio post annos DC redintegrari Varronis licentiam tam certum quam mirumst. in cuius scazontibus alioquin omni laude floridis [II 1; III, 11] inveniuntur identidem ut puta tales:

ultroque gemitus dura quos fecit ridet.

Multo autem suptilior est doctrina de anapaesto aut dactylo admissis vice spondei et de soluta arsi. in quo licentiae genere et Graeci praeter comicos plurima cautione usi et magis etiam Latini. quod sane non de nihilo factum. namque anapaesto, si verum fatebimur, plane immutari istorum metrorum naturam facile concedetur. pyrrhichius autem pro ea, quae sub ictum cadit, syllaba positus ideo in iambis ac trochaeis magis est offensioni quam in anapaestis, quia in istis, cum natura metri potior sit arsis thesi, distracta illa — nam binae breves plus habent spatii quam longae singulae — etiam magis haec extenuatur, ut degeneret versus a forma principali. praeterea ut dactylicus numerus exclusis spondeis, ita iambicus multiplicato tribracho enervatum quiddam sonat et molle, quod quidem sensu magis quam ratione percipias. quae cum ita sint, non erit mirum, quod pleraeque in solvenda iambicorum versuum arsi optinent cautiones, quas in anapaesticis metris non perinde inveneris. — at anapaesti initium fuit tale. cum in historiis Graecorum plerique essent heroes vel heroinae, quibus, ut tragico carmini essent apti, omnia aderant praeter nomina absurda trimetris, qualia sunt *Laomedon, Antigone, Iphigenia, Penelope,* num poetae Graeci, minutias ut servarent, summam omitterent aut nube quadam verborum obscurarent quae aperte significari amarent? talemve personarum instituerent descriptionem, qualem habes in Goethii fabula illa, cui nomen est Filiae spuriae? qualia cum illi recto iudicio respuerent, primo inde nata licentia anapaesti, qui mox quasi legitime concessum primum possedit locum. at comici sane maiore usquequaque usi libertate, simul ut quae locuntur sumpta de vita posses putare, a primo eum tempore admisere promisce. horum libros si exceperis, modica semper anapaesti licentia permansit. etenim quod dicit Lachmannus in commentario Propertiano [p. 367] num-

quam fuisse Graecis cautum, ut impari tantum iambi sede ille pes admitteretur, id quam sit a vero alienum postea ipse in dissertatione de Babrio indicavit. neque apud Latinos — iam enim ad hos me converto — umquam par similisve extitit libertas nisi apud eos, qui etiam spondeum admitterent, ubi non deceret, ut puta scaenicos vetustissimos et deterrimos christianorum. quare futilest quod probavit Antonius in Priapeis [58, 4]:

puella non ullum inveniat fututorem,

verum illud est, quod firmatur libris sat multis, '*nullum reperiat*'. nec rectius fertur alibi in isdem [63, 9] '*huc adde quod me terribilem deum fuste manus sine arte rusticae dolaverunt*'. quibus apparet ex codicum testimoniis per interpolationem accessisse *deum*. at melius usquequaque explendae consulueris lacunae ita constituendo versum priorem '*huc adde quod me vilem et rudi fuste*'.

Superest ut demonstretur, qua frequentia, quibus condicionibus in metris iambicis trochaicisve admissus sit anapaestus vel dactylus.

Itaque primum respiciam iambicos numeros, ut qui usitatiores longe fuerint trochaicis apud poetas dactylicos. et maxime quidem curabo trimetros, nobilissimos quippe et vulgatissimos. — ceterum quae de anapaesti legibus sum expositurus, omnia etiam ad dactylos pertinent, exceptis eis quae ipsa natura metri trochaici sunt exclusa, veluti dactylus pro spondeo in primo loco, quoniam hic non recipitur nisi sede pari. quod cum ita sit, in sequentibus anapaesti nomen plerumque ponetur pro pede utroque.

Igitur plurimum in trimetro licentiae vindicare sibi primum pedem non est quod mirere. proximus libertate habetur paenultimus praeter metra hipponactea. minimum veniae tertio concessumst ob caesuram. in brevioribus metris cum principali sedi similis adsit libertas, arcetur a relicuis partibus anapaestus excepto dimetro non catalectico. ceterum infrequentior longe in tetrametro trochaico dactylus. qui ab illa sede, post quam fit incisio, cur sit alienus, facile apparebit, sed vel secunda et sexta invenitur rarissime. condicionem autem anapaesti admittendi poetae dactylici voluere talem, numquam ut liceret praeter principem pedem thesin

illius binis contineri vocabulis. nam in hac inveniuntur talia, quamquam raro et potissimum apud Senecam, ut [Herc. fur. 247; Phoen. 394; H. f. 236; 1035]:

nec ad omne clarum facinus audaces manus.
vide ut atra nubes pulvere abscondat diem.
et adusta medius regna quae torret dies.
bene habet. pudendi regis excisast domus.

contra falsi sunt versus non modo tales:

imperia saeva non man*ere que*unt diu,

sed etiam hi:

nil Troia vidit maestius *nec a*cerbius.
non vos ut hostes recipiam, *sed ut* hospites,

nec potiores illi, quibus constet thesis pedis istius finalibus duabus quanticumque vocabuli syllabis. quam ob causam male habent exempla haec:

fertur deorum rege pro*satus* Hercules.
crinem soluta maenas en *ruit* enthea.

quae cum ita sint, sequitur non posse reponi thesin anapaesti nisi in vocabulis minimum trisyllabis et exceptis eis quae in dactylum exeunt. itaque hos versus invenies satisfacere regulae:

inferna tetigit, posset ut *supera* assequi.
Ereboque capto potitur et *retegit* Styga.
ac templa summi vidua *deserui* aetheris.
sublime classes sidus *Argolicas* agit.
inter senem *iuvenemque,* sed *propior* seni.

haec autem lex exempto, ut iam dixi, pede primo tam constanter ubique observatur a poetis classicis, ne Seneca quidem cum Octaviae auctore in tot milibus versuum ut violarit eam exceptis XII [Thyest. 1088; Phoen. 354; Troad. 43; Med. 126; 897; Herc. Oet. 246; 406; 481; 757; 1847; Oct. 393; 452]. quorum quidem unus:

quidquid negaret Iuppiter, *daret* Hercules

habet excusationem a nominibus propriis, praeterea ab antitheto, alter autem talis:

toro caruisse regnantis levest.
alte illa cecidit, quae viro *caret* Hercule

defenditur item nomine proprio nec minus iterato carendi verbo et oratione graviter concitata. simili etiam venia mitigatur omissa norma in his:

nunc vidua, nunc expulsa, nunc *feror* obruta.
causa, ne dubites diu,
utriusque mala sit, si minus, *mala* sit mea.
praestare fateor posse me tacitam fidem,
si scelere careat. interim *scelus* est fides.

quamquam in exemplis secundo et tertio illa *sit* et *est* cum praecedentibus iure enclisis coalescunt. namque ob eandem causam bene habet, quod quater pro anapaesto loci quinti ponitur *satis est,* praeterea singulis locis *vetus est* et *levis est.* durius autem paullost quod Octaviae unus versus [393] sic finitur '*genus impium*', quamquam nec hoc sua eget excusatione. at contra quod legitur in Medea [398] exitu metri '*egon ut faces*', recte ibi iam Peiperus ac Richterus cum libris scriptis: *egone,* ut firmetur ita, quod statuunt grammatici quidam encliticae interrogativae non debere abici vocalem nisi insequente consona. ceterum haec, qualiacumque fuere, originem traxerunt a necessitate comparandi spondeum aut parem ei pedem quintae versus sedi. alibi autem nullus locus est licentiae tali. nam quod in Octaviae carmine, satis illo corrupto, legitur [447]:

aetate in hac satis esse consilii reor,

credant equidem, quibus libet, auctoritatem librorum recentissimorum potiorem esse penitus perspecta artis Latinae ratione. nos tamen vacuo ab superstitionibus animo tollentes syllabam per errorem geminatam ponemus '*sat esse*'. etenim quod Terentianus ita incohat tetrametrum trochaicum [748] '*non tamen prior u videri*', inde excusatur, quod ille litterarum pedumque notiones plane eadem, qua propria nomina, habet libertate. nam ne ex christianis quidem regulam istam migravit quisquam praeter Ausonium et Paulinum, quorum libertati accedunt rarissima exempla Avieni. contra omnino servat normae receptae firmitatem Prudentius.

Iam tenendumst sicut antiquissimos, ita ultimos Latinorum ut plurimum abstinere anapaesto. quod et similiter evenit apud Graecos [cf. Henrichs. de vers. polit. Graec., p. 31; 33]. quam quidem legem vetustissimi vivido elegantiae sensu, ultimi severitate disciplinae scholicae optinuere. sed de singulorum usu exponamus. qua in re perspicuam ob causam non eadem fuere Senecae, quae ceterorum

placita. nam ille, paenultimi pedis quo difficultatem molliret, longe plures adhibuit anapaestos quam cuncti relicui. et quidem primo et quinto trimetrorum loco promiscue posuit illos, quod in tertio apparet non potuisse fieri nisi ubi post quartam thesin versus incideretur. hoc ubi accidit, in vocabulis legitime concessis anapaestus quin admitteretur nulla fuit causa, non ut nimis raro probarentur illi versus qualis est [Sen. Oed. 776] '*inter senem iuvenemque, sed propior seni*'. ita etiam Petronius [89, 49]:

infirmus auxiliator. invadunt virum.

E ceteris omnino abstinuerunt anapaesto Catullus, Vergilius, auctores priapeorum, Horatius extra trimetros, Damasus [Daniel. I, 8], Sedulius, Luxorius, Ennodius [ib. I, 121], Drepanius [Mign. LXI, 1084]. et prima tantum parte admissum habent anapaestum Varro, Persius, Petronius extra Iliada, Boethius et Martialis in hipponacteis — quippe male habet quod dedit Schneidewinus in huius libris [III, 93, 24] '*sternatur a Coride archiclinico lectus*' —, porro Sidonius, Martianus — nam qui solus huic adversatur regulae versus [IX, 999, 18] '*ipsoque dudum bombinatore flosculo*' falsus est; recte Eyssenhardius: *bombitante* —, denique in iambis Terentianus cum Venantio. contra etiam paenultima sede versus eundem pedem ponunt Laevius, Prudentius, Ambrosius, Horatius in trimetris, Seneca in ludo, Boethius et Martialis in iambis non claudicantibus, Seneca ac Terentianus in trochaeis, Avienus, auctor pervigilii Veneris. iam ex his infrequenter plerique, quidam rarissime anapaestum usurpant. veluti quinquiens eum habet Horatius [epod. 2, 35 bis; 65; 5, 79; 11, 23], ter auctor pervigilii Veneris [10; 17; 21], sexiens item in tetrametris Terentianus [407; 564; 628; 649; 748; 792]. quid? Fortunatus num saepius quam semel ponit eundem in dimetris, ut puta [II, 6, 22 ed. L.]:

pretium pependit saeculi.

at bis in eodem metro Ambrosius [4, 13; 15]. contra diversus pro varietate operis Prudentius, qui cum alibi excepta prima dipodia perparce pro tanta versuum multitudine utatur anapaesto, eundem in carmine de Romano martyre [p. st. 10], quod epylliist instar, quinta trimetri sede habet triciens quater.

Iam antequam omittam hanc partem, paucis agendum de senariis Prisciani, quibus praefationem Iustini laudium voluit contineri. qui Gulielmi Meyeri primum sunt sollertia expediti. Is igitur [de hexam. Graeco ac Latino pg. 1081 sq.] demonstravit eos compositos ad normam Alexandrinorum et recentiorum poetarum Graecorum, qui secuti comicos Atticorum anapaestum, non spondeum, admitterent in locis paribus et aliquando caesuram neglegerent. nam utrumque saepius invenitur in opusculo illo, licet XXII, non pluribus constet versibus.

Sed iam de soluta arsi videamus.

Qua in re primum notandum displicere tribrachum in primo vel paenultimo pede iambicorum. unde Horatius ab utroque abstinuit (qui ideo ep. 15, 24 scripsit *ast ego vicissim risero,* non *at;* corruptus est 11, 27), sicut adeo Phaedrus.

Praeterea solutae arsis ne exundaret licentia, placuit contineri usum eis orationis partibus, quibus aliter non liceret intrare in metrum iambicum vel trochaicum, qualibus modo demonstravi etiam anapaesticum dactylicumve reddi solitum pedem. quare recte habent ab arte versus hi:

> *alitibus* atque *canibus homicidam* Hectorem.
> urnasque frustra *Danaidum* plenas gerit.
> *pertimuërunt* aquatiles querquetulae natantes.
> quid *aliud* est quod Delphice canat columna litteris.

at non perinde talis [Hor. ep. 15, 24]:

> ast *ego* vicissim risero;

et multo minus hic [Sen. Oed. 263]:

> *quidquid ego* fugi. non erit veniae locus.

Iam observantia illa quatenus ab auctoribus optineatur antequam declarem, primum de usu verborum tribracho finitorum paucis erit exponendum. itaque cum in his non soleat apud scaenicos paenultima ictu acui syllaba, vix magis invenitur idem dactylicorum libris. quippe omnino sunt secuti illorum rationes Varro, Laevius, Catullus, Vergilius, Horatius, Petronius, Martialis, Boethius, auctor pervigilii Veneris, Prudentius extra epyllion de Romano martyre. nec Seneca in tot milibus versuum violauit normam. nam quod legitur in libris [Med. 267]:

> cui feminea nequitia ad audenda omnia,

recte Bothius: *feminea cui nequitia.* in Hercule Oetaeo per interpolationem fertur [1794] hoc:

paelex supersum, supplicia de qua expetat;

ubi liber optimus: *p. s. a qua supplicia expetet;* ex ceteris plerique *p. s. de qua supplicia exigat.* recte videtur habere: *paelex supersum. digna* (ita Bothius) *supplicia expetet.* restat unum metrum [Med. 447]:

fugimus, Iason, fugimus. hoc non est novum.

ubi nescio an sit scribendum: *fugimusne, Iason, fugimus?* pessime quippe alibi Gronovii repositum coniectura [Med. 924] *aníme, parandumst* pro *animo.* vix autem monendum in talibus, qualia sunt *petiit ab ipsis; rediit Achilles* [Herc. fur. 244; Troad. 806], non tribrachum loco primo positum, sed anapaestum. — at Prudentius in epyllio semel remisit artem ita [675]:

genéra deorum multa nec pueri putant.

similiter Avienus prima sede aliquando recepit verba tribrevia [368; 553; 602]. nec non eandem probavere licentiam locis aliquot in principio potissimum metri admittentes Terentianus et Martianus. veluti illius sunt haec [2243; 668; 741; cf. 2366]:

Aristophánis ingens micat sollertia.
nam *medía* post consonantem cum datur vocalis i.
et *meríto* tunc q locamus exigente syllaba.

Iam quod Ritschelius normam modo propositam grammatici accentus vi evenisse dicit [prol. Trin. pg. CCXXIV sq.], mihi quidem id vel hanc ob causam videtur esse falsum, quod non perinde timuerunt poetae vocum dactylo constantium binis brevibus continere solutam arsin, qua re magis etiam laeditur vulgatae pronuntiationis elegantia. nam pro antiquis accentuum modulis vehementius deprimi tono par erat syllabam succedentem acutae, si haec longa quam si brevis esset.

Quod cum ita sit, age consideretur, an propior absit a vero quae a me iam proponetur ratio.

Scilicet nulla omnino causast, cur credamus vetustissimos Latinorum non animadvertisse, quod in iambicis trochaicisve numeris solutae longae licentia, nisi necessitate quadam mitigaretur propter verborum circuitum, haud satis

haberet veniae. quorum equidem fastidium magis excultis posterorum temporum ingeniis etiam auctum cui erit mirum?

Igitur nec dactylici verbi syllabis ultimis constare voluerunt anapaesti seu dactyli thesin umquam nec binis vocabulis nisi aliquando in primo pede, veriti quippe orationis partibus ad legitimos numeros aptis abuti ad precarios. hinc etiam repetendum, quod solutae arsis partem priorem dactylici sive trochaici verbi ultima syllaba contineri noluerunt.

At tribrachum aequantia cum anapaestici seu dactylici pedis thesin efficere permisissent producta ultima sive elisa, arsin solutam tantum in prima ac secunda syllaba qui ultro offerebatur ordo, consistere sunt passi. his autem duobus modulis institutis ad inepta metro iambico vel trochaico accommodanda noluerunt addere tertium, ne nimis loci concedi videretur licentiae.

Contra in eis, quae proceleusmaticum reddunt, cur prima ac secunda syllaba longe saepius ad solvendam arsin adhiberetur quam secunda ac tertia, praeterquam quod in principio erant collocatae, etiam haec fuit causa, quod ita numerus poeticus a grammatico accentu fiebat diversus. at quae paeonem primum explebant, rursus, ut quae tribrachum, solutionem arsis ab eis syllabis incohabant, quae primae offerebantur breves, h. e. a secunda et tertia.

Similitudine autem eius legis, quam in solvendis orationis partibus, quae tribus brevibus sive quattuor constant, optinere dixi, evenit, ut in formulis quibusdam, veluti *quid agis; quid igitur,* prima et secunda syllaba arsis redderetur soluta.

Ceterum haec servatur via, ut eo facilius solutio arsis admittatur, quo minus sunt apta verba numero puro iambico sive trochaico. quare minus adest licentiae dactylicis verbis quam pyrrichiacis. adeoque dactylica apud classicos non memini inveniri posito in thesi pyrrichio praeter Senecae tragoedias et Petronii Halosin Troiae et quidem in principio metri ac rarissime, velut hoc Petronii versu [6]:

robóra, minacem quae figurarent equum.

at viderit ipse, unde petierit trimetrum talem, Marius Victorinus [gr. lat. VI, 49]:

armiger in Ida pede vago *litóra* petens.

pessimum ducitur solutam arsin binis monosyllabis constare, quam ne a Seneca quidem migrari invenio legem nisi binis exemplis et loco trimetri quarto [Oed. 330; Herc. Oet. 1441]:

sunt dira, *sed in* alto mala.
quis axem cludit *et ab* ipsis, pater,
deducit astris?

quae quidem leniuntur ea re, quod posterior pars praepositione constans coit cum sequenti in unum. nec magis probatur alioqui solutam arsin binis distendi vocabulis praeter primum pedem, qualem habes, sed exemplo longe rarissimo, in hoc versu eiusdem Senecae [Oed. 263]:

quidquid ego fugi. non erit veniae locus.

nam alibi apud eum quod vulgatur [Herc. Oet. 981] '*et quidquid aliud restitit. ab illis tamen*', facile spernetur prae eo quod Mediceum librum secutus dedit Bothius '*et quidquid aliud cessit. a bellis tamen*'.

Igitur severissimam normam optinuerunt Varro, Catullus, Vergilius, auctores Priapeorum, scriptor pervigilii Veneris, Prudentius praeter epyllion [p. st. 10], Avienus, Martianus, Venantius. e quibus Catullus non scripsit, quod vulgo ei tribuitur [44, 20] '*non mihi, sed ipsi Sestio ferat frigus*', scripsit '*non mi*'. apud Varronem tamen unum invenitur exemplum alienum in nomine proprio, si recte iam legitur apud illum [γνῶθι σεαυτόν 9]:

unus *Amor* ut parvulus
ardifeta+ lampade arida agat amantes aestuantes.

sive quod Meinekio placuit '*ut Amor*'; nam codices Noniani bis habent *ut* (vel *et*) *parvulus amor*.

Contra de Priapeis res haud dubia, non ut sint audiendi qui versum eorum unum sic instauravere [51, 14]:

non brassicarum *fero* gulosior caules

pro eo quod est verum '*ferre glorior*'. in primo pede remiserunt severitatem alioquin arte pares modo memoratis Petronius et Prudentius carmine de Romano. nam quae alibi in hoc opusculo a firmitate normae feruntur diversa, etiam aliam ob causam sunt suspecta. quippe haec sunt et talia [832; 925; 1078]:

tantum osculum
impressit unum. 'vale' ait 'dulcissime'.
permitto vocem libere ut exerceas.
his membra pergunt urere, ut igniverint,
quamcumque partem corporis fervens nota
stigmarit, hanc sic consecratam praedicant.

quae hiatuum etiam uastitate deformia sic sunt persananda, ut scribatur primo loco '*salve ait*' secundum illud Vergilii [aen. XI, 97; cf. Serv. ad l. l.] '*salve aeternum mihi, maxime Palla, aeternumque vale*', secundo '*libere ut tu*', tertio '*ut, si igniverint — praedicent*'. minus aliquanto rigide servarunt legem Martialis et Seneca et Terentianus. medius autem utramque inter normam Horatius qui praeter exempla paucissima primi pedis bis normam migravit ita [ep. 2, 23; 5, 87]:

libet iacere *modo* sub antiqua ilice,
modo in tenaci gramine.
venena *maga* non fas nefasque, non valent
convertere humanam vicem.

quae vocabulo iniecto graeco vel geminato illo quod est *modo* habent excusationem. ceterum altero loco in libris legitur *magnum fas.*

Iam diversorum pedum varietates ut persequar, cum media agitent sat libere, illud fuit odio finalis cretici resolvi arsin priorem. itaque apud classicos ubi sit rescissa non invenio nisi quinis Senecae trimetris ita [Med. 471; 266; Oed. 847; Herc. fur. 408; Med. 268] '*Phrixei arietis*', '*machinatrix facinorum*', '*anceps memoria*', '*omnis memoria*', '*famae memoriast*', quae parili vides esse condicione. at nec idem scripsit [Agam. 301] '*haec vacat regia viro*' — pro quo pridem reposuerunt *regi ac viro* —, neque recte habet quod Perlcampius Horatium in fini iambi scribere potuisse existimavit [2, 25] '*rupibus aquae*'. ubi quod est traditum *ripis* non magis recte ab eodem sollicitatum quam quod legitur in lyricis '*Tibur Argeo positum colono sit meae sedes utinam senectae, sit modus lasso maris et viarum militiaeque*'. in quibus *modus* defenditur simillimo versu Avieni [descr. orb. 100] '*hic modus est orbis Gaddir locus*' pluribusque aliorum auctorum locis. mox eadem, quae ceterorum, Boethii ac Terentiani Martianique fuit observantia. non dissimili severitate usus Prudentius, nisi quod in epyllio semel habet

fine versus [667] '*filiole ait*'. itaque semel Avienus, si modo verumst [182]:

in quinque soles est iter. tum Cepresicum.

nec tamen, hoc ut recte habeat, aequo animo feremus, quod alibi vulgatur apud eundem [313] '*ad continentem quinque per stadia modo*'. namque illud nomine proprio elevatur exemplum, hoc etiam ea re gravatur, quod tribrevia verba non nisi primo pede in mediam syllabam accipere ictum usu Avieni supra exposui. quare scribendum existimo '*per stadia ammodum*'. — at quod alibi fertur [335] '*locos utrosque interfluit tenue fretum*', *tenue* iure positionis fit anapaestus.

Coiugata vero anapaesti cum soluta arsi licentia pes exoritur proceleusmaticus, quem falso quidam veterum crediderunt exclusum esse a metro iambico [Atil. 2692]. sane a trochaeis hic pes alienus — nam Terentiani tetrametri cuiusdam [649] initio ponendumst '*Aeolis dialectos*' pro eo quod libri habent *Aeolica* —, neque a classicis praeter scaenicos versus admissus idem in iambos. at Senecae trimetrorum in prima sede non esse sollicitandum eum recte iam perspexit Gronovius [ad Thyest. 289]. quippe decem et septem, non minus, exempla a me sunt notata licentiae talis apud hunc et Octaviae auctorem, quam et in Phaedri aequalis fabulis et in Syri sententiis circa idem tempus in corpus redactis invenimus. tali autem in metro semper fere versus incohatur pyrrichiaco verbo sequente tribracho, ut [Phoeniss. 44]:

ego video. tandem spiritum inimicum expue.

atque ita in eiusdem Senecae Apocolocyntosi legitur [c. 7]:

ubi Rhodanus ingens amne praerapido fluit.

non multum differunt illa [Troad. 945; Hippol. 1275]:

vide ut animus ingens laetus audierit necem.
patefacite acerba caede funestam domum.

mox Terentianus minore elegantia rescidit arsin ita [2357]: *is erit anapaestus*. alibi hanc formam pedis iambici inveniri non memini.

Iam dignissimumst memoria illud, communi observantia timuisse Latinos eorum arsin solvere versuum, a quibus exclusissent spondeos. quod quibus a poetis et qualibus in

metris sit factum supra exposui. unde quis iam probabit quod Meyerus in priapeo uno [84, 14] solis iambis constante versum dedit talem '*teneraque matre mugiente vaccula?*' quae cum ita sint, non me movet, quod auctor incertus, cuius carmen habes apud Caesium Bassum [2672], identidem metri ithyphallici primam et secundam arsin resolvit, cum e Latinis certe [de Graecis cf. l. c.] nobilis poeta nullus parem aut similem licentiam admiserit. praeterea abstinuere solutione arsis Prudentius in dimetris vel trimetris catalecticis, item Sedulius, Ambrosius, Sidonius, Drepanius, Damasus, Ennodius, Eugenius. porro quod observavimus anapaesticum pedem a primorum atque ultimorum temporum poetis Latinis fastidiosius esse adhibitum quam a mediis, plane etiam pertinet ad solutam arsin iamborum ac trochaeorum, sicut utrumque observatur apud Graecos earundem aetatium. itaque Catullus ter, non saepius, eam distraxit [22, 19; 37, 5; 59, 3; corrupt. 25, 5], bis auctores Priapeorum [51, 18; 58, 4], bis Vergilius [5, 13; 36], mox Prudentius excepto epyllio [peri steph. 10] in tot versibus, nisi quid me fugit, sexiens [praef. apoth. 39; cathem. 12, 141; peri st. 2, 83; cathem. 9, 40; 103; peri st. 1, 72], semel Venantius [II, 2, 28].

Transeo ad numeros ionicos, quorum duplex est arsis, primum eos qui pyrrichio ac spondeo constant, mox contrarios persecuturus.

Igitur primo loco memorandi anacreontei, nobilissimum et frequentissimum genus ionicorum a minori. quorum prisca cum sit species haec:

⏑⏑ –́ –́ ⏑⏑ –́ –́
sitis árdéscit habéndí,

per anaclasin paene semper effectast talis:

⏑⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́ –́
super álta véctus Áttís.

Primus autem pyrrichius partim libertate ionici numeri, partim primi pedis licentia potest cogi ita:

– – ⏑́ – ⏑́ – –
iam iám dolét quod égí.

quam vitavere licentiam Sidonius et Prosper [Wernsd. p. l. m. III, 413]. iam anaclasi natos trochaeos tam rigide custodierunt plerique, ut nollent recipi alienum numerum

qualemcumque. a quibus tamen diversus Laevius, qui semel soluta arsi usus habet versum talem:

Venerem ígitur álmam adóráns.

sed enim idem non scripsit in eodem carmine '*seu femina sive mas est*' — nam hoc aequabit metrum ionicos a maiori —, scripsit quod Hauptii inventum secutus posui l. priore *seu femina isve mas est*'. deinde Boethius ternis carminibus [II, 2; 4; III, 6] puros adhibuit ionicos dimetros:

sitis árdéscit habéndí,

ut tamen propter abundantiam longarum saepius primam partem incoharet molosso, quo admisso species oritur talis:

caeló sídera fúlgént.

hinc Boethium qui tractarunt egregii iudices rei metricae praeter paucissimos statuerunt haberi carminibus istis pherecrateos, quorum identidem soluta esset arsis initialis. at meliora doceri potuerunt exemplo Martiani, qui l. IX [919] cum habeat metrum tale '*carmen Ladmiadeum*', id quale esset ipse significavit inmixtis versibus his:

palmám dedít cicútís.
mage pércrepát flagélló.

Sed iam de galliambico dicendum metro, cuius nomen pravitate ortum grammaticorum, qui putarent ex anacrusi anapaestica et iambis compositum [cf. Christ. metr. pg. 502], id quod vel arsis solutae modo ac frequentia confutatur. in hoc multum diversi Graeci ac Latini.

Apud hos potissimum notissimumque exemplum habetur Catulli carmine LXIII. de quo cum non satis plene disputatum sit a me anno 1861, quae in editione Catulli novem annis post prompsi, hoc loco repetentur. igitur galliambus geminato cum constet anacreonteo, sed altero catalectico, et forma tali:

⏑⏑ –́ –́ ⏑⏑ –́ –́ | ⏑⏑ –́ –́ ⏑⏑ –́
abero sede paterna, stadio et gymnasiis,

Catullus numquam admisit ionicum a minori. nam v. 18 legendum: *hilarate erae citatis erroribus animum;* 54 *et earum operta* (vel *opaca*) *adirem furibunda latibula;* 60 *abero foro, palaestra, stadio et guminasiis* (ideoque 64, quamquam citra necessitatem metri: *ego guminasi fui flos*); nam *guminasium* etiam ap. Varronem d. r. r. I, 55, 4 invenitur.

Recepta autem ab eo forma haec est quae fit per anaclasim:

⏑⏑–́⏑–́⏑–́–́ | ⏑⏑–́⏑–́⏑–́

itaque ut domum Cybebes tetigere lassulae;

sed ita, ut paenultima exceptis versibus quattuor [14; 35; 73; 76] solvatur arsis:

super alta vectus Attis celeri ra*te ma*ria.

quam rem veteres grammatici [Terentian 2892 sq.] haud absurde inde repetierunt, quod sic enervati magis et fracti irent numeri, metri referentes mollitiam. — etiam prima vel secunda prioris hemistichii diduci potest arsis, ut:

ubi *capi*ta Maenades vi.
tibicen *ubi* canit Phryx.

nec tamen utramque simul decet rescindi. nam in metro illo [63], quod incipit:

ego múlier, égo adulésceńs,

verissime restitutum a Scaligero id quod sensu flagitatur: *ego púber.* — paenultimam diducere solus sustinuit Maecenas:

ades ét sonánte *týpa*nó quate fléxibíle capút.

At in parte altera cum paene semper secunda arsis pyrrichio reddatur, praecedens non solet divelli. male igitur Lachmannus [74] '*sonitús abiít celér.* ideoque probabilest admodum in alio metro [91]:

dea mágna, déa Cybébé, dea dómina Díndymí

reponendum cum Scaligero: *Didymí deá dominá,* sicut legitur in glosis Lugdunensibus [mscr. Lat. Voss. F. 82] *Dydima mons Frygiae.* nec vero mirum Catullum hic *Didymi* dixisse, alibi [13] *Dindymenae,* cum in eodem carmine modo *typanum* posuerit, modo *tympanum.*

Pyrrichius initio hemistichiorum positus potest mutari longa. quamquam id fit raro; semel tamen [73] in utroque:

iam iám dolét quod égí, *iam* iámque paénitét.

Varro, qui non modo poeta fuit, sed et grammaticus, non abstinuit a principali forma metri. nam videntur recte habere hi versus:

sic síc ílle puéllús Venerís repénte Adón
cecidít cruéntus ólím.
tibi týpana nón inání sonitú mátri' deúm
tonimús, modós tibí nós, tibi núnc sémivirí.

Ceterum egregie fallitur Caesius Bassus, qui nunc creditur, vel, ut puto, interpolator eius, statuendo [2677] ultimam prioris hemistichii syllabam esse communem recteque stare versum talem:

hic nympha cingit omnĭs Acheloium senem.

minime enim hoc metrumst ex asynartetis, in quo adeo post finem prioris partis elisio admittitur a Catullo [37]:

piger his labante langore oculos Sopor operit.

Tetrametros integros ionicorum a minori apud Varronem deprendere sibi visum Lachmannum, parum tamen ut res sit certa, iam l. I memoravi.

At constat ionicos et quidem puros ac per synaphian adhibitos ab Horatio [III, 12], deinde exemplo huius a Terentiano [2065—71] (nec enim obstat hiatus in v. 2069 fine) et incerto saec. III poeta, quem adfert [2060—64]. quos secutus est Martianus in carmine tetrametris constante [IV fin.], sed citra synaphiam, qui quidem semel molossum [v. 3], semel etiam [10] admisit anaclasim:

licet unam decuit ius*sae permit*tere culpam.
ioca passim blaterantem Iovi*alibus sub* orsis.

Sed ad Horatium ut redeam, notumst l. III c. 12 a veteribus plerumque ita dispositum, ut quattuor constaret systematis binorum trimetrorum, singulorum tetrametrorum. conferenda quae adnotavit Bentleius. qui Hephaestionis adductus auctoritate reposuit decametros ionicos addita tamen elegantiae causa post quartum et octavum pedem distinctione. tum reperto omnia Horatii carmina lyrica ad quaternorum versuum systemata esse revocanda Lachmannus opusculum illud in eandem redegit formam. atque hunc pariter et Bentleium in editione nostra sumus secuti. Terentiani autem ionici partim tetrametris constant, partim [2070; cf. 2064] trimetris. at auctoris, quem supra dixi, locum ita distinximus in appendice Namatiani [pg. 56], ut placuit Bentleio:

Diomeden modo magnum dea fecit, dea belli
dominatrix, Phrygas omnes ut in armis superaret.
patulis agmina campis iacuerunt data leto;
pavidi tergaque dantes petierunt trepidae moenia Troiae.

nam poeta ille, quisquis fuit, cum haud dubie synaphiam vellet servatam, sed alienus esset a systematis Horatiani

aequalitate, videtur ita rem instituisse, ut tetrametris ionicis modo pluribus modo paucioribus numero subiungeret pentametrum nulla cum sequentibus synaphiae lege copulatum. atque hoc etiam Bentleii commendatur opinio, quod sic ter in fine metri sensus fit interstitium.

Sed ad ionicos a maiori ut pergam, primum agendum de sotadeis. in quibus persequendis Ennium Acciumque praetereo, de quorum placitis in opusculo I disseretur. quamquam Varronis pars sotadeorum eadem prorsus arte constat, qua insequentium temporum auctores sunt usi. de quibus quae disseruit Lachmannus [opusc. II, 68], hic repetam paucis additis.

Itaque demonstravit ille admittere eos praeter puram formam ionici pedis talem, qua aut prior aut posterior arsis resolvatur, et porro admissa anaclasi ditrochaeum, ceteras vero exclusas esse species, licet semel Petronius utramque longam distraxerit pede proceleusmatico ita [c. 23] '*fémoréque facili*', semelque Terentianus in exemplo quarti paeonis et nomine proprio ditrochaei primam longam resciderit sic [1545] '*Pélopidaé sonabunt*'. id etiam Laevius admisit numeris ionicis supra a me commonstratis in principio. et maxime quidem usitata formast ea, qua de primo et secundo pede versus ditrochaeus arceatur, optineatur idem in tertio, ut est ille [Victor. 2523]:

rúmpúnt tenerás úviferaé comás lagéí.

paenultimam vero syllabam non licere mutari ex eis, quae exposui initio huius libri, apparebit. talem cum fide servant normam Petronius et Martialis, non perinde Terentianus, ut qui aliquotiens vel in principem sedem admittat anaclasin. sed illud esse durum satis constat [cf. Diom. 515], quamquam non defuerunt eodem teste Terentiano [2040], qui et secundo loco reciperent ditrochaeum. at omnibus simul pedibus admissam anaclasim non invenio certis poetarum exemplis. — praeterea solvendi longas maximam initio versus adesse libertatem aequumst.

Deinde aptum memoriae in logaoedicis numeris versus talis '*Lydia dic, per omnes*' numquam solvi arsin; quod contra eius metri, cuius est pars, '*Iane pater, Iane tuens, dive biceps, biformis*' primam tertiamque et quartam arsin

solverunt Septimius [Ter. 1900] et Terentianus, praeterea hic [1903] cum summo dedecore etiam quintam. nec non ab eis admissa in secundo pede anaclasis ita '*cui reserata mugiunt aurea claustra caeli*'. relicui neutra usi licentia.

Iam ad cetera logaoedica ut transeamus, glyconeos et qui inde provenere versus habuisse basin ab initio mobilem admissis pariter cum trochaeo iambo ac spondeo satis constat. quam regulam Catullus ita observavit, ut in glyconeis et pherecrateis raro spondeum et minus etiam frequenter iambum admitteret. contra in versu phalaecio, quem longe frequentissime adhibuit, aliquantum praevalet spondeus, quo solo usus est in asclepiadeo maiore [c. 30]. atque ita ei praelusisse eum arti, quam ab Horatio in principio pherecratei et glyconei atque asclepiadei utriusque observatam videmus, quis negabit? — ceterum similia placita quin aequales servarint Catulli non est dubium. ita Bibaculus in basi hendecasyllaborum a Suetonio servatorum [pg. 109 sq.] locis XIII habet spondeum, bis iambum:

racemi duo tegula sub una.
Catonis modo, Galle, Tusculanum.

porro alterius auctoris vel eiusdem hoc est:

Cato grammaticus Latina Siren.

ita in glyconeis epithalamiorum, quos et Catullus in eodem genere usurpavit, Calvus et Ticida:

vaga candido
nympha quod secet ungui.
felix lectule talibus
sole amoribus.

omnino comparanda quae relicta ex cantorum Euphorionis opusculis leguntur in appendice Catulli nostri.

Hendecasyllaborum autem in basi ne Augusti quidem aetate semper positum spondeum docet versus Priapeon ille [4, 2]:

dicans ex Elephantidos libellis.

atque ita Maecenas, et ipse pronus in Catulli Calvique imitationem:

Ninnio videas strigosiorem.

At aliter habuit res in glyconeo metro et quae ab eo descendunt. quorum locis communibus notumst a Flacco detractam brevem. nam falsus est versus ille [I, 15, 36]:

ignis Iliacas domos.

atque eadem plane optinuit norma apud posteriores. quaeritur iam, quanam adductus causa hoc in numeris novarit Horatius. id vero non ea re venit, sicut visum quibusdam, quod spondiacorum pedum longe maior est copia sermoni Latino quam trochaicorum vel iambicorum. namque etsi id verumst, tamen minime hinc explicatur, quonam Horatii rigore sit factum, ut in ancipiti versus sede, quos frequentiores conveniat esse pedes, ei iam soli atque unici inveniantur. sed enim cum exiguus esset usus spondei in versibus, quos sumpserat a Graecis, quod tamen genus rythmorum gravitati Latinae longest aptissimum, provisum certe ab eo, ut, ubicumque illum admitti liceret Graecorum ex norma, ibi certa observantia iam sanciretur. credo et ideo factum esse, nequa ipse videretur iuvare podicorum discriminum contemptum illum, qui scaenicorum licentia ortus ne ab huius quidem aequalibus omnino fuit alienus. ceterum qualicumque de causa rem supra expositam novavit Flaccus, aptissime certe instituit eandem, id quod laude et aemulatione popularium satis declaratur. nec hercule decet gloriam firmissimis iudicibus nixam turbari ratiunculis alienis ac neotericorum arbitriis.

Igitur Senecae asclepiadeis versibus et glyconeis eadem constanter lex servatur quae Flacci. at in phalaeciis versibus quamquam idem circa illud tempus auctore incerto optinuit, ut vere affirmasse videatur Vossius [d. a. gr. II, c. XXX] Statiani aevi poetis non incohatos eos a trochaeo, tamen in tanta librorum veterum penuria metrum inde a Catulli tempore populariter habitum omnes severitate eadem normae adstrinxisse quis pro certo audebit asserere? equidem contrarium potius innui existimo Plinii verbis, qui de aequali poeta sic refert [I, 16, 5] '*facit versus quales Catullus aut Calvus. quantum illis leporis, dulcedinis, amaritudinis, amoris. inserit sane, sed data opera, mollibus levibusque duriusculos quosdam, et hoc quasi Catullus aut Calvus*'. quibus vix aliud videtur posse significari quam trochaeus vel iambus in basi hendecasyllabi admissus.

Mox, coalita aemulatione antiquissimorum, quae fautorum prius arbitriis, iam communi frequentari sunt coepta usu. ita Terentianus ut hendecasyllabi, ita glyconei versus

initium aliquando trochaeo nec minus iambo continuit. idem semel asclepiadeum posuit hunc [2678] '*epodum ex geminis subicit alterum*'. et hic quidem grammatici magis quam poetae vicem servans rationibus ab ipso expositis innititur [2556 sqq.; 2624—26; 2634; 2640—43; 2658 sqq.; 2746 sqq.]. ceterum similiter Septimius:

agitque intus in oppidum
anhelos Panope greges

et huius aequalis:

purpurae leguli senes.
intus hic ubi consitumst.

quorum accedit normae Boethius, qui aliquando haud dubie iambum in glyconio et phalaecio metro admittit ipse. idem totum carmen glyconium [IV, 3] basi trochaica composuit, quippe cuius ultimo versu pridem sit perspectum oportere scribi '*mentis ulcere saeviunt*' pro illo '*mentis vulnere*'. *ulcus* enim de vitio non corporeo dictum infra exemplis firmabitur. similiter Luxorius in hendecasyllabis admisit interdum trochaeum et iambum. unde non fallemur versum quendam eius corruptum [332, 7 ed. Ries.] sic restituentes '*quo ferunt se Heliconides puellae*', cum sit in libro Divionensi '*quos elacodes ferunt puellae*' addito supra *co* syllabam *ni*. sed idem non magis quam Claudianus versus asclepiadei minoris basin alio quam spondiaco pede continuit, nec non ipse Terentianus severitate eadem legis est usus maiore in carmine glyconio eo, quod praemisit operi. quam adhibuerunt usquequaque Ausonius, Prudentius, Sidonius, Martianus, Severus. e quibus maxime certa res in Ausonii [epist. 4, 82 sqq.] Sidoniique [ad Consentium 25—27] phalaeciis versibus, quippe qui disertis probent verbis spondiaca istos basi esse incohandos. quare quod leguntur apud Ausonium in fini epistulae quartae haec:

nec iam post metues ubique dictum
'hic est ille Theon poeta falsus
bonorum mala carminum Laverna',

non potest epigrammatium hoc esse ipsius, nisi forte aut a iuvene compositumst aut ut iniecto iambo simile Theonis, quod sibi videretur, perstringeret vitium.

Iam basin metri ex asclepiadeo minore orti talis:

at regina gravi saucia cura

spondeo semper incoharunt Terentianus, Martianus, Boethius. quod contra in hymnis a Daniele collectis [I, 21; 22; 100; 101] aliquando et trochaeus et iambus prima sede reperitur.

At sapphici versus quartam syllabam cum promiscue habuisset Sappho, Catullus quin longam esse voluerit, non potest esse dubium reputanti ab eo ter, non saepius, admissum pede secundo trochaeum et quidem exemplis his [51, 13; 11, 6; 15]:

otium Catulle tibi molestumst.
seu Sacas sagittiferosque Persas.
pauca nuntiate meae puellae.

quae quidem iniecto nomine proprio aut polysyllabo mitigantur. iam Horatio placitam normam solam apud posteriores optinuisse verumst, nisi quod Seneca mira pravitate ingenii, ceterum licentia tragica usus, aliquotiens secundo loco dactylum, spondeum tertio adhibuit [Hipp. 286; 287; 288; Troad. 824; 836; 853; 1051; Med. 636]. denique minoris metri Sapphici similitudine tractum maius [Hor. I, 8].

Alcaici versus enneasyllabi vel hendecasyllabi anacrusin olim communem Horatius in prioribus tribus carminum libris cum plerumque voluisset esse longam, hanc normam in quarto, id quod verissime observaverunt Meinekius [praef. Hor. p. 41] et Zumptius [gramm. Lat. ed. XI, p. 654], semper optinuit idem. cuius severius placitum custodierunt Statius et Prudentius, quod contra Claudianus bis terve brevem admisit anacrusin. itaque habes in hymno auctoris nescio cuius [Dan. I, 89, 31], sed per antitheton '*negare praestat quam dare vitricum*'. at quintam syllabam quin longam semper voluerit Horatius, non est dubium. nam quod quidam probavere '*iam bis Monaesis et Pacori manus*' pro illo *Monaeses* vix est dignum memoria. neque integrum existimo, quod libris scriptis omnibus firmatum plerique tulerunt '*si non periret immiserabilis*', ubi si non altior haeret corruptela, Lachmanni videtur amplectendum commentum, cui scribi placuit *perires*. nam Bentleii illud *perirent inmiserabiles captiva pubes* alienumst ab usu Horatiano. — mox et ipsi secundum pedem spondiacum semper voluerunt esse Statius, Claudianus, Prudentius. tamen in hymno quem supra tetigi

— tenet Danielis volumine priore locum undenonagesimum — admissum in medium habes trochaeum versu hoc [7]:

gestaret aula nobilis intimo.

itaque Boethius in metro tali '*mergatque seras aequore flammas*' non dest [IV, 5, 2; 20; ib. 6], ubi et primam et quintam permiserit esse brevem syllabam.

Iam in metris eis, quae ex diversis numeris in unum confusis mixta constant, vel thesin spondei vel arsin iambi seu trochaei resolvi vel dactyli contrahi partem alteram plane cum sit vetitum, apparet non potuisse committi ista nisi aut ignorantia hominum indoctorum, cuius habes pleraque exempla in tabulis ac lapidibus vetustis incisa, aut perversitate doctorum, dum professoria sapientia usi simplicis elegantiae leges epiplocae praestigio destruunt. talia apud Romanos vitia quarto potissimum quintoque p. Chr. n. saeculo evenerunt. itaque cum plerique adseverarent grammatici versum asclepiadeum minorem ortum esse demendo pentametro ultimam syllabam, qui poterit esse mirum, quod Martianus eiusdem resolvit aliquando spondeum primum [cf. 25, 31; 26, 4; 5 ed. Eyssenh.]. contra falluntur qui simili Luxorium usum licentia existimarunt versu hoc '*an tabulae melius praemia grata sunt*'. placuit adscribi totum carmen [334], quoniam quinquiens, non minus, Burmannum et Meierum in paucorum versuum opusculo fefellit verum. venit autem a Luxorio tale:

ludis, nec superat alter ad aleam,
nec quidquam in tabulam das nisi virginem,
spondens blanditias et coitus simul.
hoc cur das aliis, quod poteras tibi?
an tali melius praemia grata sunt?
aut prodest vitium tale, quod impetras?
si vincas, ego te non puto virginem
in luxum cupere, sed mage vendere.

et quoniam semel ad obscaena res devenit, dicam in altero auctoris eiusdem [319] carmine versus ultimos sic esse scribendos:

si nihil ergo vales, vana cur arrigis orge
et facis ignavus mentis adulterium?

vulgo habetur *vacuo* et *ignarus*. in quibus *orge* dictast ut apud Horatium *mea cum conferbuit ira*. sed ne sola ista

nos tetigisse videantur, addam eiusdem Luxorii alios duos versus emendatos. igitur in carmine trochaico de piscibus [303] cum sit traditum '*nec manum fugit vocatus nec pupescit regiam*', scribendum existimo *pavescit.* et ita iam Duebnerus. item alibi quod fertur de Romulo [336]:

disce pium facinus. percusso, Romule, fratre
si (*cdd.* sic) tibi Roma datur, huius iam nomine culpat
nemo te caedis, murorum si decet omen,

pro illo aperte falso *si* restituendum sine mora *sed.*

At ut repetam viam, quam declinavi, similis fuit Martiani Boethius in priore parte metri huius '*at regina gravi saucia cura*', cuius sunt talia [I, 2, 3; 14; 6]:

tendit in externas ire tenebras.
flamina sollicitent aequora ponti.
hic quondam caelo liber aperto.

neque aliter idem in numero illo '*cur legat tardus plaustra Bootes*' pro spondeo admisit anapaestum sic [IV, 5, 5]: '*cum nimis celeres explicet ortus*'. denique idem in versu hoc '*propinqua summo cardine labi*' secundam arsin resolvere sustinuit [IV, 5, 20]: '*stupetque subitis mobile vulgus*'.

Nec tamen dissimili longe ratione factum, quod e classicis Catullus in versibus phalaeciis et semel, si verumst, in pherecrateis contraxit dactylum, quod unde sit repetendum docuit Lachmannus [praef. Ter. pg. 15 sq.]. scilicet cum Varro aliique, ut testatur Terentianus [2833 sqq.; 2866 sqq.], statuissent et phalaeciis istis et anacreonteis talibus:

triplici vides ut ortu

inesse, si epiploca utereris, pedem ionicum a maiore, qui recipit et molossum, potuit disciplinam potius quam elegantiam respicienti admitti in metro phalaecio vel pherecrateo spondeus. quamquam fatendum satis commode ratione ista usum Catullum in opusculo de Camerio [55], cui soli eam adhibuit. in hoc enim, quod Lachmanni virtute in integrum restitutumst, qui cum aliis post v. 13 addidit carminis quinquagesimi octavi versus inde a sexto, multiplicatis spondeis bene exprimitur, quantis molestiis aerumnisque conflictatus sit poeta in quaerendo Camerio. contra nulla apparet causa, cur semel in hymenaeo priore [61, 25] admiserit pherecrateum talem:

nutriunt umore.

atque etiam hoc movet suspicionem, quod secundam syllabam in carmine ad Camerium, si spondeus sequeretur, semper voluit esse longam, in hymenaeo admisit brevem. itaque gravior videtur latere corruptela. multo etiam minus credibilest, quod statuit Hermannus, idem cum Catullo admisisse Senecam in chorico Oedipi illo [882—914] '*fata si liceat mihi*', quod ipsi glyconium numerum habere visumst, cum potius eo dimetros trochaicos repraesentari supra indicarim. nam vel hoc refellitur opinio eius, quod semper spondiaca basi glyconei versus utitur Seneca praeter cantica liberiore metro constantia. ceterum quod legitur in carmine illo de Icaro '*donec in ponto manus movit inplicitas puer comes audacis viae*', habet ultimus versus neque logaoedicam mensuram neque trochaicam, sed nullam. scribendum omnino existimo '*compos audacis viae*'.

Superest ut addam Horatium epodon libro in fine prioris partis asynartetorum, quae ibi semper exit in arsin, et brevem admisisse syllabam nec hiatum refugisse [11, 6; 10; 26; 13, 8; 10; 11, 14; 24]. neutrum invenitur in lyricis, ubi semel [I, 4] habetur versus quaternis dactylis et ternis constans trochaeis, quamquam apud Archilochum [115 B.] fertur:

καὶ βήσσας ὀρέων δυςπαιπάλους, οἷος ἦν ἐπ' ἥβης.

quo tamen loco alii vel δυςπαιπάλος, ut antiquam accusativi formam, putant restituendum vel post hoc verbum novum instituunt versum.

Supra emendaveram versum Senecae. quodsicui videbor in opere nostro saepius aequo temptasse poetam hunc, cogitetur, quaeso, eius carmina, iniuste damnata plerisque, qui non omnium Romanorum, non ipsius Senecae indolem, non temporum rationes aut tragoediae, qualis fuit Neronis aetate, condicionem probe perspexissent, nondum percepisse curae criticae satis. nam in emendandis eis maxima quidem fuere merita Gronovii, at mediocria Bothii, Badii nulla. quod cum ita sit, placuit promi quae ad emendandas fabulas illius utilia collectaneis nostris habemus notata.

Itaque in Hercule furente [1265] antiquitus tradita leguntur haec:

memoranda potius omnibus facta intuens
unius a te criminis veniam pete.

ea cum sint Amphitryonis Herculem, qui coniugem et natos peremerat, solantis, non potest recte habere illud *memoranda.* quid enim? tam dirum facinus nonne et ipsum fuit dignissimum memoria hominum? at ipse Hercules dixerat paullo ante [1240] '*non sic furore cessit extinctus pudor, populos ut omnes impio adspectu fugem*'. praeterea vocabulo sequente *criminis* apparet priori versui adfuisse, quo aperte laudes significarentur Herculis. venit ab auctore *veneranda.* ita in Oedipo [718] deterior pars librorum habet *memorans* seu *numerans* pro *venerans.* eademque menda olim anthologiae carmen liberavimus [437, 3 R.], reponendo:

aspice Alexandri positum venerabile corpus.

porro in Thyeste feruntur talia [299]:

si nimis durus preces
spernet Thyestes, liberos eius rudes
malisque fessos gravibus et faciles capi
prece commovebunt.

in quibus *commovebunt* scripsi, cum in codice Florentino sit *commovebo,* quod nec ad sententiam satis aptumst — neque enim decet ab Atreo ipso Thyestae pueros precibus ambiri — et foedum hiatu ob insequentem vocalem. sed non magis potest esse verum quod altero versu habetur verbum paenultimum. nam cum illa *eius, eorum, earum* ab epicae melicaeque dictionis gravitate aliena esse verissime post Bentleium iam statuatur, quis credet ea tragoediae convenire, cui etiam minus multost apta dictio humilis ac vulgaris? scribendum *melius.* — iam in Phoenissis haec extant [455]:

sancta si pietas placet,
donate matri pacem. si placuit scelus,
maius paratumst.

Quis credet Senecam pari loco versus iambici potuisse admittere spondeum? scribendum *pacta.* illud *donate* dictumst quasi *concedite.* — dein haud sane apparet, quonam metro constare putaverint quae in Hippolyto et Troasin leguntur anapaesticis admixta talia [1140 sqq.; 106] '*circa regna tonat. volat ambiguis mobilis alis hora*'; '*nunc nunc vires exprome dolor tuas*'. et posteriore quidem loco sat constat addendum esse *furiose,* sicut est in Medea [139] '*melius, a melius dolor*

furiose loquere'. priore recidendum existimo illud *tonat,* quod ex sequente *volandi* verbo videtur ortum. nam nequis et praecedentia verba damnet, ea re prohibetur, quod, haec si dempseris, in sequentibus id ipsum desiderabitur quod adesse omnino opus est, cum non communis hominum fortunae varietas perstringatur isto cantico, sed eorum qui in imperio sunt positi. — at in septima fabula cum Medea ad Creontem sic verba fecisset [199]:

qui statuit aliquid parte inaudita altera,
aequum licet statuerit, haud aequus fuit,

credidere plerique eum sic respondisse:

auditus a te Pelia supplicium tulit.

quod ineptum esse ne ei quidem negabunt, qui per interrogationem prolatum esse existimarunt. quid enim? num Medeae ut iudici fuit supplex Pelia? immo ipsa ad clementiam eius, quamquam per dolum et ut fraudem strueret, confugit. neque decuit Peliae hominis scelerati innocentiam, quae nulla fuit, extolli, verum indulgentiam, qua usus est in Medeam, damnari. sed una litterast peccatum. quippe reponendum:

audît ut, a te Pelia supplicium tulit.

primum autem merito locum optinet illud *audit,* quoniam in eo sententiae summa vertitur. — mox in eodem carmine cum Iason dixisset [516] '*hinc rex et illinc*', haec reddidisse statuerunt Medeam:

est et his maior metus
Medea. nos confligere certemus. sine.
sit pretium Iason.

in his *Medea* quin inepte habeat non dubitatur. neque *confligere certemus* aut a sententia aut a metro sanumst. quanto melius habebunt ut puta talia:

est et his maior metus.
medere. nos confligere ardemus. sine.
sit pretium Iason.

neque verius est illis quod in Agamemnone sic exhibetur libro Florentino [735]:

quem petit dextra virum
Lacaena vultu ferrum Amazonium gerens?

in quibus verbis apparet ineptum esse *vultu*. sed vel *cultu*, quod pro eo posuere plerique, subabsurdumst. debuit enim pro Lacaena certe dici Graeca. praeterea, illud si probaris, claudicabit in sequentibus verbis situm antitheton. non stabit sua elegantia versus, nisi scripseris:

quem petit dextra virum
Lacaena, ritu ferrum Amazonidum gerens?

in quibus *Amazonides* dixit secutus Vergilium. — porro in eadem fabula [59] pro anapaestico tali:

dubioque nimis
excelsa locas

reponendum esse '*dubioque locas nimis excelsos*' ea re probatur, quod Florentino codice scriptumst '*d. l. excelsos nimis*'. — praeterea in Hercule Oetaeo haec leguntur [153]:

in nudo gladius corpore frangitur
et saxum resilit, fataque neglegit
et mortem indomito corpore provocat.

ut omittam, quam sit ingratum minimo intervallo repetitum vocabulum *corporis* in tam castigata dictione Senecae, id hoc loco ipsum neque ad rem facit neque recte dicitur. quis enim, amabo, hominum corpore potius quam animo provocabit adversarium, nisi qui plane corde caruerit? quod quoniam non ita fuit in Hercule, scribendum existimo *pectore*. praeterea extant in eadem fabula talia [353]:

dilexit Iolen; nempe cum staret parens
regisque natam peteret. in famulae locum
regina cecidit. perdidit vires amor,
multumque ab illo traxit infelix status.

multum illud, quod non bene facit ad elevandam Deianirae curam, non recte habere libri Medicei scriptura apparet, in quo habetur *vulcumque*. scribendum autem *vulnusque* vel potius *ulcusque*, ut *illo* ad Herculem pertineat. ita etiam de amore turpi Lucretius '*ulcus enim vivescit et inveterascit alendo*'. neque enim veremur, ne quis dicat indecorum *ulceris* verbum Senecae, qui dixerit itidem vetustiores secutus '*expuere spiritum*'. — ab eodem non credo positum in hac fabula [520] *tabum fluentem*, sed *fluentum*. nec enim *tabus* legitur alibi. — ibidem [1005] haec prostant:

quid me flagranti dira persequeris face
Megaera? poenas poscis Alcidae? dabo.
iamne inferorum, diva, sedere arbitri?
sed ecce diras carceris video fores.

quamquam dixit Seneca vel alibi *sed ecce,* tamen huic loco non esse aptum idem apparet. praeterea insequentibus versibus demonstratur non fores, sed interiores partes domus infernae, patefacta ianua quae cernerentur, videre sibi visam esse Deianiram. quare nec *diras* potest recte habere. itaque acriter considerandum, an digniora sint Seneca velut haec:

iamne inferorum, diva, sedere arbitri?
sedent. — reclusas carceris video fores.

ubi illud *reclusas* iam repertum a Bothio. — mox feruntur [1027] in libris vulgatis talia:

o misera pietas. si mori matrem vetas,
patri es scelestus. si mori pateris tamen,
in matre peccas. urget hinc illinc nefas.
inhibenda tamen est, pergam et eripiam scelus.

haec nisi Medicei codicis testimonio suspectarentur, sana esse quis negaret? sed enim cum in eo pro *pergam* extet *verum,* non potest dubitari quin sit reponendum *serum.* scilicet decuit Deianiram sibi mortem consciscere ante quam ipsius culpa esset extinctus Alcides. — porro eodem carmine ubi queritur Hercules inglorio sese leto occubare, leguntur haec in membrana optima [1175]:

Herculem vestrum placet
morte ferire. dirus o nobis pudor.

pariter sententiae versuique consulueris reponendo:

Herculem vestrum placet
perire inertem?

deinde exposcenti ad supplicium Deianiram parenti cum ita verba dedisset Hyllus [1456]:

conpesce diras, genitor, irarum minas.
habet, peractumst. quas petis poenas dedit.
sua perempta dextera mater iacet,

non bene existimaverunt ei sic respondisse Herculem:

caeci dolores. manibus irati Herculis
occidere meruit.

neque illud *caeci,* quod omnino falsumst, in libro habetur Mediceo, sed *recti.* quidni scribemus *aucti?* — praeterea

Philoctetam his verbis Alcmenam propter filii obitum consolatum esse perhibent [1831]:

debitos nato quidem
conpesce fletus, mater Alcidae incliti.
non est gemendus nec gravi urgendus nece,
virtute quisquis abstulit fatis iter.

qui potuit urgeri Hercules gravi nece qui iam mortem obisset? scribendum *prece.* quis enim ignorat Propertii illud:

desine, Paulle, meum lacrimis urguere sepulcrum.
panditur ad nullas ianua nigra preces.

quod quo pertineat satis amplis exemplis docuere interpretes. atque idem coniecit Perlcampius. — dein haec feruntur de Nioba [1849]:

et toto stetit
succisa fetu bisque septenos greges
deplanxit una.

de Niobae liberorum numero quamquam in diversa abiere, Gellius ut testatur, auctores veteres, tamen qui plures viginti fuisse tradiderint, non invenio. a tali modestia quantum Seneca recessit, si librariis credimus, qui eius bis septenos greges esse dixerit. scribendum *gregis.* ita Cornelia apud Propertium [V, 11, 98] '*venit in exequias tota caterva meas*'; atque ipse Seneca alias [Herc. fur. 1149] '*ubi illa natorum grege animosa coniunx?* — denique in fine illius fabulae haec leguntur verba Alcmenae querentis de Hercule [1857]:

agedum senile pectus, o miserae manus,
pulsate. et una funeri tanto satest
grandaeva anus defecta, quod totus brevi
iam quaeret orbis. expedi in planctus tamen
defessa quamquam brachia.

cum appareat ea quae sunt '*una funeri tanto satest grandaeva anus defecta*' non esse affirmantis, sed dubitantis, cum Bothio scribi debet *at,* totus ut sensus per interrogationem efferatur. mox pro eo, quod utique ineptumst, '*quaeret*' ponendum existimo '*ploret*'. '*curet*' enim, quod propius abest a tradito, non satis fortiter videtur dici.

Restat unus Octaviae locus. itaque in aetatibus variis humani generis describendis leguntur haec [406]:

alia sed soboles minus
conspecta mitis. tertium sollers genus

novas ad artes extitit, sanctum tamen,
mox inquietum.

quomodo potuit esse tertia soboles *sancta,* cum iam altera *minus* fuisset *mitis,* cumque Ovidius, quem imitatur poeta, illam dixerit fuisse saeviorem ingeniis et ad horrida promptiorem arma? praeterea quam inepte sibi opponuntur *sanctum* et *inquietum.* quin potius ponemus *sanum.* nimirum, ut Sallustii [Catil. 2] verbis utar, *etiamtum vita hominum sine cupiditate agebatur. sua cuique satis placebant.*

Simili autem contemptu iacere vel post praeclaras Bentlei curas plerosque locos Silii cum satis constet, quamquam non ita multum decoris accedet eidem vel totis ad integrum restitutis carminibus — nam ingeniost mediocri —, tamen ne huic quidem quae praestitimus oblivioni danda existimavi. itaque in primo libro haec feruntur de Saguntinis [289]:

insula quos genuit Graio circumflua ponto
atque auxit quondam Laertia regna Zacynthos.

quis prioris versus et secundi non dico aptum, sed ullum conexum invenerit, nisi scripserit '*et quae*' pro eo quod est *atque?* — porro eodem volumine talia tradita de Hannibale [638]:

et quem insana freta aut coetus genuere ferarum.

coetui nullus hic locus. ponendum *coitus.* — deinde tertio libro de eodem illo extant talia [504]:

sed languida maestus
corda virum fovet hortando.

qui videbitur credibile Hannibalem cum maestitia hortatum suos ad sustinendos labores, quam debuit, vel si inesset ipsius animo, occultare, cum praesertim dicat eundem Silius proxime praecedentibus versibus non Alpibus nec ullo terrore loci turbatum? scribendum *languida maestis.* et ita iam Schraderus. — mox in septimo [294] leguntur haec:

haud procul hasta uiri terrae defixa propinquae,
et dira e (dire *cdd.*) summa pendebat cuspide cassis.

illud *dira,* quod mirificum in modum languet, ne aptum quidemst, cum galea non faciat ad inferenda, sed ad propellenda pericula. nam et omnino ab hoc locost aliena belli malorum exaggeratio. reponendum esse opinor *clara.* ita

dixit Varro '*aerea terta nitet galea*'. — at sequente libro [300] verba Fabii perperam scribuntur ita:

si tibi cum Tyrio credis fore maxima bella
ductore — invitus vocem hanc e pectore rumpam —,
frustraris, Paulle, Ausoniam. te proelia dira
teque hostis castris gravior manet.

cum non Ausoniam, sed se ipsum frustretur Paullus, apparet esse ineptum, qualis nunc fertur, versum tertium. legendum:

frustraris, Paulle. Ausonium te proelia dira,

ut *Ausonium* sit genetivus; nisi magis placuerit illud *Ausonidum.* — sequuntur paullo post sic vulgata [414]:

ecce inter primos Therapnaeo a sanguine Clausi
exultat rapidis Nero non imitabilis ausis.

scribendum *rabidis.* — non magis sincera haec, in decimo quae extant libro [332] de Hannibale tumido successibus:

stimulat dona inter tanta deorum
hortatur nondum portas intrasse Quirini.

quae cum vix futurus sit, qui defendat, sufficiet id quod verumst apponere. restituendum *optatas* pro *hortatur,* quod nequis non satis fortiter dictum putet, Vergilii et ipsius Silii exemplis cohibebitur. sic enim Maro [aen. I, 172] de Aeneae sociis tempestate vexatis:

egressi optata potiuntur Troes arena.

atque ita iam Ernestius. sed sprevere docti, ut pleraque eiusdem aliorumve criticorum commenta. — porro ibidem [639] leguntur de Varrone illa:

sic igitur multo lictore invectus in urbem
damnatum superis adspernabatur honorem.

multo esse ineptum et quod insequentibus verbis confutetur plerique perspexerunt. neque ulla re praeter facilitatem mutandi commendatur quod vulgo fertur *muto.* venit a Silio vel *misso* vel, quod iam alii coniecere, *nullo.* — neque probe habent ex insequente libro petita talia [309]:

mens una inviolata mero nullisque venenis
potandi exarmata decus pugnaeque necisque
Sidoniae tacito volvebat pectore molem.

quibus non constabit sententia, nisi pro illis, quae sunt '*decus Sidoniae*', scripseris *duci Sidonio.* tum in fine voluminis cur Hannibali negata fuerint auxilia ita explicari creditur:

dum malus obtrectat facta immortalia livor
nec sinit adiutas ductoris crescere laudes.

adiutae laudes nescioquid importuni habent et inepti, neque ab inimicis Hannibalis potuit prohiberi, ne gloria eius post Cannense proelium etiam augeretur claris facinoribus, potuit, ne extolleretur oppressa Roma. quare quaerendum an melius habeat '*nec sinit ad metas ductoris crescere laudes*'. et sic iam Rupertus. ita sex versibus ante fertur '*destituemus ad ipsas victorem metas?*' — praeterea habes libro tertio decimo [712]:

quam paene ruentia tecum
traxisti ad Stygias Oenotria tecta tenebras.

quis non torporem hominum doctorum damnabit, qui *tecta* illa cumulo ineptiarum labentia timuerint evertere funditus. scribendum '*Oenotria regna*'. ita apud Lucanum semel l IX [458] est in codice Sangermanensi *tecta* pro *regna*. — porro paucis interiectis versibus leguntur item mendosa [759]:

nullo non tempore abundans
umbrarum huc agitur torrens vectatque capaci
agmina mole Charon et sufficit improba puppis.

cum toto loco appareat non id agi, ut Charonis cymbae vastitas, sed eorum, qui ea vehantur, exaggeretur multitudo, quod imitatione factum Vergilii [aen. VI, 305—314], debuit poni '*nec sufficit improba puppis*'. quod cum ita sit, non adsentior Lachmanno, qui [ad Lucr. V, 1006] *improbam* pro *immani* dici existimavit. sed *improba* ob id ipsum autumatur navis, quod non par sit omnino negotio, sicut e contrario dixit Plautus '*armati atque animati probe*', quamquam potest etiam aliter explicari *improba*. — mox leguntur ibidem haec [828]:

illast, quae Thybrim, quae fregit Lydia bella,
nondum passa marem, quales optabat habere
quondam Roma viros contemptrix Cloelia sexus.

qui potest credi tum potissimum Romam eguisse viris animosis, cum vel virgines haberet fortes? scribendum *optabit*, quo ipsius Silii tempora omni luxuria effeminata tangi vix est quod moneam [cf. Tac. ann. XV, 57 '*clariore exemplo libertina mulier*' e. q. s.]. et ita iam Bentleius. — denique libro paenultimo talia vulgantur ut Fabii [622]:

an, cum tu Syrtim ac steriles vastabis arenas,
non dira illa lues notis iam moenibus urbis
assiliet vacuumque Iovem sine pube sine armis
invadet? quanti, ut cedas Romamque relinquas,
emerito est? tanto perculsi fulmine belli
sicine te, ut nuper Capua est accitus ab alta
Fulvius, aequoreis Libyae revocabimus oris?

habent codices fere *emerito ast.* vide sis, an hoc potius sit ducendum:

quanti, ut cedas Romamque relinquas,
emerit. — et tanto.

in quibus illud *emerit* pro coniunctivo praeteriti temporis accipiendumst. sic idem Silius alibi [X, 287] '*quantine emptum velit Hannibal, ut nos vertentes terga aspiciat*' [cf. Drakenborch. ad V, 601]. apte autem disiectis et perplexis sensibus fluctuantis animo Fabii variae describuntur turbae.

Sed alios Senecae Siliique versus suis dabimus locis emendatos. nunc vero de caesura videamus.

IV.

LIBER TERTIVS.

EXPONITVR DE CAESVRA. QVAERITVR NVM GRAMMATICI ACCENTVS RATIO SIT HABITA IN VERSIBVS LATINIS ET FINES SENSVVM AC NVMERORVM QVATENVS INTERSE CONCINERE SOLEANT VEL DISSENTIRE.

In parte huius operis liceat mihi praefari, quod in universum alibi monui, nihil magis nobis cavendum esse in veterum arte metrica aestimanda quam illud, opinionum quantumvis pervulgatarum pravitate capti ne speciem potius primam quam quae latent intus consideremus, neve quae pueri didicimus ea esse perdenda pudeat nos fateri aetate adulta. praeterea cum cura videndum, ne eius magis sermonis, quo patrio utimur, quam Graeci Latinive proprietate imbuti ad rem quaerendam accedamus. nam et tam diversae sunt rationes metricae neotericorum, ut antiquas recogniturus, nisi vanitate et magniloquentia malet devincire imperitos, non possit non oriri ab Socratica illa, quae facillime munit viam ad veritatem, professione ignorantiae. quod qui neglexerint non minus erunt inepti quam historicorum ei, qui res gestas non pro aeterna fatorum serie principioque ac nexu causarum, sed in unius gentis aut saeculi gratiam exposuerint.

Sed iam ut accingar ad materiam huius libri enarrandam, ita stat sententia animo, cum possimus hiatus leges pedumque observantias et cetera magna ex parte non modo

intellegere mentis acie, sed etiam sensus suptilitate percipere, non perinde apparere illud, qui sit factum, ut tanto opere — neque enim de hoc dubitatur — diversa esset a solita ac pedestri pronuntiatione norma poetica. scilicet materiae pondere devincti et crassioribus elementis constantes, praeterea pridem perdito quantitatum sensu, vix logicum aliquando, nedum grammaticum accentum migrari a vatibus patimur. quare quid mirum nos vetustarum gentium delatos ad poeticam diversissima arte nisam, cum summam legum a nostris discrepare primo aspectu intellegamus, certe singula quaedam quasi suetis rationibus congrua velut ex naufragio arripere, ne prorsus tamen proprietatem nostram cogamur exuere utque popularium nobis et inde a pueritia tritorum carminum similitudinem quandam agnoscamus. hoc desidiae potissimum crimine mirificum in modum vera artis veteris peritia turbatast. iam nos quae expedivimus diu meditata, hunc fere in modum erunt concipienda.

Ac primum quidem omnium in ipsius caesurae definitione non nego me quadamtenus dissentire ab eis viris, quorum alioquin in rebus metricis summam veneramur auctoritatem. veluti persuasum habeo nihil plane referre, incisione in medio versu facta principalis numerus an alienus efficiatur, neque diversitatem distinctionum illarum altiore quadam causa, sed una lege elegantiae esse temperatam. id maxime deliquatur ea re, quod aliquando in uno eodemque versu et caesura et diaeresi — nam his vocabulis notumst a Boeckhio distingui incidendi modum utrumque — nos promiscue licet uti, veluti in octonario iambico, qui post arsin quartam an thesin quintam dirimatur plane nihil interest. neque vero ad facultates incisionum quidquam pertinet, similemne versus totius an dissimilem habeant rythmum, sed potius, in arsi an in thesi sint repositae. nam nec illud mihi probatur, quod dixit Boeckhius caesuram coiugandis magis quam discerpendis esse numeris, quod quidem qui concesserit, non poterit non amplecti incisionum ab illo institutam distinctionem.

Verum longe acrius ac veluti summa rerum, non quisquiliae ac venti spolia periclitentur, impugnandi nobis illi, qui non quam accuratissime distinxerint caesuram a fine

ordinis podici vel interstitio sensus. quorum dux et auctor fuit Hermannus, qui cum statuit proprie tot caesuras adesse versui, quot sint ordines [epit. d. m. pg. 17], id quidem ipse commode temperavit addendo [ib.] plerumque non cuiusvis ordinis metrici, sed unius, cuius finem praecipue notari par sit, terminationem fine sententiae vel vocabuli factam nomine caesurae intellegi. at tamen et ipse et secuti eum alii in hexametro dactylico sedecim non minus statuerunt inesse caesuras. debuit sane habere hos mirantes, quod in tot incisionibus causa ac ratione paribus singuli versus tantum una egerent aut duabus, ceterae pro arbitrio sive omitti possent seu mutari. quamquam id ita declinavit Hermannus [elem. d. m. 336 sq.], ut Lucretii hexametro hoc '*an contractis in se partibus obbrutescat*' post syllabam nonam, Horatii tali [ib. 339] '*non quivis videt inmodulata poemata iudex*' post quartum trochaeum haberi statueret incisionem legitimam. ego vero in metro isto, nisi adsit caesura intra tertiam quartamque arsin, nullam omnino agnosco rectam fieri distinctionem negoque interesse ad hanc rem, ceterae versus partes quo sint modo divisae.

Sed non minus falsos credo eos, qui sensus clausulam cum caesura coniunctam seu contiguam esse oportere existimarunt. quorum sententiam aperte etiam amplexus Hermannus in Homerico illo [el. d. m. 33]:

πόντῳ μὲν τὰ πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα

affirmavit non esse distinguendum post πρᾶτα, sed post κορύσσεται, additis quidem, nequis dubitaret, his verbis '*cum potior sit totius orationis quam unius alicuius vocabuli finis, eis in versibus, in quibus utrovis modo incidi potest, non ex vocabuli, sed ex orationis fine aestimatur caesura*'. hoc autem si recte habet, qui factumst, ut displicerent poetis hexametri tales qui solam haberent incisionem bucolicam, haud dubie cum constet, principalis caesura si adsit versui, omitti posse relicuas? igitur ut iam appareat, qualem nos caesurae et ceterarum rerum, quae hoc libro expedientur, animo informaverimus speciem, utque vitentur ambigua vel falsa, certas quasdam finitiones placuit praemitti.

V e r s u s e s t o r d o m e t r i c u s p a r i b u s i n t e r s e s e u d i v e r s i s c o n s t a n s n u m e r i s, s e d s u b c e r t a e u r y t h-

miae et euphoniae lege incohatus, continuatus, terminatus. hinc apparet versuum exempla, licet minime sint infinita, non tamen rato quodam circumscribi posse numero. recte vero statuemus metrum, quo usitatius fuerit apud Graecos Romanosque, eo propius accedere ad summae perfectaeque pulchritudinis normam. iam cum versus unusquisque singularum instar sit picturarum sive statuarum, apparet neque demi posse tali quidquam nec addi, cum proprium sit operis arte confecti, ut certa necessitate coerceatur. porro cum initia rerum et fines aut materiae aut temporis significentur spatiis, in versu evenit utrumque, ut qui nec aliter quam pleno verbo iniri possit aut concludi et qui maiore debeat vocis intervallo segregari a proximis quam ulla eius pars interior. atque id indicatur etiam oculis ea re, quod scripturae interse maiore interstitio versus separantur quam verba. hinc autem excusatur, quod syllabae in exitu metri locatae brevi pro arbitrio tantum adicitur temporis plerumque, ut aequet longam. praeterea intellegitur spatiosi metri fine longius subsisti oportere quam minuti cum proprietate naturae humanae pro differentia negotiorum diversa requirentis otia, tum quod, quo breviores sunt versus, eo saepius et gravius dissidere solent fines numerorum ac sensuum.

Ceterum haud dubie cum constet metrum vel minimum sic debere distingui pronuntiando, plene ut eius rationes possis computare animo, apparet quam calleant artem dicendi, a qua tamen deductum assumpsere nomen, rhetores, quos vocamus, qui plaudentibus pueris et mulierculis et ut quisque imbecillitate iudicii proximus multo minus propter metri fines quam propter sententiarum vocis interstitia adhibent, ut neque circuitus numerorum nec caesurae aut rimi, quos proprie ad rythmos iuvandos adhiberi a neotericis alibi declarabo, agnosci possint ac percipi. immo ea tantum bona erit carminis recitatio, qua ordinum metricorum spatia non

minus dilucide discernantur quam sententiarum. quod ubicumque impeditur mixtis nimia inaequalitate et turbatis interse partibus, non tamen decebit per ludibrium rem dissimulari, quoniam minime elevato incommodo tantum ob id ipsum reprehensionis apud peritos auditores adicitur anagnostae, quantum detrahitur poetae apud non peritos. ceterum videntur veteres diutius metri quam sententiae fine continuisse vocem.

Iam quae modo exposuimus quadamtenus immutari verumst, ubicumque plures versus systematis certa iunguntur synaphia. at illis qui suptilius utetur rationibus, facile iam inveniet, cur et in compositis numeris, ex duobus versibus aut uno et parte alterius qui constant, haec discerni membra oporteat finitis vocabulis et in simplicibus aptissimum sit ita collocare caesuram, de qua statim disseretur, novi ut divisione facta versus prodeant.

Porro intellegitur interesse numerorum, ne singuli pedes nimis saepe singulis efficiantur verbis. quae dirempta interstitio vocis, quod fit inter partes orationis, versum h. e. opus arte confectum in sua resolvunt elementa et primordia, non ut pedes arcano quodam artis vinculo iuncti, sed veluti margaritae seu lapilli in ornanda veste casu positi videantur.

Verum haec cum in maiore versus parte haud dubie optineat ratio, tamen servandus est modus, quoniam, nisi certa statuetur norma, inverti possunt funditus et perturbari numeri principales, minime iam ut constet carmini propria natura et origo. quod incommodum ut vitetur, ultimum certe pedem cum paenultimo proprium retinere numerum par est, quo nitantur velut fundamento cetera, nec minus ideo quod recentissima quaeque maxime inhaerent mentibus.

Praeterea cum in metris longioribus vel mixtis et confusis facile possint oriri versus novi nec non in talibus taedii afferat aliquid vox non subsistens nisi post partem ultimam, voluerunt medio numero adesse distinctionem per finem verbi auribus pariter oculisque percipiendam et elegantiae regula temperandam, quo legitima fieret pausa rythmi. quae *τομή* a Graecis, a Romanis vocatur caesura.

Id quoniam paulo difficilius est ad intellegendum, rem probabo exemplo. igitur ut ab hexametro proficiscamur tali:

ut superent aliae gentes, aliae minuantur,

nisi constet certa incisio, quattuor alia metra unus hic versus exhibebit, primum quidem dimetrum dactylicum hypercatalectum '*ut superent aliae*', deinde tetrametrum hunc '*ut superent aliae gentes*', porro dimetrum anapaesticum '*superent aliae gentes, aliae*' denique paroemiacum '*gentes, aliae minuantur*'. quis in tanta varietate metrorum principalis meminerit? fige incisionem post tertiam arsin, non habebis plus duobus versibus, dimetrum scilicet dactylicum hypercatalectum et versum paroemiacum. ita divisis partibus per caesuram cum concidatur licentia multiplicandi metra, sponte properabimus membra pedum mixta et confusa verbis celeritate pronuntiandi coiugare ad complendos legitimos numeros. sic caesura cum finis denotetur ordinis metrici, iam partium quas discernit, singuli pedes eo artius coniunguntur.

Caesura, ut memoravi, semper finito declaratur verbo. quae tamen lex apud Romanos hac infringitur exceptione, quod interdum in compositis prior pars, si constet vel praepositione vel *in* negativo divulsa a sequente proprii instar habetur vocabuli, ut apud Horatium:

cur ego si nequeo i|gnoroque poeta salutor;

et alibi:

dum flagrantia de|torquet ad oscula.

de qua re libro VI exponetur.

Intellegitur autem eo facilius abesse posse incisionem, quo leviores extiterint ad eam instituendam causae, ideoque in minoribus versibus saepius omitti quam in maioribus. quamquam haec licentia magis pertinet ad Graecos. nam Romani ne in hac quidem parte insitam ingeniis severitatem, qua vel arbitraria instituta pro necessariis sunt amplexi, saepius migravere. tamen versus decem, non plurium, syllabarum legitime carent incisione.

Iam quamquam caesura metro sufficit plerumque una, tamen si longior sit versus, quin duae ponantur nihil officit, velut in asclepiadeo maiore:

nullam, Vare, sacra | vite prius | severis arborem.

Praeterea principalis caesura si durior inciderit propter partium inaequalitatem, potest altera ei accedere subsidiaria, velut in heroico metro penthemimeri bucolica, hephthemimeri trithemimeris.

Apparet vero non referre, caesura qualicumque adhibita utrum idem cum principali an diversus oriatur numerus, nisi quod hic tum erit gratior, cum efficitur eo, ut in medio versu accentus rythmicus et grammaticus possint dissidere.

Sed primum omnium anquirendum illud, an divisione facta canorae evadant partes. quas esse concinnas probasque maxime evincetur eo, si ordines illis effecti et ipsi aequarint versus. itaque melior accidit in dactylico hexametro penthemimeris quam in trimetro iambico, quippe qua in hoc unus, at in illo bini oriantur versus novi. nec minus in heroico numero bucolica incisio potior est trithemimeri, quoniam altera versus adonius, altera choriambicus numerus non per se constans procreatur.

Igitur ut iam breviter complectar modo exposita, caesura admissa — quae quidem ob solas evenit rationes metricas — bini oriuntur ordines numerorum finita orationis parte distincti, quorum prioris in termino diutius retardetur vox quam in relicuis versus sedibus praeter extremam omnibus. et cum alioqui pedum ac verborum confusiones diversitatesque non separandis potius quam coiugandis inserviant versus partibus, una caesura semper ad dirimendos et distinguendos facit numeros. apparet autem ob similitudinem institutorum haud raro convenire incisionis legitimae loco non minus quam fini versus syllabam communem.

Quae cum ita sint, nihil obstat, quin rationes expositae quatenus usu observentur auctorum doceatur.

Igitur versus nulla systematum synaphia iugatos incohari oportere pariter ac finiri integro vocabulo tam probe intellexere Romani, ne semel quidem apud eos ut reperiatur tale, quale habes noto exemplo Simonidis [131 ed. Bergk.]:

ἦ μέγ' Ἀθηναίοισι φόως γένετ', ἡνίκ' Ἀριστο-
γείτων Ἵππαρχον κτεῖνε καὶ Ἁρμόδιος.

quod nequis casu evenisse credat, cavetur eis quae Ovidius

de Tuticani amici nomine inepto dactylicis metris refert [e. e. P. IV, 12, 7]:

> nam pudet in geminos ita nomen findere versus,
> desinat ut prior hoc incipiatque minor.

unde apparet non posse in exitu esse metri voces nisi quae et ipsae per se constent, sicuti accidit in Horatii his [s. I, 9, 51]:

> est locus uni
> cuique suus

et porro [s. I, 2, 62]:

> quid inter
> est in matrona, ancilla peccesne togata.

contra corruptumst illud [s. II, 3, 117]:

> stramentis incubet unde
> octoginta annos natus.

At in systematis, quae synaphiam admittunt, rem lege non vetitam cur vitarent auctores nulla fuit causa. quare nihil habet vitiosi in glyceoneo Catulli hoc [61, 82]:

> flere desine. non tibi, A-
> runculeia, periculumst,

nec magis in sapphico eiusdem tale [11, 11]:

> Gallicum Rhenum horribile aequor ulti-
> mosque Britannos.

quod tribus exemplis repetiit Horatius [c. I, 2, 19; 25, 11; II, 16, 7]:

> labitur ripa Iove non probante u-
> xorius amnis.
> Thracio bacchante magis sub inter-
> lunia vento.
> Grosphe, non gemmis neque purpura ve-
> nale nec auro.

ubi memoria dignum ab utroque in paenultimo tantum systematis versu h. e. ante adonium admissam licentiam istam. nec aliter invenitur eadem usurpata in Sapphus carminum reliquiis. — ceterum ab his paullo diversa hypermetrorum versuum ratio, de quibus proximo volumine exponetur. — sed enim insequentium temporum auctores refugerunt ista, ut praeter paucissima e Senecae canticis liberiore metro compositis non in ullo systemate, vel ubi maxime liceret, similia admitterentur exempla.

Et in asynartetis, seu binis ei constant versibus sive singulis cum parte alterius, distinctio diligentissime servatur praeterquam a Prudentio in illo [peri st. 12; 13] '*solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni*' et a Septimio ac Terentiano in tali [v. 1893 sqq.] '*Iane pater, Iane tuens, dive biceps, biformis*', ut puta [p. st. 12, 19; 43]:

noverat ex humili cae*lum citi*us solere adiri.
pastor oves alit ipse il*lic geli*di rigore fontis.

item [ap. Ter. 1900]:

tibi vetus ara caluit *Abo*rigineo sacello.

Iam cetera uti expediam, hexametri dactylici ut simplicissima, ita pulcherrima longe caesurast, qua post quintum semipedem finitur verbum. haec a Graecis penthemimeres, a Romanis semiquinaria vocatur:

bella per Emathios | plus quam civilia campos.

ea quoniam quantum pote fieri maxime aequabiliter dividitur versus — nam prior pars quanto minor posteriore, tanto ob elationem vocis validior —, nulla praeterea opus est incisione. neque intellego, quanam ductus ratione potuerit Hermannus statuere [de aet. Orphei p. 690] caesuram istam, nisi aliae accedant, duram fieri atque asperam, praesertim si pluribus in sedibus hexametri similis sit incisio. certe haec sententia Graecorum et magis Latinorum exemplo refellitur. sed decorem ut probemus, geminata parte praecedente — a qua excludi melius spondeum l. II declaravi — oritur versus elegiacus, qui in corolla quasi metrorum Graecorum ex meris gemmis constante secundum post hexametrum locum optinuit:

bella per Emathios | bella per Emathios.

quae post caesuram relinquuntur, paroemiacum aequant metrum, quod et ipsum sua nitet elegantia:

plus quam civilia campos.

itaque distinctio semiquinaria, ut apud veteres epicos Graecorum non ita multo minus usurpater quam caesura post trochaeum tertium, cui sane ab illis semper est posthabita, ita Latinorum in libris quovis tempore fuit frequentissima. praeterea propter insignem nobilitatem carmina maiora solent plerumque incohari ea. congruens autem eius est dignitati,

quod permagna Graecorum in versibus, maiore certe quam relicuae cunctae apud Romanos viguit libertate, bis terve ut per errorem vel absente ea quintus in hexametro semipes exceptionibus patuerit, quasi ipsius natura, non caesurae vi traxisset licentiam.

Altera, non minus antiqua usu, fuit caesura hephthemimeres sive semiseptenaria, post septimum posita illa semipedem. quae cum apud Graecos haud multum viguerit, apud Latinos proxima fuit dignitate semiquinariae atque adeo praeter hanc sola legitima:

temperat, alter et alterius | vires necat aer.

ea quae oritur pars prior, et ipsast ἔνρυθμος. nam tetrametrum dactylicum catalecticum aequat:

temperat, alter et alterius.

quae secuntur, non perinde sunt bella.

Praeterea cum divisio talis satis impares partes reddat versus, mature institutumst, ut post tertium etiam vox finiretur semipedem. sed caesura haec numquam stat per sese. subsidiariae loco ponitur. eam trithemimerem Graece, Latine semiternariam dixeris.

despiciens | mare velivolum | terrasque iacentes.
infandum | regina iubes | renovare dolorem.

apud Graecos auctores artis non memoratur, neque inter Romanos excepto Ausonio eius quisquam fecit mentionem. et hic quidem, ubi centonum conflandorum rationem aperit [pg. 140 ed. Sch.], post legitimas distinctiones memoratas tres ita pergit: *aut post dactylum atque semipedem quidquid restat hexametro.* ubi post illud *aut* intercepta quaedam adnotavit Birtius. quae ita fere refingenda: *aut tres semipedes et post dactylum* praecedentia declarant.

Apud Graecos poetas cum hephthemimeres exiguo ferretur honore, apparet trithemimeri potissimum fuisse locum sequente caesura tertia trochaica. ac tamen tum non multo magis ei erat opus, quam si semiquinaria poneretur. ceterum commendabatur eius usus, si non necessitate dividendi ordinem longiorem metricum, certe commoditate anapaestici pedis praecedentis paeonem tertium. itaque eadem fere fuit frequentia, qua bucolica,

Sed ut redeam ad Romanos, facile perspicietur hanc hephthemimeris formam, quam modo descripsi, ideo ducendam optimam, quod ita effecti ordines metrici tres aequabili augentur incremento. nam choriambum sequitur anapaestus duplex, hunc semipes cum adonio.

Attamen abesse potest trithemimeris, quando in tertia arsi orationis pars erit finita, in quarta etiam sensus terminatus. tum enim nisi elisionis obstiterint tricae, solet poni hephthemimeris, ut in hoc:

oscula libavit | natae. | dehinc talia fatur.

quamquam vel sic saepe additur trithemimeris, ut:

arcebat | longe Latio, | multosque per annos.

At neque post secundam arsin nec post tertiam ubi conclusum erit verbum, non iam placebit semiseptenaria, minus ut arrideant talia:

Lentulus *exertique manus* vesana Cethegi.
horren*dumque Dryanta* movet, cui sanguinis auctor.
haec dum *Dardanio Aeneae* miranda videntur.
delec*tique sacerdotes* in publica vota.

has autem parum recte habere formas Vergilii, suptilissimi metrorum artificis, plurimis confirmatur exemplis, qui illis plerumque utitur in oratione aut graviter concitata aut ad finem properante sive ubi asperitatem cruditatemque rerum versus congrua imagine quasi depingit. qualia habes in his [aen. V, 481; I, 85; georg. I, 319]:

sternitur exanimisque tremens procumbit humi bos.
una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis
Africus.
quae gravidam late segetem ab radicibus imis
sublimem expulsam eruerent

[cf. aen. I, 259; IV, 582; X, 711; XI, 900 al.; aen. II, 452; 579 al.; georg. IV, 301; aen. I, 251; 594; II, 84; III, 61; X, 877; XII, 721 al.].

Alia fit caesura in tertio trochaeo, cuius exemplumst tale:

spargens humida mella soporiferumque papaver.

haec apud Graecos cum iam prioribus saeculis crebro admodum optinuisset usu, mox Nonno eiusque asseclis ita placuit, ut non sine magno versus incommodo semiquinariae honore arrepto principalem locum optineret. at Latini in

contrarium peccare maluerunt. nam Horatium Lucretiumque si omiseris, e quibus hic ab arte nondum adulta habet veniam, ille satirico iure et molliculis communique sermoni accommodatis excusatur numeris, quo quis fuit praestantior poetarum, eo curatius abstinuerunt ab incisione ista, partim perexiguum, partim nullum ut habeat apud eos locum.

Quod quo plenius appareat, iam illud demonstrabo, in versu tali:

infandum re*gina iubes* renovare dolorem,

sive hunc mavis:

omnia fanda ne*fanda malo* permixta furore,

solum post quartam arsin, haud sane post trochaeum tertium adesse caesuram. in quibus vulgo statuunt principalem incisionem tertio trochaeo repositam, ut minus validam, adiuvari hephthemimeri sive sola sive addita trithemimeri. quod non nego mihi omni tempore visum esse perversum.

Etenim cum apud Latinos ad fulciendam divisionem semiquinariam neque trithemimeris adhibeatur nec bucolica distinctio, scilicet quod illa aequabiles nec incongruae effici eis sunt visae versus partes, qui poterit credi trochaica caesura, qua proportio membrorum penthemimeri distinctorum una mora mutatur, tantam fieri partium inaequalitatem, ut iam binis aliis placeat succurri incisionibus? immo vero cum prima usquequaque lex sit caesurae, ut, interse quae segregentur, ne nimis fiant incongrua spatio, iam si statueris versu isto:

infandum regina iubes renovare dolorem

post secundam etiam quartamque distingui arsin, norma ista, quae mediocriter servatur priore hemistichio — quamquam oportuit partem principalem *infandum,* quae choriambum aequat, minorem esse insequente *regina,* quae paeonem explet tertium —, foede violatur posteriore. quis enim credet pedem iambicum *iubes* apte respondere insequenti cum thesi quarta metro adonio *renovare dolorem.* aut hoc parum concinnum aut nihil. quod cum ita sit — pertinet autem ad Graecos non minus quam ad Latinos —, recte dicemus, si insit in versu isto '*infandum regina iubes renovare dolorem*' caesura trochaica, eam tam firmam esse existimasse veteres, non ut ullo proprio egeret adminiculo.

Quippe etiam a vero erit alienum, siquis contrariam amplexus supra propositae sententiam dixerit in metro memorato principalem quidem caesuram evenire post arsin quartam, huic vero accedere ad augendam elegantiam trithemimerim pariter cum tertia trochaica, ut huic tribuatur idem momenti, quod habet trithemimeris. quis enim, amabo, sibi persuadebit binos illos anapaestos, qui sunt inter *infandum* et *renovare,* etiam egere distinctione? sed ut mittam hoc, incisionem, si adesset quartae arsi, ne potuisse quidem etiam fieri post trochaeum tertium ea re apparet, quod ad reddendum semiseptenariae rythmum anapaesticum facere divisos pedem tertium et quarti semipedem priorem trochaico verbo et iambico infra comprobabo. unde sponte sequitur choreum tertia sede collocatum, si post sequentem arsin etiam sit incisum, facere ad coiugandos, non ad distinendos numeros. quod tamen non potest evenire, si in trochaeo tertio et ipso subsistit caesura, post quam necessario inhibendast vox.

Quare haec equidem sunt vana, apparetque in versu hoc:

infandum regina iubes renovare dolorem

aut post *regina* aut post *iubes* esse caesuram legitimam.

Iam ubi raritatem summam versuum, qui post trochaeum tertium sunt incisi non finito post semipedem septimum verbo, velut ille:

spargens humida mella soporiferumque papaver,

compararis cum frequentia distinctionis semiseptenariae huius:

oscula libavit natae, | dehinc talia fatur

sive talis:

despiciens mare velivolum | terrasque iacentes,

vix poterit esse dubium, ubi locus est utrique distinctioni, utra sit usurpanda.

Sed primum rem exemplis, quantum opus est, adseremus.

Itaque Lucretius versus hephthemimeri cum trithemimeri constantes sive sola hephthemimeri, neque post arsin alteram tertiamve neque post trochaeum tertium verbo finito, in I libro et II habet CXXX, at trochaeo tertio divisos XLIII. ac tamen hunc aliquanto frequentiorem plerisque caesura adhibenda muliebri supra memoravi. at Vergilius cum in I et II Aeneidos habeat semiseptenarias certas nec dubias

LXXVII, in omnibus Bucolicon, Georgicon, Aeneidos libris versus muliebri caesura praeditos ponit minus LX. nam eundem difficilest ad credendum continuasse in Bucolicis [6, 80] incisionem eandem versibus his:

quo cursu deserta petiverit et quibus ante
infelix sua tecta supervolitaverit alis.

neque enim quod Ciceronis aut Lucretii et Horatii paucissimis evenit exemplis, decebit illum, cum neque ipse alibi neque insequentium quisquam classicorum usquam tale admiserit. quare melius illud *supervolitaverit* distinctis efferemus vocibus. — at Statius primo Thebaidos volumine habet totidem versus semiseptenaria caesura distinctos, quot totis scriptis eius extant cum tertia trochaica. Iuvenalis saturis VI et XIV habet illam caesuram quadragiens bis, at alteram omnino undecies. praeterea Valerius Flaccus libris primo et octavo virili utitur distinctione quadragiens noviens, muliebri per totum opus semel ita [III, 191]:

frater Hagen Thapsumque securigerumque Nealcen.

porro Lucanus caesuram hanc cum numquam habeat, illa certe utitur triciens sexiens. mox Prudentius trochaicam divisionem habet senis locis, verum alteram senis ac septuagenis.

Iam apud hos et tales auctores quin versu illo, unde orsi sumus, '*infandum regina iubes renovare dolorem*' praeter trithemimerim sola insit hephthemimeris, paucis credo fore dubium. etenim si fuit incisio post trochaeum tertium isto, unde sumus profecti, metro, cur versus illi, qui habent caesuram eandem non finita in quarta arsi parte orationis, tam rari evenere apud eosdem? porro unde lectori appareret incisione trochaica potius, alioqui paene inusitata, quam ea, quae passim plurimis adhiberetur exemplis, versum oportere distingui? quare mihi illud solum possit obici, quod poetas haud paucos et cetera praestantissimos infra sim demonstraturus raro uti semiseptenaria aliter quam ut pariter aut post tertiam arsin aut post secundam arsin simul et tertium trochaeum incidatur, quorum legitima metra sint haec:

oscula libavit natae. dehinc talia fatur.
infandum regina iubes renovare dolorem;

at eximia talia:

> Aeneas Anchisiades et fidus Achates.
> navibus infandum amissis unius ob iram,

non ut minus haec plerumque arceantur a carmine quam illud '*spargens humida mella soporiferumque papaver*'.

Atqui horum cum maxime commonstratur auctoritate neque ipsos neque ceteros cogitasse de caesura muliebri eius, in quo vertitur disputatio, versus. etenim quo quisque perfectior arte Romanorum, eo magis cavent, ne tali numero '*infandum regina iubes renovare dolorem*' post tertium trochaeum potius quam post quartam arsin sensus fiat interstitium. at hercule apud Graecos plane optinet contrarium.

Itaque cum severissimi longe in arte sint Ovidius Lucanusque et Claudianus, Ovidius in primo metamorphoseon et porro artis amatoriae interpunxit post trochaeum tertium exemplis his [I, 260; I, 481; 631]:

> poena placet diversa, genus mortale sub undis
> perdere.
> quae voluit legisse, volet rescribere lectis.
> nec timide promitte. trahunt promissa puellas.

ex his primumst mollissimum, secundum ac tertium habent excusationem et a nexu mutuo sensuum et a repetitione identidem admissa verbi eiusdem. porro Lucanus ultimo volumine et Claudianus carminibus de consulatu Olybrii et Probini et de Manlii Theodori [1; 17] numquam habent incisam sententiam trochaeo tertio, at hercule saepissime omnes post quartam arsin. praeterea dignumst memoria, si quando post tertium trochaeum interstitium fiat enuntiati, alterum ferme adesse semipedi septimo. ita Ovidius in quarto metamorphoseon cum bis intercidisset sensum trochaeo tertio, talibus id fecit versibus [226 sqq.; 470]:

> ille ego sum —
> mundi oculus. mihi, crede, places. pavet illa, metuque.
> quidque velit. quod vellet, erat, ne regia Cadmi
> staret.

ceterum illud dignum mentione, verba sentiendi et declarandi cum enuntiato ab eis pendente, in quo insint media, ita coalescere, ut prorsus unum efficere videantur sensum. unde neque in tertio trochaeo incisast oratio versuum velut talium [met. IV, 31; VI, 655]:

'placatus mitisque' rogant Ismenides 'adsis'.
'intus habes quem poscis' ait. circumspicit ille,

neque post quartum pedem in his [met. II, 33]:

'quae'que 'viae tibi causa? quid hac' ait 'arce petisti'.

hinc etiam fit, ut enclitica vox ad verbum finitum pertinens orationi inde pendenti addatur, quod et proxime posito habes versu nec minus his [am. I, 1, 24; met. I, 753]:

'quod'que 'canas, vates, accipe' dixit 'opus'.
non tulit Inachides 'matri'que ait 'omnia demens
credis'.

At possit obici illud, eis certe videri versibus ponendam caesuram muliebrem, qui trochaeo solum tertio, non perinde insequente arsi finitam habeant sententiam, veluti:

litora deseruere. latet sub classibus aequor.

sed ne hoc quidem ullam habet speciem probabilitatis. primum enim apud veteres metri rationes ubique potiores habentur quam sensus. neque vero de nihilo ortus est Romanis tantus amor caesurae hephthemimeris, sed ut arcano artis propriae modulo atque adeo indolis ipsorum totius usquequaque respondens gravitati. iam vero constat vel mediocribus a poetis exiguum versuum, qualis est ille '*litora deseruere*', admitti numerum nec fere aliter quam legitima venia, hoc est repetitis vocabulis et oratione graviter commota aut iniectis nominibus propriis. sed quid multa? nempe produxit Horatius arsin quartam in his, quae nullum post illam, at grave post trochaeum praecedentem habent interstitium enuntiati [sat. II, 3, 259]:

amator
exclusus qui distat? agit ubi secum, eat an non.

quod cum non potuerit evenire nisi iure finiti ordinis metrici, sponte apparet, quo sit loco reponenda metri illius legitima incisio.

Itaque iam exulabit incisio trochaica a versibus hisce '*infandum regina iubes renovare dolorem*'; '*labitur exanimisque tremens procumbit humi bos*'. qui cur post priorem thesis tertiae partem finitum habeant verbum, infra exponetur.

Iam cum rem ratione confecerimus, consideremus age grammaticorum Latinorum testimonia, quae adeo nobis non sunt adversa, ut potius confirment opinionem nostram et

muniant, quamquam stupore et imperitia auctorum vetustiorum praecepta utique plana et certa ab illis sunt obscurata.

Ac primum quidem Terentianus Maurus postquam legitimas esse asseruit versus heroici incisiones eas, quibus post tertiam aut quartam arsin terminetur pars orationis, ita tradit de caesura trochaica [1685]:

> horum si nihil est, specta, ne forte trochaeus
> sit tertius finemque det vocabulo.
> 'infandum regina'. datur locus ecce trochaeo,
> quem post duos pedes videmus tertium.

hunc secutus Marius Victorinus habet haec de semiquinaria et semiseptenaria [gr. lat. VI, 65]: '*erunt igitur hae duae tomae principales — quibus similiter et iambici versus trimetri dividuntur. sed his duae aliae succedunt. nam si neutram harum inveneris, tertium trochaeum in versu conquires, id est penthemimeren disyllabo clausam, ut est 'infandum regina'. nam percussis duobus pedibus tertius pes trochaeus est 'gina'. cui coniuncta brevis 'iu' secundum legem versus hexametri dactylum complet, 'bes' autem syllaba et sensum superioris coli integrat, ut fiat hephthemimeres, et sequentis pedis initium inducit*'. contra Diomedes [496 sq.] refert eodem Vergilii versu binas inesse caesuras, post trochaeum tertium et quartam arsin. et de coniunctis quidem caesuris quanta cum peritia iudicaverint isti, vel inde cuivis apparebit, quod dicunt [ibid.] Marius et Diomedes versibus his:

> arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris.
> talibus Ilioneus. cuncti simul ore fremebant

tris inesse caesuras, semiquinariam ac semiseptenariam cum bucolica. scilicet homines doctissimi terminos ordinis metrici cum finibus verborum confudere. quamquam his vel ineptior Priscianus, qui memorat [1217] raro posse versum habere penthemimerem, si habeat tertiam trochaicam. pessime autem omnium Atilius Fortunatianus asserit [2691] optimum haberi hexametrum, cuius caesura habeat penthemimerem parte orationis finita ut '*arma virumque cano*' aut duos pedes et trochaeum similiter distinctum pleno verbo ut '*infandum regina*'. sed nos simplici ratione usi et profecti a testimoniis Terentiani et Victorini, qui disertis verbis

affirmant tum demum quaerendum de caesura trochaica, si neque post tertiam nec post quartam arsin sit incisum, quaeremus potius, qui sit factum illud, ut et exemplo uterentur tam importuno pariter illi omnes et peiore quidam laberentur errore. scilicet id evenit causa mira ac paene ridicula. nam Latini metrici, quorum ad nos pervenere libri, secuti communem fontem solent, puerorum ut commoditati consulatur, exempla ex primis potissimum carminum versibus sumere. igitur cum casu quodam evenisset, ut in principio libri II Aeneidos primus versus penthemimeris, alter hephthemimeris praeberet exemplum:

continuere omnes intentique ora tenebant.
inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto,

nullum autem nisi v. 483 in libro, qui bellico repletus est spiritu, extaret exemplum tertiae trochaicae (nam loco, qui proximus sequitur principium [v. 8 sq.], '*et iam nox humida caelo praecipitat suadentque cadentia sidera somnos*', ea, quae sunt post *praecipitat: s. c. s. s.*, delenda, ut ex IV, 81 male illata, persuasit nobis I. Scheborus), iam arripuere illi versum tertium libri, quem dixi, ad demonstrandam *τομὴν κατὰ τρίτον τροχαῖον*, sicut idem inter exempla metrica et huius et aliorum librorum initiis alibi saepe sunt usi. neque culpandi ei, qui diserte addiderunt non quaerendum de caesura trochaica, nisi ubi non esset legitime post arsin tertiam vel quartam instituta, sed insequentes, qui apertam veritatem incuria et inertia depravarunt. etiam clarius testimonium habes in apospasmatiis auctorum rei metricae ab Heusingero primum editis. namque ibi postquam sunt enumeratae incisiones versus heroici penthemimeres, hephthemimeres, trochaica tertia, bucolica, subiciuntur talia [gr. lat. VI, 645] '*ex his quattuor caesuris duae primae ad legem scandendorum versuum sunt dicatae, ceterae vero duae posterorum technicorum iudicio sunt omissae*'. quid apertius his et simplicius? quamquam illud *posterorum* non recte habere facile apparet. et minus quidem videtur probabile scribendum esse '*poetarum et technicorum*' quam '*nostrorum technicorum*'. nam pertinere regulam istam ad solos Latinos vix est quod dicam. porro apospasmatia ista et alibi probae antiquaeque eruditionis exempla continent.

Ceterum rationes ac modulos incisionis vere trochaicae, quae quidem apud Romanos longe rarius evenit quam hephthemimeris apud Graecos, siquis plene cognoscere volet, legat Vergilii libros, qui non aliam rei metricae partem suptiliore cura administravit. namque utitur illa numquam nisi certis condicionibus aut additis vocabulis propriis sive technicis seu polysyllabis aut repetitis oratorio affectu verbis sive cumulatis aut ad describenda gravia indignaque vel lenta et quieta aut aliter per paronomasian. praeterea notabilest ad sedandos affectus orationis gravissime concitatae aut sublime elatae finem aliquando fieri incisione muliebri veluti exitu libri primi georgicorum aut ultima oratione Iunonis, quae legitur aeneidos l. X initio [v. 95]. sane simile praeierat Catullus ita [64, 204]:

adnuit invicto caelestum numine rector,
quo motu tellus atque horrida contremuerunt
aequora concussitque micantia sidera mundus.

Atque haec vel talia cum in editione priore disseruissemus, plurimorum sunt probata adsensu. eaque vel nunc habemus pro certis, ac ne abdicemus ne Guilelmi quidem Meieri, cui plurimum tribuimus, adducti sumus sententia diversa, ac multo minus aliorum.

Nam cum ille in libro doctrinae bonae plenissimo, quem de hexametro Graeco et Latino scriptum Monachii a. MDCCCLXXXV edidit, in metro tali:

infandum regina iubes renovare dolorem

triplicem rursus statueret esse caesuram [pg. 1065], ideo maxime a placitis nostris digressus, quod putaret Romanos sicuti Graecos in tertio potissimum pede consistere voluisse incisionem, ego vero hanc gravissimam differentiam inter Latinum hexametrum et Graecum interesse et olim statui et nunc teneo, quod Romani, ne in hac quidem parte obliti libertatis, quam plurimum declararunt in traducendis Graecorum metris, proximam post penthemimerem dignitatem tribuerunt hephthemimeri. quod quibus permoti causis fecisse viderentur, suprast expositum. — illud enim omitto, quod nonnulli ad commendandam opinionem contrariam Varronis [Gell. XVIII, 15] usi sunt testimonio, qui post tot lectos poetarum Graecorum ac Latinorum libros cum socordia

plusquam humana dicit observasse se, quod in versu hexametro omnino quintus semipes finiret versum (ac sane in Saturarum reliquiis nulli comparent aliter clausi, quod tamen casu existimo evenisse). neque quod adfert Meierus [pg. 1061] ad numerum hephthemimeris exemplorum minuendum in versibus talibus:

iussa tamen divum exsequitur classemque revisit.
tum vero Teucri incumbunt et litore celsas,

quales et apud Vergilium frequentissime inveniuntur et haud sane raro apud alios plurimos, penthemimerem haberi per tmesin et adiuta elidendo caesura, ullo pacto verum existimo. plura de hac re dicentur libro IV.

Neque vero fugit Meierum [pg. 1065] triplici statuta caesura et anapaestos secundum et tertium nimis saepe ac minute distingui et quae sequantur arsin quartam nimio esse ambitu, si comparentur cum illis. nam in ultimis duobus pedibus cum dimidiato etiam aliquando observari incisionem certam, velut post trochaeum quintum, quod putat [l. c.], ut olim, ita nunc pernego.

Ceterum haec quo longioribus persecuti sumus ambagibus, eo simplicius statui licet de ceteris, quae feruntur, versus heroici incisionibus, hoc est bucolica vel quarta trochaica. earum origines et incrementa paucis expediam.

Igitur cum apud Graecos tantum non semper in tertio pede legitima adesset incisio — nam Bekkerus in Iliade istam normam centiens octogiens quinquiens, in Odyssea septuagiens semel migrari adnotavit —, haud ineptum visumst etiam insequenti pedi aliquam adesse divisionem. itaque ut raro post quartum trochaeum, ita saepe post dactylum quartum, non frequenter spondeo mutatum, admiserunt distinctionem, qua dirempta metra et ipsa fiunt ἔνρυθμα. nam ita tetrameter dactylicus et versus adonius oriuntur. haec venustas ne periret, timuere exaggerando caesuram istam post quartum interpungere pedem, si quintus constaret spondeo, quem adonium metrum non recipit. iam bucolica sectio quanto opere valuerit Homeri libris, comprobavit Bekkerus et recensione carminum nec minus commentatione de versu Homerico scripta [p. 265 sq.]. magis etiam placuit illa pastoralium carminum auctoribus, quamquam vani fuerunt

qui assererent Theocriti operibus ter quaterve non saepius eam esse laesam [Mar. Vict. 2563]. eadem haud ingrata Nonno et aetati ultimae.

At de trochaeo quarto hisce verbis disseruit Hermannus [de aet. Orph. 692] '*in magna illa caesurarum varietate, quam habet versus heroicus, una praecipue incisio est, quae, quia vim et robur numerorum debilitat, a melioribus poetis improbatast. eam dico quae habet trochaeum in pede quarto:*

Πηλεὺς θήν μοι ἔπειτα γυναῖκα γαμέσσεται αὐτός.

hanc igitur non nisi rarissime admiserunt'. ex his quae ultimo loco leguntur, ut ab experientia ducta, fidissima magistra veri, habent rectissime. sed quod dicit idem Hermannus incisione ista minui robur metri, ex parte tantum verum esse existimo. namque illud quidem haud dubiumst, reposito in tertia sede verbo trochaico non magis recte habere trochaeum insequente loco quam praecedente, perinde fere vitiosum ut sit tale:

et platanus genialis acerque coloribus inpar,

atque hoc est:

una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis.

quare haec ut Graeci, ita Latinorum plerique sat constanti vitarunt consensu. contra aliter longe habere rem, si insit versui semiquinaria virilis, eorundem Latinorum declaratur exemplo. ex quibus cum ne perfectissimi quidem vitarint talia:

Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curae,

nos audebimus ea incusare quae Ovidio ac Vergilio non displicuere? quid quod idem nec illud anxie declinarunt, ne talibus numeris aut in altera sede aut in quinta etiam haberetur verbum trochaicum?

Placet iam causam Graecorum fastidii curatius anquiri, cum praesertim recte illustrata facere videatur ad suptilitatem veteris elegantiae probe declarandam. nimirum vetustissimi conditores artis cum non alienam a carminis heroici maiestate duxissent incisionem tertiam trochaicam, tamen acriter cavendum intellexere, ne adaucta trochaei licentia effeminarentur numeri. iam cum idem metricas rationes non scholasticis praeceptis notatas, sed vivido pulchri sensu

conformatas haberent traderentque, verendum fuit, cum qualibet pedis tertii incisione admissus saepius sede proxima trochaeus ne mox latius vagaretur. sed enim a secundo pede excludere eum non potuere propter certas finiti ordinis observantias, quas posthac memorabo, potuere a quarto. ita probe iam fuit cautum, ne semel admissa licentia noxam traheret. hanc normam antiquitus receptam Homerici carminis auctoritate mox magis magisque optinente in tertio pede caesura muliebri quod diligenter servarunt posteriores, minime erit mirum.

At Romani, quibus incisio tertii pedis trochaica sine hephthemimeri paene nulla esset, cur trochaeum a quarto pede excluderent plane non fuit. ceterum similes veterum poetarum cautiones non praesentis tantum temporis, etiam futuri prospicientium incommodis licet animadverti et alibi.

Pudet longius aberrasse a via. quid enim ad nos Graeci? nulla vero umquam fuit apud Romanos post quartum vel dactylum vel trochaeum incisio, quae aut per se stare posset aut idem certe dignitatis optineret quod hephthemimeri iuncta trithemimeres.

At verbum finire locis istis cur metuerent nulla fuit causa.

Quare videndum an nimii fuerint, imitatone ducti, puto, Alexandrinorum Catullus in epyllio et Lygdamus in elegiis, qui abstinuerunt in quarta thesi terminare orationis partem. adeoque Catullum ne in ceteris quidem carminibus admisisse idem nisi quater [68, 49; 76, 1; 84, 5; 101, 1] neque eandem distinctionem inveniri certo exemplo in Cinnae, Calvi, Bibaculi, Varronis utriusque, Quinti et Marci Ciceronum carminum reliquiis praeter unum versum Marci, Arateorum 327 (poterat addi qui legitur d. n. d. II, 104) nec nisi bis in Priapeis [3, 5; 68, 31] ac similia quaedam notat Th. Birtius disputatione curiose scripta de hexametro Latino [pg. 25].

Hanc igitur subtilitatis curam nimiae merito sprevere poetae optimi. notandum tamen non quaesitum potius ab his quam vitatum post trochaeum quartum dactylumve, de quo statim dicetur, verbi finem, ubicumque aliter disponendi numeros pariter adesset facultas.

Iam de dactylo quarto ut agatur, illud gravissimum, nullam fuisse causam, cur post penthemimerin admitteretur verbum quarto pede finitum, cum priorem partem hexametri et initio numeri et caesura virili firmatam vix aequaret altera, quamquam uno pede maior. — praeterea illud dignissimum memoria, quo demonstretur bucolicam incisionem abdicatam a Romanis, quod interstitio sensus, quod addi caesurae ipsa fert natura et quod finito certe pedi quarto optime iugatur, quo quis magis fuit in arte perfectus, curiosius abstinuere. magis etiam aliquanto id cavere, si quartus pes spondeus esset, non dactylus. unde commode locum habet in oratione graviore, ut apud Horatium: '*carmine di superi placantur, carmine Manes*'. rem ilico probabo exemplis. igitur Ovidius in volumine tertio metamorphoseon deciens interpunxit post quartum dactylum [149; 187; 210; 266; 349; 359; 532; 551; 562; 642], et Statius libro Thebaidos primo septiens [3; 41; 94; 107; 127; 142; 579], tum Valerius Flaccus durior versificator libro aeque primo ferme octiens deciens. at Martialis in Xeniis et Apophoretis, quorum sunt hexametri CCCLVI, quater incidit post quartum dactylum [XIII, 76, 1; XIV, 129, 1; 163, 1; 212, 1]. sic Symphosius in aenigmatis bis, non saepius, distinxit illo loco sententiam et quidem his versibus [42, 3; 64, 3] '*in terris nascor, lympha lavor, unguor olivo*'; '*meque tenet numen, ventus timet, aequor adorat*'. quae vides propria firmari excusatione. at male habet quod Heumannus dedit similiter interpunctum versum aenigmatis de pluvio ultimum [9, 3]. sed maxime quaerendum illud, bucolica incisione an sint delectati Latinorum ei, pastoralia qui carmina composuerunt. quod si secus evenit, quis iam credet, illam apud relicuos optinuisse? igitur Calpurnius eclogis prima et secunda, quorum sunt versus CXCIV, habet interpunctionem post quartam sedem duodeciens, Nemesianus opusculis illis [1; 2] '*dum fiscella tibi fluviali, Tityre, iunco*'; '*formosam Donacen Idas puer et puer Alcon*' — complent metra CLXXVII — ter, non saepius. ab his paullo diversus Vergilius, quippe qui in decem eclogis, quae habent numeros circa DCCCXXX, quinquagiens quinquiens post quartum dactylum inciderit entententiam. contra idem in Aeneidos primo ac nono et

versibus plus MDLXX non amplius viciens quater. vides quam raro usus sit incisione ea in graviore carmine, qua in re convenit ei cum Lucretio. at alienam normam Theocriti aemulatione secutum non moror, modo ne hunc magis quam ceteros credamus caesuram rythmicam collocasse post quartum dactylum. nam et modicus numerus est exemplorum istorum, si ea cum Theocrito compararis, et disertis id vetustorum grammaticorum testimoniis refellitur. ceterum ubicumque illi, quos enumeravi, seu ceteri quartum pedem ab insequentibus distinxere, et illud plerumque curaverunt, ne gravius fieret sententiae interstitium, et amarunt separare arsin a thesi, scilicet ita primam legem finiti caesura metrica ordinis declinantes. praeterea plurima excusantur necessitatibus, quas secundi libri initio exposui.

At aliter etiam longe res habet in quarto trochaeo. nam in hoc cum satis inepte sensus fiat clausula vel mediocris et propter caesuram proxime praecedentem et quia sic pedis quarti pars ultima ad finem ordinis ab ipso alieni diducitur, vel minore distinguere eum interpunctione sedulo caverunt. hinc factum quod Lucanus et Claudianus cum Homero Latino ne semel quidem isto, de quo agitur, loco sensus quantumvis exiguo interstitio numeros retardarunt. ceteri, ut quis perfectior arte, eo idem tenuere accuratius.

Restat ut grammaticorum veterum testimonia afferam. e quibus cum alii trochaicam quartam incisionem memorent, [Terent. 1695 sqq.], alii silentio praetereant [gr. l. VI, 645; Auson. praef. c. nupt. pg. 140 Sch.; cf. Diom. p. 497], quantum ad bucolicam gravissimus quisque metricorum meae adstipulatur sententiae. veluti Terentianus habet haec [2123 sqq.]:

> pastorale volet cum quis componere carmen,
> tetrametrum absolvat, cui portio demitur ima,
> quae solido a verbo poterit conectere versum,
> bucolicon siquidem talem voluere vocari.
> plurimus hoc pollet Siculae telluris alumnus —
> noster rarus eo pastor Maro, sed tamen inquit
> 'dic mihi, Damoeta, cuium pecus? an Meliboei?'

his simillima tradit Victorinus [gr. lat. VI, 114]. sed meliora Atilius [2696], cuius sunt haec: *herous, si quarto pede partem orationis finiat, bucolicum facit ut 'ab Iove principium Musae. Iovis omnia plena'. Theocritus hanc metri legem*

custodivit, Vergilius contempsit'. valeant igitur iam caesurae bucolica et quarta trochaica, quibus nullus in versu Latino locus.

Iam priusquam doceam quaenam fuerint diversorum auctorum diversa in caesuris versus heroici temperandis placita, enumerabo, qui sustinuerint aliquando omnino incisionem neglegere. ac primum quidem Ennius haud dubie habet versus caesura egentes, sed neque multos neque, ut opinor, expertes consilio quodam et ratione. quod ut demonstrem omnes enumerabo. sunt autem hi [ann. 36; 244; 598; sat. 14]:

corde capessere. semita nulla pedem stabilibat.
poste recumbite vestraque pectora pellite tonsis.
cui par imber et ignis, spiritus et gravi' terra.
sparsis hastis longis campus splendet et horret.

quibus accedit, modo sit Ennii, quod quidem non caret probabilitate, talis [ann. 500]:

miscent foede flumina candida sanguine salso.

in his omnibus videtur mihi quasi consulto neglecta incisio. nam primum exemplum cum secundo apte congruit orationi concitatae, quartum tardatae et claudicanti, quintum rei foeditati; tertium aequalitate sensuum quandam habet excusationem. notandi etiam in alia parte eorum dactyli, in alia spondei cumulati. sane idem alibi Ennius, facetiis propriis ut indulgeret, minus curavit elegantiam carminis vel dignitatem, ut in illo '*at tuba terribili sonitu taratantara dixit*' et in fragmento sotadico quod sic incipit '*nam qui lepide postulat alterum frustrari*'. iam Lucilium quod dixit Lachmannus non videri credibile ullum sine caesura fecisse versum [prohoem. lect. Berol. aest. 1851 p. 3], mihi quidem non persuasit. verendum quippe ne hac licentia ablata prorsus videatur iniuste de Lucilii versibus iudicasse Flaccus [sat. I, 4, 8–10]. nam elisionum multitudinem et asperitatem non potuit incusare qui admisit ipse, neque productionum et hiatuum ac synizesis audacia nimius Lucilius. quin potius ob ipsum caesurae defectum vituperatum eum ab Horatio satis probabiliter statuit Santenius [ad Terentian. p. 229]. mitto versum, qui a Nonio citatur s. v. colustra [84, 8], gravissime quippe corruptum, item nondum expeditum

eum, quem adfert auctor ad Herennium IV, 12 [I, 3]. sed illum [XXIX, 79] '*nec ventorum flamina flando suda secundent*' apparet non nisi traiectione satis incommoda legitimam posse accipere incisionem sic '*flamina nec flando ventorum secundent*' sive hoc placebit '*flamina ventorum nec flando suda secundent*'. omnino autem cavendum, vetustissimorum ne nimis cultos fuisse existimemus numeros, qua opinione quantum horum laudi accedit, tantum plerumque demitur Vergilio et Ovidio. praeterea Lucilium apparet nec voluisse nec potuisse aequare ingeniosam illam metri artem, quae in Enniost. itaque nec illud probo, quod sustinuit Lachmannus hexametros caesura carentes abiudicare Lucilio, Horatio attribuere. iam deinceps auctores classici acriter vitarunt ne facerent hexametros incisionis expertes. nam quae Lucretii exempla ut distinctione solum post quartum pedem, hoc est, mihi si credes, nulla praedita protulit Hermannus [el. d. metr. p. 336 sq.], ea rectius tractata a Lachmanno. nec minus idem vitium alienum a poetis christianis, quo omnino abstinuerunt Boethius, Prudentius, Paulinus, Avianus, Ausonius, Avienus, Sedulius, Sidonius, Martianus, Priscianus, Arator, Maximianus, Corippus, Eugenius. quod contra feruntur apud Iuvencum haec [I, 466; IV, 641]:

post fratres Ĭăcobum Iōannemque marinis.
hoc pretium pretiosi corporis instituentes.

quorum tamen exemplorum alterum, si modo erit verum — nam variat lectio —, a nominibus propriis et apostolorum habet excusationem, alterum inde quod vaticinium bibliorum eo exprimitur, simul quia facete luditur illis, quae sunt *pretium, pretiosi.* at vix dignum mentione, quod in carmine auctoris incerti et aetatis ultimae de sideribus [anthol. 679 ed. R.] hic ultimo loco fertur versus:

celsior his Saturnus, tardior omnibus astris.

nam ut mittam illud deterrimae esse notae, abest hic cum praecedentibus tribus a codicibus Riesii praeter unum. magis longe memorabile quod in versibus XII sapientum, qui ultima Latinae Musae tempora lusibus condecorarunt suis invenitur ἄμετρος talis [623, 5 R.]:

Scorpios atque Sagittifer aequoreique Capri frons,

Sed enim iam quaerendum erit de caesura, quam novam sibi visus est repperisse Lachmannus [pg. 413] inter colliquescentes syllabas. igitur statuit ille, ea si versus sede, qua legitime ponitur caesura, constet initium verbi, cui iugetur per elisionem praecedens, quod in longam vocalem vel consonam *m* desinat, fieri recte incisionem inter media haec vocabula, utique adiutam synhaeresi, ut bene habeant ab arte metra haec:

in vino esse, ubi *qui* invitavit dapsilius se.
sic animis na*tum* inventumque poema iuvandis,

vitiosa sint talia:

Vulturnum quas*que* evertere silentia Amyclae.
non quivis *videt* inmodulata poemata iudex.

quam veram esse opinationem nullo mihi persuadebitur pacto. ac primum quidem non capio, qualis ratio fuisse elisionis videatur Lachmanno. nam sive eximi statuetur finalem in vocalem vel *m* desinentem sequente vocali sive potius synizesi obscurari, illud, quantum ego sciam, non fuit qui dubitaret, eam nisi admisso hiatu non habere vim in metro. quam opinionem quod contemnere maluit Lachmannus quam confutare, equidem satis miror. iam cum nec ipse invenerim, qui possit labefactari, apparet in versu tali:

sic animis natum inventumque poema iuvandis

caesuram, si inter colliquescentes fiat syllabas, non extare potius post tertiam arsin quam post thesin secundam, qualem heroicum metrum non recipit. praeterea non intellego, cur incisionem istam precariam non permiserit fieri Lachmannus, nisi si esset elisio aut longae aut in *m* exeuntis syllabae, ut vitiosus ei videretur versus talis [Lucr. II, 1059]:

sponte sua forte offensando semina rerum.

nam quod videtur timuisse, brevis ne plane synizesi absorberetur, id aliter habere infra demonstrabo. sed vel ob id falsam esse sententiam istam existimo, quod ita efficitur Horatium et Silium versus caesura carentes admisisse. neque tamen versibus, qualis est '*sic animis natum inventumque poema iuvandis*', abest incisio legitima, sed constat ea per licentiam tmesis post syllabam, in qua fit elisio, quam quidem utique necessest praepositionem esse [cf. Bentl. ad Hor. carm.

IV, 8, 17]. plura autem de re eadem exponentur a me l. VI. — quae cum ita sint, non potest stare quod Persio tribuit Lachmannus metrum [5, 19]:

non equidem hoc studeo, ampullatis ut mihi nugis.

at Lucretio etsi non erit incongruum, quod idem addidit de coniectura [VI, 1065]:

quae memorare queam inter singillariter apta

(vulgo circumfertur '*inter se singulariter*'), tamen quod olim proposuimus scribendum '*inter se simul uniter apta*' ne nunc quidem non contendimus esse verum.

Sed iam ad suptiliores caesurarum hexametri leges enarrandas progrediamur. et primum quidem declarabo rationes caesurae semiquinariae virilis, quae cum apud veteres Graecos heroico potissimum carmine optinuisset, minus illa frequentata leviore poeticae genere, placita omnino diversa Romanorum optinuere usu. nam apud illos admissa, quae proxima dignitatest, caesura tertia trochaica molliores eveniunt numeri; hi legitimam divisionem praeter eam, quae fit in tertia arsi, cum non habeant, nisi quae in quarta, quam per se asperiorem plerumque et trithemimeris addita exaggerat, non possunt substituere semiquinariae incisionem praeter duriorem.

Atque ita effectumst, ut ex poetis Latinis non modo qui res gestas celebrarent aut vitae usus panderent potissimum uterentur caesura semiquinariam, sed saepius etiam qui levia et iocosa componerent carmina. rem ilico probabo exemplis.

Sed ut alia pleraque, caesurarum temperandarum viam et rationem demonstravit Ennius. nam apud hunc cum longe praevaleat semiquinaria, ceterae vix alia constant proportione atque apud insequentes.

Igitur cum paulo plus DC extent vel versus Annalium vel particulae versuum, in quibus multarum incisio incerta, et aliquotiens neglecta sit caesura, trochaicae tertiae exempla et hephthemimeris (praeter ea, ubi et post quintum semipedem finitum verbum) inveniuntur circiter LXXV.

Ex ceteris poetis, quorum legerim libros, omnium minime videtur sectatus penthemimerin Valerius Flaccus.

nam in primo libro, cuius versus sunt c. DCCCL, utitur illa ferme quingenties nonagies. at Vergilius in Eclogis a prima ad quintam — habent metra CCCCXX — eandem optinuit plus trecentiens triciens. idem alibi pro singulis incisionibus semiseptenariis in primo Georgicon quaternas, in Aeneidos ternas habet semiquinarias. porro Ovidius initio Metamorphoseon et versibus circa DCCLXXX eam locis DCLXX admisit. quin idem primo Artis, cuius sunt hexametri CCCLXXXV, huius dedit exempla CCCXXXI. tum Claudianus in carminibus de Aniciorum et de Manlii consulatu, quae complent numeros DCXVIII, habet penthemimerim ferme quadringentiens quinquagiens. iam Vergilii Valeriive norma Statio Silioque, Ovidii et Claudiani Catoni philosopho ac Sedulio servatur. quid quod Martialis in Xeniis et Apophoretis potioris caesurae habet exempla circa CCCXXV, alterius vix tricenas? porro Symphosius in versibus plus CCC quindeciens, non amplius, adhibuit hephthemimerim, quam et auctoribus carminum Priapeorum et Eugenio Toletano valde displicuisse constat. denique etiam Persius et Iuvenalis satirici Ovidii omnino rationibus sese applicaverunt. quae cum ita sint, intellegitur hephthemimerim, ubi maxime optinuerit, minus tertiam partem versuum sibi vindicasse, sed saepius longe quintam sextamve aut etiam magis exiguam.

Iam ut persequar coepta, cum semiseptenariae propria tria supra agnoverimus genera, quorum primumst, si post tertiam arsim etiam sit finitum verbum, alterum, si post secundam, ultimum, si post neutram, binas secundi, ternas tertii distinximus species. exempla sunt haec:

I. oscula libavit natae. dehinc talia fatur.
II. infandum regina iubes renovare dolorem.
despiciens mare velivolum terrasque iacentes.
III. sternitur exanimisque tremens procumbit humi bos.
una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis.
haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur.

de senis his hephthemimeris speciebus prima ac secunda aequa elegantia habentur, quamquam magis frequentatur posterior, at e ceteris tertia quartae, haec sextae, sexta praefertur quintae. ita, cum incisio tertia trochaica fere

sit aliena a litteris Latinis, tres legitimae evenerunt apud Romanos versus heroici caesurae, quales habes metris hisce:

arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris.
oscula libavit natae. dehinc talia fatur.
infandum regina iubes renovare dolorem.

Sequitur, quo quisque in arte fuerit perfectior, eo saepius apud talem istas species versus debere inveniri. et quidem solas has optinent Sulpicia Caleni, Symphosius, Palladius, Avianus, Merobaudes, Boethius, Eugenius, Sisebutus [Mei. 388], praeterea multi carminum minorum poetae, et quidem diversissimorum temporum, ut auctores Priapeorum atque item elegiarum de Maecenatis deque Maevii obitu ac de Phoenice, dein qui scripsit carmen cui titulus '*verba Achillis in parthenona, cum tubam Diomedis audisset*' quique alterum de concubitu Martis et Veneris. nam apud hunc [253, 51 ed. Ries.] legendum *hic Martem spectare solet,* ut alibi [154] *te spectat lacrimans.* quibus proximi dignitate atque ipsi eximii sunt illi, qui semel aut bis migrarunt legem, quorum vetustissimum auctorem Dirarum fuisse accepimus, qui quater severissimae elegantiae firmitatem deseruit [66; 84; 57; 78]. tum scriptor carminis de Pisone, alioqui cum accedat arti poetarum modo commemoratorum, unum habet versum alienum [90] '*Graecia Cecropiaeque sonat gravis aemulus urbi*'. sed nec hoc sua eget excusatione, nec quod auctor laudium Herculis etiam semel admisit tale [100] '*iuvat ire et libera rura defensosque videre locos*'. nam expressit Vergilianum [aen. II, 27 sq.] '*iuvat ire et Dorica castra desertosque videre locos*'. item semel Martianus [V, 425, 3] '*turbati expavere dei vulgusque minorum*'. iam Nemesianus in bucolicis semel artem migravit ita [1, 52]:

pectus erat. tu ruricolum discernere lites;

ter auctor consolatonis ad Liviam, bis hephthemimeri cum trithemimeri, semel tertia trochaica adhibita [v. 35; 449; 307]. et Calpurnius hanc in septem eclogis semel bisve admisit [2, 46; 5, 61], semel Octavianus [142]. nam alibi [16] restituendum apud eundem '*vel tenuem spectabat opem nunc ditior illis*' non '*expectabat*', quoniam scripto libro habetur illud *pectabat.* contra Calpurnio et aetate compar et arte simillimus bucolicus Einsidlensis, cuius extant versus

LXXXVII, in priore carmine bis ponit solam hephthemimerin cum trithemimeri [8; 14] tum qui epistulam Didus hexametris composuit semel habet divisionem trochaicam et ipse [50] '*lege poli peraguntque micantia sidera cursus*'. cui vides ante oculos fuisse Vergilianum illud [aen. IV, 81]:

luna premit suadentque cadentia sidera somnos.

neque egent excusatione quos Arator ab regulae severitate posuit diversos versus quinque, quos et ipsos enumerabo, ut tandem appareat, auctores christiani, quos vulgo putant caesurae vel maxime necessarias leges parum observare, quam fuerint vel suptiliorum et a me primo comprobatarum tenaces. igitur quod apud hunc legitur [I, 123]:

non littera gessit
officium, non ingenii stillavit ab ore
vena,

metrum medium ab orationis concitatione et repetito illo *non* accepit excusationem. deinde quod alibi extat simile [I, 744] '*semper inest. iuvat ecclesiam baptismatis unda*', excusatur nomine Graeco. item venia paratast tribus aliis exemplis [I, 831; 1004; II, 834]:

surge Tabitha. vocata redit lucique reducta.
Venatorumst dicta domus, quia verus ab illa
ecclesiae venator adest.
agmina Iudaicosque tuli sine fine furores.

similes huic et pares Martialis ac Petronius. neque vero Maximianus et Luxorius quod binis locis ab solita ratione fuere alieni versus admittendo hic quidem tales [358, 3] '*Chilon quem patria egregium Lacedaemona misit*' et porro [376, 5] '*nil Phoebi Asclepique tenet*', at ille [2, 3; 3, 65] '*hinc est quod baculo incumbens ruitura senectus*'; '*solvitur in risum exclamans*', ideo severitatem artis evertisse sunt putandi.

Proximum locum optinet Namatianus, qui caesura trochaica sola distinctos versus numquam, at trithemimeri et hephthemimeri sine choreo tertio habet septiens. deinde nominandi, qui bina haec genera incisionum praeter principales tres etiam adhibent, sed exemplis perraris, quorum sunt in numero Petronius ac Martialis et Ovidius extra halieutica. e quibus Martialis trochaicam distinctionem habet

quinquiens [I, 15, 7; VII, 57, 1; IX, 47, 1; X, 11, 5; XII, 50, 1], hephthemimerin cum trithemimeri non inciso pede tertio octiens [V, 7, 7; VII, 30, 1; 64, 7; VIII, 34, 1; IX, 3, 13; 100, 1; XII, 38, 3; 52, 7]. porro Ovidius cum suis habet hanc duodeciens, at illam viciens sexiens. a quibus hoc tantum Serenus diversus, quod saepe admittit metra talia '*despiciens mare velivolum terrasque iacentes*'.

Iam secuntur, qui et has haud dubie caesuras adhibent nec minus hephthemimerin solam, sed ita, ut tertio trochaeo finiatur verbum, quod ut minimum compleat totum pedem secundum, sicut est in versu illo '*sternitur exanimisque tremens procumbit humi bos*'. quorum e numero sunt Lygdamus, Ovidius in halieuticis, Grattius, Persius, Nemesianus in Cynegeticis, Statius in Achilleide ac Silvis, Lucanus, Claudianus, Avienus, Sedulius. neque enim recte apud Grattium ferri credo haec [481]:

> ex alto ducendum numen Olympo
> supplicibusque vocanda sacris tutela deorum,

quoniam traditumst codice Vindobonensi '*supplicibus vocanda*' sine copula, quae non dubito quin commode omittatur ad augendam vim orationis iam per se citatae. quid si scribemus *vocitanda?* nam cum simplicibus verbis iungi frequentativa apud poetas et ceteros, ut quisque horum simillimus, minime insolitum. sic Lucretius dixit [I, 56; 354]: *unde omnes natura creet res, auctet alatque;* et alibi: *inter saepta meant voces et clausa domorum transvolitant;* item Horatius [ep. I, 16, 49] *renuit negitatque Sabellus;* atque ita Tacitus [hist. II, 41]: *incertus undique clamor accurrentium, vocitantium;* ubi tamen variat lectio. sed similia multi.

Praeterea semiseptenariam nec cum trithemimeri coniunctam et neque in arsi tertia nec in tertio trochaeo finita voce ad exemplum illud '*haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur*' admisere Homerus Latinus, Columella, Valerius, Prudentius, Sidonius, Priscianus. et ita semel Sammonicus [537]:

> saepe thalassomeli adiecto cumulavimus imbri.

ubi tamen a vocabulo technico eoque Graeco excusatio oritur. — superioribus addendi Silius cum auctore Aetnae, qui singulis locis ponunt hephthemimerin finita in trochaeo

secundo voce. nam in huius carmine exemplum habes tale [92]:

aestuet Aetna novosque rapax sibi congerat ignes;

quod nomine proprio excusatur. porro apud Silium [XVII, 128]:

ac sibi quisque 'videsne, vides ut in agmine primo'.

id vero repetito oratoria affectione vocabulo eodem habet veniam. denique Statius in Thebaide, cum alioquin et ipse Homeri Latini et ceterorum placitis inserviat, bis liberius habet metrum ita [V, 684] '*sanguinis, imbuite arma domi atque haec irrita dudum*'; [IX, 842] '*horrendumque Dryanta movet, cui sanguinis auctor*'.

Praeterea propriae quorundam observantiae evenere tales. numquam apud Catullum et Tibullum in distichis habes sextum genus hephthemimeris, at habes quintum etiam inelegantius. in continuis tamen hexametris ne hoc quidem admisere, nisi semel Catullus in formula, quae unius paene vocis est instar [64, 405] '*omnia fanda nefanda malo permixta furore*', et vocabulis propriis laudator Messallae [11] '*Erigoneque Canisque, neget ne longior aetas*'. idem geminata per antitheton orationis parte [167] '*quas similes utrimque tenens vicinia caeli temperat, alter et alterius vires necat aer*'. sed maxime mirum quod Iuvenalis cum identidem probarit versus, qualis est hic '*haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur*', non admittit velut tales '*labitur exanimisque tremens procumbit humi bos*', qui tamen frequentiores et meliores ducuntur illis. ceterorum vero poetarum plerique omnibus, quotquot evenerunt, caesurarum generibus utuntur haud dubie. e quibus hi potissimum a me nominabuntur: Lucretius, Propertius, Manilius, Germanicus, auctor de figuris sententiarum, Terentianus, Ausonius, Paulinus, Venantius.

Superest, accuratius ut enarrem, quae fuerint varietates in singulis caesuris admittendis.

Et trochaicam quidem tertiam parili omnes exceptis Horatio et Lucretio adhibuere infrequentia, ut quam vel omnino vitarint Tibullus cum suis, Lucanus, Statius in Achilleide. semel habet eandem Persius [5, 112], semel Grattius [240], semel Terentianus [2831], et quidem in exemplo epiploces:

carmen suave dedistis Olympiades mihi Musae.

bis Sedulius [I, 307; V, 302]:

debet scire 'sumus' que Sabellius esse fatendum.
plura dari saevaque locum obsidione teneri.

ter Homerus Latinus idque in nominibus propriis, sexiens Claudianus, item Prudentius. sed piget iam exemplorum.

At hephthemimerim cum trithemimeri iunctam sine medio trochaeo caute satis parceque usurparunt Catullus, Cicero, Tibullus cum suis, Propertius, Grattius, Manilius, Persius, Columella, Lucanus, Homerus Latinus, auctor Aetnae, Nemesianus, Claudianus, Avienus, Prudentius, Ausonius, Sedulius, Sidonius, Priscianus. e quibus auctor Aetnae ter habet versus sic, ut modo declaratumst, distinctos, octiens Columella, quinquiens Priscianus, sexiens Sedulius; at Homerus Latinus deciens quater, Ausonius quadragiens semel, porro Claudianus quadragiens bis, Manilius quadragiens octiens. haec exempla comparata cum eis, quae solam habent incisionem trochaicam tertiam, crebra, at si totum versuum numerum consideraris, satis infrequentia esse apparet. eandem caesuram saepe haud dubie admittunt Lucretius, Horatius, Vergilius, Germanicus, Valerius, Silius, Statius, Iuvenalis, Sammonicus, Terentianus. tamen et apud hos frequentiorem constat esse speciem, quam habes in illo '*infandum regina iubes renovare dolorem*'. praeterea dignum memoria apud Vergilium rariorem longe incisionem istam esse in Bucolicis et Georgicis quam in Aeneide. iam quarti generis versibus, ut puta talibus '*sternitur exanimisque tremens procumbit humi bos*' plerique magna cum cautione usi. e quibus semel habet sic Grattius '*causasque affectusque canum tua cura tuerist*', semel Priscianus ita '*hic sunt Germanique truces et Sarmata bellax*', bis Avienus, bis Sedulius, tum alii modeste. multo minus placuit quintum. nec minus dura hephthemimeris ea, qua prostante ut non post arsin secundam, ita nec post trochaeum tertium terminetur pars orationis. qualem qui non omnino reiecerunt, quo curatius pressere meliorum vestigia, eo minore habuere usu. itaque semel usurpavit Homerus Latinus, semel Columella, semel Sidonius, bis Statius, sexiens Valerius Flaccus.

Haec est ratio caesurarum hexametri Latini.

Iam ut conferantur omnes ab Homero usque ad Nonnum et Tzetzen auctores Graeci, quisquamne eorum vel severissima alioqui norma institutus tantam artis habet constantiam, quantam e Latinis plerumque versificatores vel mediocres? quo magis est culpandum, quod critici plerique in tractandis poetis hanc rei metricae partem neglexerunt. piget hercule enumerare, quot modis leges incisionum modo propositas, quibus nihil certius firmiusque cogitari potest, coniecturis everterint homines vel doctissimi.

Deinde pentametros esse vitiosos, nisi medius, ut Quintiliani [IX, 4, 98] verbis utar, spondeus alterius verbi fine, alterius initio constet, vel pueris notum. quare versus ab hoc praecepto alienos neotericorum quidem plerique, sed non perinde poetae veteres comprobarunt. quin nec talia admiserunt Latini, quale habes noto versu Callimachi '*ἱρὰ νῦν δὲ Διοςκουρίδεω γενεή*'.

In tetrametro non catalectico, sive solus stat sive pars archilochei asynarteti, semiquinaria optinet virilis, quae quidem lex aliquando a Prudentio non sine elegantiae damno migratur. contra brevioribus metris haud perindest necessarium adesse certam incisionem.

At anapaesticis e versibus tetrametros post secundam dipodiam, post priorem dimetros ut Graeci ita Latini inciderunt, etsi Varroni et Laevio aliquando migratam esse hanc normam non abhorret a probabilitate. at semel Ausonius habet dimetrum caesurae expertem *priscos ut et heroas olim* [prof. Burd. 21, 16]. quamquam nescio an mendosus sit versus. nam traditumst antiquitus, ut videtur, *priscos et heroas olim.* itaque tutius erit sic reponi: *ut et heroas priscos olim,* quo vitetur *as* productum in *heroas.* mox Boethius quater '*non valet aut pelagi radiorum*' '*infirma perrumpere luce*' '*quae sint, quae fuerint veniantque*' '*an nullast discordia veris* [V, 2, 4; 5; 10; 3, 6].

Deinde in trimetro iambico (sive qui ab Archilocho sive qui ab Hipponacte accepit nomen) simillimae atque in hexametro dactylico, cui non modo usus frequentia et nobilitate, sed legum etiam rationibus et modulis potest comparari, caesurarum reperiuntur normae. nam celeberrima haud dubie incisio illius ea, quae post quintum evenit semi-

pedem, proxima dignitate, quae post septimum. de utraque perpauca grammatici promunt Latini. dignum tamen memoria quod scribit Marius Victorinus pg. 2524: *recipit penthemimerem et hephthemimerem — e quibus penthemimeres in trimetris satis probatur.* ubi *satis* ex more posterioris aetatis, de quo dictum l. VII, significat *admodum.* — et eadem ut plurimum proportione in iambico, qua in dactylico versu, utraque distinctio optinet. nam et in trimetris, quo quis molliora aut breviora effudit carmina, eo minus usurpavit hephthemimerim. unde et illud factum, quod Boethius sola omnino usus est penthemimeri. porro quod binae incisionis semiseptenariae inveniuntur species sive post arsin secundam seu post thesin tertiam simul finiente verbo — hoc quidem si fiat, non potest optinere hephthemimeris nisi finita post quartum semipedem sententia —, quis non meminerit in heroico metro eandem istam caesuram plerumque admitti ita, ut aut in secunda arsi aut in tertia subsistat oratio? illarum neutra si adsit, secundus ac tertius trochaeus uno contineri solent verbo, veluti:

ut gaudet *insitiva* decerpens pira.

qua in re quis non repetet eam hephthemimeris in hexametro dactylico speciem, cuius supra appositumst exemplum tale:

sternitur *exanimisque tremens* procumbit humi bos.

Igitur formae vulgo usurpatae sunt hae:

ibis *Liburnis* | inter alta navium
quid at*tinet* tot *ora* | navium gravi.
volente *Circa membra.* | tunc mens et sonus.
ut gaudet *insitiva* | decerpens pira.

elegantia vero incisionum propositarum ea re probatur, quod semiquinaria admissa posterior pars trimetri evadit dimeter trochaicus:

inter alta navium;

semiseptenaria prior fit dimeter iambicus catalecticus:

ut gaudet insitiva.

at pessime habet post finitum pedem tertium posita distinctio, quam Francogalli senario isti, quem Alexandrinum vocant, addidere, qua lepos et varietas numerorum extinguitur. melior est paullo caesura illa, quae post priorem sive alteram seu

post utramque fit dipodiam, ut qua dimetro iambico proveniente divisio certe ἔνρυθμος evadat. huius ergo genera cum proxime memorata eadem fere fuerunt infrequentia, qua in dactylico metro tertia trochaica. iam penthemimeri et hephthemimeri solis usi Catullus, Horatius, Vergilius, auctores Priapeorum, Persius, Seneca, Martialis, Petronius, Martianus, Sidonius, Boethius, Luxorius, Prudentius extra epyllion. nam quod in libro *κατὰ λεπτόν*, quem constat graviter admodum affectum, fertur caesurae pariter defectu et numerorum inconcinnitate aspernandum [5, 25]:

stant in vadis caeno retentae sordido,

olim a nobis mutatum ita:

caeno retentae sordido stant in vadis.

at migravere bis terve artem parata sane plerumque venia a vocabulis polysyllabis vel propriis seu Graecis Varro, Avienus, Terentianus, Ausonius, Paulinus, Prudentius in epyllio. Varronis, auctoris antiquissimi, exempla sunt haec [est modus mat. 1 bis; glor. 2; Marcip. 5; *ὄνος λύρας* 7; quinquat. 7]:

vino nihil iucundius quisquam bibit;
hoc continet coagulum convivia;
in lucubrando olivitasque consumptast;
phrenitici septentrionum filii;
ut mimici, cinaedici, scenatici;
de fronde Bromiae autumnitatis uvida.

contra non putavimus ferendum, quod legitur in satura quae inscribitur *ὄρος λύρας* [3]:

qua mobilem divum lyram sol harmoge;

sed mutavimus ita:

divum lyram qua mobilem sol harmoge.

similia Prudentius ter [peri st. 10, 12; 17; 921]:

balbutit et modis laborat absonis.
praecepta Messiam dedisse apostolis.
irridet hoc Asclepiades laetior.

Avienus non quidem post tertium, sed post secundum vel quartum incisos iambum versus habet octo [35; 76; 130; 155; 186; 253; 325; 644]. de Prisciani praefatione laudium Iustini, qua, quamquam XXII non plus habet versus, haud raro omittitur caesura, dixi l. II in fine eorum, quae de

anapaesto loco iambi posito memoravi. — denique referendus Vergilii e catalectis versus ille [4, 9] '*thalassio, thalassio, thalassio*', cuius propriast ac singularis excusatio.

Iam catalectici in syllabam trimetri non admittunt aliam praeter penthemimerin incisionem, quam qui neglexerit non invenio. minores versus carent certa dihaeresi. — in iambico septenario, cuius haec est species '*quis carmen aut versum novum facit meo Sabino*', Varro et Catullus recte observant post quartum pedem ut subsistatur. de Terentiano dixi l. I. denique Varro in octonario sive quadrato, ut vocat Terentianus v. 2378, quo solus ex dactylicis usus est, eandem adhibuit incisionem [Non. 141, 3]:

quid aliud est quod Delphice | canat columna litteris
sculptis: ἄγαν μηθέν, iubens | nos facere mortalem ad modum
medioxime, ut quondam patres | nostri loquebantur . .

sed et post thesin quintam potest distingui.

Ex trochaicis versibus tetrametrum post secundam dipodiam incidi notumst, quam non facile quisquam invertit normam exceptis hisce exemplis Terentiani [1329; 1411; 2343]:

quinta quae vocalis est, longam creabunt syllabam.
pes erit βακχεῖος. ἀντίβακχος autem tunc erit.
ter tibi spondeon hic semper secundum suggeret.

Denique ionicis numeris nulla certa adest incisio excepto versu galliambico, quem semper Romani post secundum pedem distinxerunt. accedit quod Horatius in carmine ad Neobulam denis, ut videtur, pedibus constans metrum ita moderatus est, ut post quaternos et octonos verbum finiretur ionicos.

At e logaoedicis metris versus phalaecius etsi omni tempore caruit incisione certa, tamen apud posteros longe plurimis locis post tertiam arsin finitur verbum, ideo nimirum, quod secuti grammaticos priore eius parte contineri putarent hexametri dactylici dimidium ante penthemimerim positum. asclepiadeum minorem cum Horatius secutus Graecos post sextam divisisset syllabam, id ut ab ipso sic a ceteris constanti usu servatum. nam alienum esse illud ab eo [IV, 8, 17] '*non incendia Carthaginis impiae*', fatebuntur vel ei, qui plerumque inde a Perlcampio non ratione certa, sed arbitrio suspectatos esse Horatii versus non dissimulent.

semel tamen Terentianus neglecta caesura [2707] '*hanc docti tetracolon vocitant strophen*'. porro in maiore asclepiadeo cum legitima constet incisio post secundum et tertium choriambum, Catullus [c. 30] id aliquando neglexit, non tamen utroque pariter loco; atque ita semel Prudentius hoc versu [praef. 6] '*quid nos utile tanti spatio temporis egimus?*' numquam simile admisere Horatius et Terentianus [2714 sqq.].

Porro in metro sapphico hendecasyllabo non potest dubitari Catullus quin easdem affectarit incidendi leges, quas postea sanxit Horatius. nam e versibus triginta reperiuntur tres non amplius, quibus non post syllabam aut quintam aut sextam finiatur verbum. hi vero sunt tales [11, 6; 7; 11] '*seu Sacas sagittiferosque Parthos*'; '*sive qua septemgeminus colorat*'; '*Gallicum Rhenum, horribile aequor ultimosque Britannos*'. quae exempla a nominibus propriis sive verbis polysyllabis medio numero positis habere excusationem ne pueros quidem fugerit. iam Horatium notumst incisiones illas digessisse ita, ut potior esset longe in prioribus libris virilis. at in quarto cum carmine saeculari invaluit muliebris, haud sane ita ut praevaleret usu. quod quidem mirumst, cum alioquin ultimo lyricorum volumine veluti in anacrusi alcaici seu circa elisionem intenderit potius artem quam remiserit. sed enim insequentes tanta cum constantia servarunt incisionem tertia arsi conclusam, ut illorum, quos initio operis enarravi, libris, quibus addas Phocam [anthol. 671 ed. R.] et auctores hymnorum priore Danielis volumine extantium [96; 146; 147; 163], duobus, non saepius, versibus lex neglegatur. quorum prior est Ausonii hic [ephem. 1, 23]:

Lesbiae depelle modum quietis;

alter Luxorii [306, 8]:

dignus inter grammaticos vocari.

tertius auctoris est incerti, cuius epitaphium Hesychii satis rude et agreste legitur in appendice Aviti Peiperiani [10, 21]:

quem soror Marcella gemens obisse.

et his quidem in metris omnibus nomina Graeca vel propria vides posita. — praeterea dignumst memoria ab Horatio [c. I, 8] etiam in sapphico maiore, quem falso vocant, post

quintam semper syllabam finiri verbum, recordatione nimirum sapphici minoris, sicut idem [I, 4] in priore parte archilochei asynarteti observatione versus heroici adhibuit caesuram semiquinariam.

Iam in alcaico hendecasyllabo post quintam ubique syllabam incidit exceptis hisce [I, 37, 14; IV, 14, 17]:

mentemque lymphatam Mareotico.
spectandus in certamine Martio.

quae tamen sunt suspecta fraudis. posteriores aetate toties servatam legem quam bis violatam maluisse sequi cui erit mirum?

Sed ad secundam huius voluminis partem ut transeamus, primum ponam mutatis quibusdam, quae in editione priore disseruimus.

Igitur sicut apud Graecos et Romanos nulla fuit potestas accentus grammatici ad producendas syllabas breves, ita minime ratio habita eiusdem in pangendis versibus.

Neque grammatici veteres, cum plurimi sint et in metris poeticis et in rythmis oratoriis describendis, pronuntiationis pedestri usu modulatae ullam umquam iniecerunt mentionem.

Quare ne tum quidem, cum nativus Latini sermonis proprietatis sensus elanguit simulque ore plebis pleraque quantitatum sunt inversa, grammaticum ad accentum et pronuntiationem vulgarem accommodarunt poetae carmina.

Quod cum ita sit, nihil equidem obstat, quin versus vel totus vel maxima ex parte aequet tonum pedestrem, velut habes Vergilii illud [aen. IV, 81]:

luna premit suadentque cadentia sidera somnos;

seu Lucretii [I, 77]:

quanam sit ratione atque alte terminus haerens;

vel Horatii [ep. I, 9, 4]:

dignum mente domoque legentis honesta Neronis.

ita auctor perelegans epyllii de Iona [v. 92]:

sternitur aequoris unda, resolvitur aetheris umbra.

quibus tamen aliquanto durius est et vix tolerandum quod Lachmannus per coniecturam intulit Lucretio [VI, 1197]:

quorum siquis vix vitarat funera leti;

ubi codices habent *siquis, ut est,* idque verum puto et positum pro *ut fit,* sicuti *est ut* dicitur pro *fit ut.*

Sane certis caesurae modulis effectum, ne saepius evenirent similes supra adscriptis hexametri. contra in versibus incisione orbis numquam cautum, ut pronuntiatio in prosa usitata cum poetica ne concineret.

Verum enimvero cum primum unicumque sit munus poeticae, ut nos quotidianae vitae miseriis et curis vulgaribus exemptos in puriore, ut ita dicam, nec terrenae quidquam faecis habente aethere collocet, poetae veteres, studiosissimos formae carminum et metricae artis cum haberent populares, studiosissimi ipsi rerum talium, vix aliud potuerunt habere maiore cura quam ut rythmicum vocabulorum, quibus constarent versus, accentum redderent quam diversissimum a grammatico.

Qua lege cum nihil certius sit firmiusque, ab ea, ut alia multa, ita illud repetendum, quod in verbis molossicis, ut *Pelides,* arsis plerumque in prima vel ultima syllaba, raro subsistit in secunda.

Intellegitur tamen plurima in his singulorum pedum natura vel prosodiaca vel rythmica temperari.

Sed haec regula cum habeat rectissime, tamen hoc praecepto immutatur, quod nullo pacto bonus habetur versus, nisi finis ordinis metrici suos propriosque retinuerit numeros.

His duabus normis ars rythmica metri Latini cum contineatur, videamus iam, quid olim de ea re statuerint docti.

Igitur quod Bentleius in schediasmate metrorum Terentianorum paucis verbis, magno pondere sententiae adfirmavit, perinde ut in iambico, in dactylico senario accentus grammatici obtinere observantiam, probavit hoc Hermannus [pg. 63 sqq.; 141 al.] in Elementis doctrinae metricae, probavere alii. nec tamen defuerunt, qui rem recte habere negarent.

Ex quibus Franciscus Ritterus in Elementis grammaticae Latinae [pgg. 63—77] non pro solita socordia, sed docte sciteque demonstravit, quae accentus vi evenisse statuerent

illi, partim natura pronuntiationis Latinae, partim pedum legibus et caesurarum effecta. cuius sunt secuti rationes cum Boeckhio [act. menstr. academ. Berol. a. 1854 pg. 270 sqq.] Weilius et Benloewius in libro de accentu Latino [pg. 66 sqq.; 242 sqq.]. a quibus paullum diversus Ritschelius prohoemio Trinummi [pg. 207] cum in dactylica Romanorum poesi accentus grammatici vim prope nullam esse contenderet, eidem multum tribuit in iambicis trochaicisque scaenicorum vetustissimorum metris. et hanc quidem opinionem cum pertinacia secutus est usque ad finem vitae. quam tutanti mirum profecto debuit videri, cur nemo ex antiquariis, ne priscus quidem ille Cato, obiecisset Ennio, quod novam metricae Latinae ingressus viam avitam sprevisset prorsus modulationem numerorum.

Attamen qui placita Bentleii et Hermanni, quorum quidem gravissimast auctoritas in re metrica Romanorum aestimanda, non tam opinandi divinandique suptilitate quam argumentis ex plurima poetarum lectione petitis seu iuvaret sive frangeret, nondum quisquam extitit, nec magis declaravere, quanam re sit effectum velut hoc, ut hexametri finis optimus haberetur, si duo ultimi pedes continerentur verbis aut dactylico spondiacoque aut trochaico et bacchiaco, quodque pentametrum, quo quis perfectior esset arte, eo saepius disyllaba voce clauserunt. — quid quod ne hoc quidem anquisiverunt, quam recte existimarint nonnulli Romanos in recitandis versibus grammaticum etiam expressisse accentum, non solum, sicut pueri solent nunc in schola, rythmicum. nam Bentleius, si recte eum intellego, adeo solum hunc in scandendo contendit observatum. certe initium Aeneidos accentibus positis ita asseveravit efferendum:

árma virúmque cáno, Tróiae qui prímus ab óris
Itáliam fáto prófugus Lavínaque vénit
lítora, multum ílle et térris iactátus et álto
vi súperum, saévae mémorem Iunónis ob íram,

additis, nequis dubitaret, hisce: *qui perite et modulate hos versus leget, sic eos, ut hic accentibus notantur, pronuntiabit; non, ut pueri in scholis, ad singulorum pedum initia.* — et hoc quidem nemo probarit. sed et altera opinio tantum abest ut sit certa, ut potius confutetur apertissime testi-

monio Quintiliani asserentis [I, 5, 28] in Vergiliano illo [g. III, 243; aen. IV, 525] '*pecudes pictaeque volucres*' mutato ob metri condicionem accentu paenultima acuta legendum esse *volucres*. praeterea cum iudicassent quidam, vocabuli molossici si elideretur finalis syllaba, retrahi a poetis accentum, quod non potuit fieri, nisi vulgo itidem frequentaretur, primum omnium quam accuratissime natura elisionis fuit anquirenda. cui obnoxiae vocales si imminutae sunt potius quam expulsae, qui licuit illud evenire, quod ad doctrinam suam tutandam illi sunt commenti? quare haec iam omnia cum cura erunt examinanda.

Igitur quae de heroici versus exitu verissime observavit Bentleius — neque enim inventis eius, sed rationibus inventorum imus obviam — non credo ita posse infringi, ut trimetri iambici proprietates contrarias ab eodem primum declaratas memoremus. etenim ut omittam indignum esse et alienum a modestia putare Bentleium fugisse, quod primo optutu animadvertunt pueri, facile poterit ista increpanti obici, quae in ultimo versu iambico aut trochaico nullo pacto teneri potuerit observantia — nam monosyllabo verbo concludi versum Latinum aut Graecum nisi praecedente orationis parte aeque monosyllaba parum placet —, iam translatam in medium. quare missis talibus primum haud contemnendum argumentum ab Horatii et satiricorum repetemus usu, ut apud quos non in ultimo versu quam in medio magis curetur, ut respondeat accentui rythmico grammaticus. iam cum eorum dictiones ac versus ad vulgarem normam accedere et rei natura et alienorum poetarum comparatione indicetur, nonne plurimos probabilitatis implet numeros nil curasse homines Latinos, ut congrueret accentus poeticus cum pedestri? at tamen male esset huic quaestioni, si similia potius veri quam vera et certa liceret de ea proferri. itaque ut, quae priores vulgatae pronuntiationis observantia effecta esse credidere, longe aliis venisse causis demonstrem, iam heroici versus, mox relicuorum, ut quisque dignitate proximus, ratio enarrabitur.

Haec igitur vel simillima his ante annos plus XXX posueramus.

Interim egregie retractata res est a Korsseno. cuius curis in priore editione usi non eramus, libri de pronuntiatione Latina II, 948 sqq. nec non a Guilelmo Meiero in tractatu de accentus vi in poesi antiquissima Romanorum, qui prodiit a. 1884.

Nempe uterque exemplis pariter scriptorum et propriis rationibus usus ita adseruit Ritteri inventum novisque argumentis comprobavit, ut vix existimem iam esse qui de eo dubitet. et Corsseni quidem haec maxima laus est, quod docuit concentum accentus grammatici et ictus metrici haud sane infrequentem in versibus Romanorum ab accentus potius Latini modulis quam ab aliis repetendum causis. qui in hac parte operis non est impeditus eo vitio, quo saepe alibi lapsus est vir quantumvis doctus et acutus, monumentis litterarum latinarum aut non satis respectis aut male intellectis. at Meierus, incertum eruditione maiore an subtilitate, non modo demonstravit accentus vim fuisse nullam in antiquissima poesi Latina, sed etiam docuit, quo iudicio, qua libertate Livius Naeviusque et ceteri antiquissimae auctores artis versati essent in metrica exemplarium Graecorum ad Latinae linguae rationes traducenda.

Ad horum igitur doctorum libros remittimus eos, qui studio tenentur rem, de qua agitur, accuratius perscrutandi. quam quidem et ipsi denuo retractavimus in libro de versu saturnio [pg. 40 sqq.].

Nos autem, qui ita differimus a ceteris grammaticis, ut non modo negemus in metrica Graecorum et Romanorum accentus vim fuisse ullam, sed id potius poetis actum statuamus, ut ictus versuum quantum pote plurimum differrent a pronuntiatione pedestri, propriis rationibus uti par est.

Ad quas antequam transeamus, quo demonstretur nullam umquam fuisse curam accentus servandi in poetis, satis erit repetisse a grammaticis Graecis ac Latinis ne una quidem littera tale adnotatum studium adeoque etiam pedestri sermone potius observatas quantitates syllabarum quam accentus firmari ea re, quod, ubi de oratoriis agitur numeris, illae tantum, non hi respiciuntur.

Denique inter Romanos si Ennius novas inisset vias accentum grammaticum in conformandis versibus neglegendo,

nonne ab obtrectatoribus novae artis certatim id ei obiectum existimabis? at ne Cato quidem ille Censorius, ut memoravi, modulorum veterum contemptum ei exprobravit.

Ceterum omnes implere probabilitatis numeros, non modo Indorum Graecorumque et Latinorum in linguis, sed in omnibus, quas Indeuropaicarum nomine comprendunt docti, carminibus pangendis olim observatam quantitatum legem et quidem unice, nihil omnino accentus, in libro de versu Saturnio indicavi [pg. 44]. cuius rei quod in sermonibus Germanicis, Slavicis, Celticis nullum iam extat vestigium, non poterit esse mirum reputanti antiquissima eorum monumenta poetica multis saeculis esse recentiora quam Indorum Graecorumque et Latinorum et qui usi sint illis et paucitate flexionum et abundantia consonarum citius adductos, ut antiquam abdicarent metricam.

Sed iam ad meam rem agendam accingor.

Itaque ut nulla mora indicetur, qua lege contineatur omnis usquequaque metri Latini ars, nullum in accentu verborum, omne in initio eorum aut exitu sive congruo pedibus carminis seu dissimili momentumst positum. et quidem dispositiones conexusque verborum, quibus mixtis et confusis constant numeri, recte animo nostro ut repraesentemus, optime, nisi fallor sententia, magnetis ferrique invicem coeuntium adhibebimus imaginem. nam sicut in his attrahitur a maiore minus, ita et in verbis pedumque partibus sono et spatio infirmius cedit potiori. iam vel pueris credo apparebit minime aptum esse ad coeundum cum insequentibus pedem simul et verbum eodem loco finitum, si modo sit pes principali carminis metro sive par seu cognatus. facile enim animus servat pausam finita voce incidentem, modo ne numerus efficiatur plane alienus a suo versu. quare qui anapaesticum rythmum germanum voluerit effici, non apte diversis ille verbis pyrrhichium et longam copularit syllabam. pone contrarium: invenies eadem ratione, quo conexu pravus dactylicus proveniat numerus. hoc vitium per se odiosum augeri verumst, utcumque laesa lege novi et a permissis diversi prodeunt numeri. quare sicut hominibus rei publicae regendae peritis nihil curatius est cavendum, quam ne in ipsa civitate alia oriatur civitas, quae

communia diducat et disturbet munia, ita probo poetae illud unice cordi sit oportet, ne versiculi existant in versu, praeterquam qui caesura fiunt. sed age rem disertius illustremus.

Igitur principale cum praeceptum sit versus Latini — de qua re iam l. II monui —, ut finis ordinis metrici proprios sui numeros referat sinceros atque integros et non turbatos, iam erit anquirendum illud, quanam id ratione placitum seu servari credatur sive infringi.

Ac primum quidem vix memoriast dignum probe effici rythmum legitimum vocabulo in mensuram eius exeunte. quid enim, ut hoc exemplo utar, meliorem anapaesticum praestabit numerum quam verbum anapaestum explens? aut quid magis dactylicum voce dactylica?

Sed non minus recte habebunt in fine ordinis positae voces, quae, cum spatio sint longiore, exeant tamen in rythmos arte sancitos. etenim cum sint severis clausulae obnoxiae legibus magnaque vi praeditos habeant numeros, ab ipsis attrahi par est liberius laxiusque agitantia, non invicem.

Deinde vero licet sincerum numerum anapaesticum effici vocabulo iambico assumpta, quae praecedit, brevi syllaba neque aliter dactylicum trochaico super addita, quae subsequitur. arripit enim et quasi avellit propria vi locatus in clausula metri iambus aut trochaeus syllabam ad explendum rythmum necessariam, ut spatium, quod interest, imminutum paene auferatur. unde, ut hoc utar exemplo, in illo '*arma virumque cano*' longe minor fiet pausa vocis post *virumque* quam post *arma*.

Porro legitima normast institutum, ad anapaestum dactylumve sincerum efficiendum apte ut credantur coire pyrrichiacum verbum et longum monosyllabum vel hoc cum illo, sic quidem, ut possint reponi pro pyrrichio duae voces singulis brevibus constantes syllabis, utque liceat partem pyrrichii eam, quae non sit contigua monosyllabo, verbi esse plus quam monosyllabi. illud autem cur ita sit institutum, nec ipsum erit obscurum. nam arsi cum maior longe insit vis quam thesi, licet illi haud dubie trahere ad se relicuas pedis partes, si modo non teneantur firmiore quodam vinculo alieno. quale non potest adesse, ubi pro-

priis constabit thesis vocabulis. fatendum tamen, quoquis perfectior in arte, eo parcius usum ista licentia.

Ceterum ex his quae modo disputavimus sequitur eo argumento, quod a fortiori dicunt dialectici, non minus bonum haberi rythmum spondiacum vel trochaicum sive iambicum efficientibus binis monosyllabis.

His rationibus, non aliis, integri servabuntur numerorum fines. quae quotiescumque migrabuntur, totiens Latinae artis decor evertetur. — quae cum ita sint, nihil iam obstat, quin ex ordine versuum enumeremus dispositiones.

Ergo heroici metri cum pro varietate caesurae duplex sit species, binae erunt describendae structurae. quarum prior si fuerit, incisione facta semiquinaria, duo provenient ordines, quorum alterius finis quarto quintoque semipede, alterius eis continetur, quae adonium metrum aequent. at si hephthemimeris erit caesura, nulla cum trithemimeri, item duo erunt ordines figura ac ratione tam similes prius commemoratorum, ut pigeat verbum addere. sed adiecta post alteram arsin incisione triplex oritur series, ita ut prima infirmior relicuis ad tertium semipedem, secunda ad septimum, tertia usque ad finem pertineat.

Itaque in hexametro penthemimeri diviso cum quartus semipes et quintus et porro quintus pes et sextus finiti ordinis legibus sint obnoxii, iam prius contemplemur relicua. haec secundum principalem veteris artis legem, quo magis diversum a pedestri accentu ictum habebunt metricum, eo propius ad perfectam accedent elegantiam. pertinet autem id praeceptum perspicuam ob causam ad easdem etiam partes pentametri. quare non prorsus est laudatum primum aut quartum pedem dactylica constare voce et minus etiam spondiaca, qua nimis gravati et tardati velut pedestres fiunt numeri. est tamen ubi arte appetatur, quod ratione abiciatur. velut pulchre habent ipso vitio versus Maronis hi [aen. I, 33; VIII, 693]:

tantae molis erat Romanam condere gentem.
tanta mole viri turritis puppibus instant.

quod sic repetiit Silius [III, 582]:

magnae molis opus multoque labore parandum.

apte enim describuntur gravitas rerum vel difficultas ponderosis rythmis et segnibus. similia ab Horatio in quarto pede proposita observavit Meinekius [praef. Hor. p. 23]. ita etiam Maro [aen. III, 9]:

et pater Anchises dare fatis vela iubebat.

minus grave foret *fatis dare*. — praecipuus spondiaco verbo in principe sede collocando Lucanus, eaque sola re duriores paullo eius numeri, alioquin elegantia omni illi floridi. similis tamen huius Homerus Latinus. plura autem de spondeo dactylove in primo et quarto pede repositis prompsit Birtius in libello mihi supra circa quarti pedis partem priorem verbo in trochaeum exeunte finitam memorato.

Iam cum quartus semipes cum quinto puram anapaesti formam, at quintus pes cum sexto dactyli ac trochaei debeat referre, tales ferme in hexametro legitimas agnoscemus finitorum ordinum modulos:

I. in nova fert *animus* mutatas dicere formas.
Italiam *fato* profugus Lavinaque venit.
arma virum*que cano*, Troiae qui primus ab oris.
eveniet. *nec enim* dignabere numen honore.
respexit *tamen et* longo post tempore venit.
simplicior *quis et est.* qualem me saepe licenter.
o quotiens *et quae* nobis Galatea locutast.
expugna*bis. et est* qui vinci possit eoque.

II. in nova fert animus mutatas *dicere* formas.
Italiam fato profugus La*vinaque* venit.
inferretque deos Latio, genus *unde La*tinum.
arma virumque cano Troiae qui *primus ab* oris.
nam neque Parnasi vobis iuga, *nam neque* Pindi.
cederet aut quarta socialiter. *hic et in* Acci.
vellicet absentem Demetrius, *aut quod in*eptus.
in nova fert animus mutatas dicere *formas.*
Crispinus minimo me provocat: accipe, *si vis.*

at non sunt permissae species hae:

I. et cum fri*gida mors* anima seduxerit umbram.
vel manife*stas res* contra clarasque repugnat.

II. ex infinito iam tempore *res repa*rare.
et quo quaeque modo fierent ope*ra sine* divum.
propter egestatem linguae et re*rum novi*tatem.
significant initum perculsae corda tu*a vi.*
restinxit, stellas exortus ut etheri*us sol.*
adiutamur enim dubio procul atque ali*mur nos.*
ac non ante malis dementem ac*tum furiis quam.*

ex his autem maxime displicent numeris, qui aut spondiacum verbum, quod tardioris est numeri, habent sede secunda aut ultimi pedis artem violant.

Restat ut quaeratur, quanam sit re factum, ut tanto opere improbaretur Romanis quintum sextumque pedem uno verbo contineri. nam displicuisse plane et poetarum proborum cautione et Fabii testimonio docemur, qui asserit lib. IX [4, 65] permolle esse in exitu hexametri positum *Tyndaridarum* sive *armamentis* vel *Orione.* a quo illud permolle ne cum laude dictum esse credas, addito Ciceronis exemplo et totius sententiae ratione prohiberis. sed enim primum cavendum, nequis evenisse credat istud grammatici accentus observantia. etenim quamquam ex maiore parte minime adsentior eis, quae Ritterus in elementis grammaticae latinae [pp. 38; 39] statuit de accentu vocum plus quam trisyllabarum plerarumque, tamen hoc pro certo habendum, verba adonium metrum sive dispondeum aequantia accentum, si modo ullum habebunt praeter unum legitimum, in principali tenere syllaba. qui si non adsit eis, tamen vocalem longam nulla insequente acuta insigniri ictu metrico adeo non est violentum, ut vel Teutonico sermone idem admitti liceat. itaque omnino apertumst multo levius laedi pronuntiationem vulgarem, si quintus dactylus pentasyllabi verbi priore parte constet quam si monosyllabo vocabulo cum pyrrhichiaco. quare hoc equidem vanum, causaeque aliunde repetendae. et videtur quidem ab elegantia alienum, quod contractis in unum verbum pedibus non satis servatur utriusque peculiaris libertas ac proprietas. sed longe gravior aliast ratio, neque a grammaticis neque a metricis legibus repetenda illa, sed ab aestheticis, quae ipsa natura vocum Latinarum istum vel similem explentium ambitum exoritur. etenim cum versum gravi validoque fine concludi par sit, at verba pentasyllaba Latina, quae dactylum cum trochaeo vel spondeo aequant, item tetrasyllaba, quae spondeum cum trochaeo vel spondeo, exiguo ut plurimum constant pondere sententiae, ut quae sint fere vel simplicia derivationum vel flexionum vastitate onerosa vel composita, quorum prior pars sit praepositio, quae quidem ipsa persaepe non ita multum confert ad sententiam (quam ob causam plerumque

pro his simplicia adhiberi a poetis notum), posterior item per derivationes vel flexiones mollior. nam vetusta illa et Graecis assimilata, quae nominibus et verbis oriuntur coalita, qualia sunt *altisonans, fluentisonus, velivolus*, post Ennium ac Lucretium cum Catullo magis magisque venere in contemptum. quae cum ita sint, iam vix erit mirum non satisfecisse Romanis versus tales:

in terris oppressa gravi sub *relligione.*
quodsi de nilo fierent, subito *exorerentur.*
interse nexu minus aut magis *indupedita.*
et vetus in tela deducitur *argumentum.*

quid enim, amabo, feret dignum hic tanto promissor hiatu? non alienus a veritate Fabius, quod talia dixit permollia. quare ne ei quidem, quos ista aliquando affectasse Tullii Persiique [ad Att. VII, 2, 1; 1, 95] edocemur testimoniis, aut saepe admisere aut quolibet verbo, sed fere in nominibus propriis, quorum minor est offensio, et mutato dactylo in spondeum. hac igitur, non alia, causa vitavere pentasyllaba in fine hexametri auctores Latini.

Atque simili longiorum formarum in fine ordinis metrici odiost effectum, ut altera hephthemimeris cum trithemimeri iunctae forma, et quidem talis:

infandum regina iubes renovare dolorem

frequentior multo esset hac:

despiciens mare velivolum terrasque iacentes.

de qua re paucis interpositis agetur, ubi et alia eiusdem cautionis tangentur exempla. a qua non minus est repetendum, quod secundus trochaeus vel tertius hexametri ante penthemimerim sive hephthemimerim positus tam saepe efficitur vocabulo in *que* particulam exeunte. quae quamquam in unum omnino coalescit cum verbo praecedente, tamen novum quendam eumque prorsus diversum illi addit sensum. videnda etiam quae l. VI, ubi de enclisi agitur, dicentur de Gulielmi Meieri invento quodam.

Iam versus semiseptenaria incisione praediti cum sit species prima:

oscula libavit natae. dehinc talia fatur,

apparet sextum et septimum semipedem non posse constare nisi servatis normis, quae optinent in quarto et quinto cae-

sura semiquinaria. at tali distinctione ne possit secundus dactylus contineri vocabulo dactylico ideo vetatur, quia prior sic series in binas divelletur partes. etenim tertiae arsi, cum caret caesura, minor etiam quam aliter est potestas ad se trahendi a verbo superiore thesin. igitur parum placet exemplum tale:

nec fa*cundia* te linquet nec lucidus ordo.

itaque in hexametro semiseptenariam habente si post tertiam etiam arsin terminetur pars orationis, quarto quintoque item semipede servari debet sincerus numerus anapaesticus.

Dein species secunda ac tertia hephthemimeris evenere hae:

despiciens mare velivolum terrasque iacentes.
infandum regina iubes renovare dolorem.

in his cum alter semipes et tertius haud dubie referre debeant anapaesticos numeros, propria primi pedis libertas legitimam turbat severitatem. quamquam quo quis perfectior fuit in arte, eo diligentius trithemimeris proprios custodierunt numeros. itaque Ovidius in primo Metamorphosium ter non saepius versibus istis dactylicam vocem admisit sic [124; 541; 722] '*obruta sunt pressique iugo*' '*ocior est requiemque negat*' '*excipit hos volucrisque suae*'. idem Artis amatoriae primo et Lucanus Pharsaliae decimo nusquam admisere similia. at Claudianus carmine de Manlii consulatu bis legem migravit ita [268; 279] '*fortibus haec concessa viris*' '*notior est Helicone domus*'. vitiosior autem longest admissus sede prima spondeus, ideoque rarissimus, velut habes in Horatii satura II l. I [6]:

frigus quo duramque famem propellere possit.

qui tamen versus nescio an sit ab interpolatore additus.

Iam monometri anapaestici eius, qui secundam inter arsin et quartamst collocatus thesin, ut enarremus modulos, cum haud dubie legitimis satisfaciant numeris versus et hic:

despiciens mare velivolum terrasque iacentes

et talis:

infandum regina iubes renovare dolorem,

quaerendum erit, cur plerumque generi priori praelatum sit posterius. quod ego eandem ob causam venisse reor, propter quam noluerunt Latini pedes hexametri quintum et

sextum constare uno vocabulo. etenim qui in maioris ordinis exitu verbum adonio metro par non tolerarunt, vix potuere admittere in hephthemimeris fine quae paria essent vel maiora vel una tantum mora breviora. scilicet eadem ratione in senario iambico evenit, ut pariter cum hephthemimeri aut post quartum aut post quintum semipedem finiretur pars orationis, nec nisi raro in loco caesurae consisteret verbum ditrochaeum aut plus spatii complexum. quippe vel in semiquinaria metri heroici, quae longe agitat liberrime, verba plus quam choriambi spatium complexa suptilissimus quisque poetarum vitarunt. nam et eandem ob causam fuit usitatum Horatio in fine versuum systematis nexorum, quamquam parata venia, abstinere verbis similibus ambitu, quae sicubi admisit, legitima fere firmavit excusatione, ut in illo [c. IV, 11, 27]:

Pegasus terrenum equitem gravatus
Bellerophonten.

quid quod Seneca in Hercule furente trimetros ter deciens. non amplius. tetrasyllabo finivit vocabulo. octiens quidem illo proprio? nam quod severius longe normam istam servaverunt in hexametro quam ceteris versibus, non poterit esse mirum ei, qui sciet metra, quo frequentiore adhibeantur usu, eo diligentius perpoliri. hac igitur sola ratione evenit, quod plurimi poetae declinarunt versus tales:

despiciens mare velivolum terrasque iacentes.
percutiet nec opinantem vis flammea caeli.
Aeneas Anchisiades et fidus Achates.

qualia cum admiserint versificatores nec ipsi ignobiles, hactenus id excusatur, quod non perinde in ordinis alicuius quam totius versus fine polysyllaba vitari oportuit. apparet autem, si non adsit tertio pedi trochaeus, potiorem longe hanc esse formam, qua per choriambicum verbum seu molossicum efficitur hephthemimeris, ut puta:

despiciens mare *velivolum* terrasque iacentes,

non per longiora, ut in ceteris exemplis, quae modo apposui.

Iam omissa trithemimeri intellegitur valde durum illud in Aeneidos III [61]:

linqui pollutum hospitium et dare classibus austros.

ubi spondei primi tarditas aegerrime coit cum sequentibus, quae quidem ipsa trithemimeris defectu sunt deformia. scribendum haud dubie, id quod fertur in libris nonnullis, *linquere.* — nec est quod pluribus demonstrem vitiosa haec:

sed quae *corpora* decedant in tempore quoque.
relligi*onibus* atque minis obsistere vatum.

neque melius multo habebit res. si secundo in pede ponatur verbum trochaicum. etenim cum insequenti iambo, ut qui non constet verbi fine, nulla insit vis ad iugandam, quae praecedit, brevem, iam adonio initiis metri orto subsistet numerus in altero trochaeo. quae non concessast Latino hexametro distinctio. quare nec talia fert ars Romana:

ex ocu*lisque* vetustatem subducere nostris.
una Eu*rusque* Notusque ruunt creberque procellis.

et iam nisi fallor apparebit, cur plerique poetarum, supra ut docui, in caesura hephthemimeri non aliud verbum tertio finierint trochaeo quam quod certe etiam secundum expleret pedem. scilicet cum iambo in hephthemimeri collocato traheretur cum brevi syllaba tertii trochaei totum, cui adnexa esset, verbum, sic demumst effectum, ne in duas partes non permissas lege dissolveretur ordo. praeterea cum verba adonium aequantia in fine versuum parum habeant loci, minusque etiam in hexametro, de quo nunc agitur, ubi optinet semiseptenaria, eo frequentius eadem quibus conveniunt sedibus adaptari iustumst. ita licentiam lege, damna lucris compensat ars Latina.

Porro foedissimum longest ineptissimumque post tertium pedem finiri vocabulum. quod ubi acciderit, dactylico sic eveniente numero in aequas partes versus dissolvitur, ita ut legitimae elegantiae nullum iam servetur vestigium. Ennio tamen condonanda haec:

corde capessere. *semita* nulla pedem stabilibat.
sparsis hastis *longis* campus splendet et horret

Restat ut de eis versibus dicam, qui solam habent incisionem trochaicam. hi ob causas supra propositis similes magis etiam cavetur ne habeant dactylum aut trochaeum, qui praecedit, dactylico aut trochaico verbo constantem. nec magis a simplicitate iudicandist alienum quarto trochaeo orationis partem terminari. igitur rarissimumst apud bonos

auctores et vix auditum, quod habes in primo Odysseae versu:

ἄνδρα μοι ἔννεπε | Μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλά.

secundam ac tertiam exceptionem uno exemplo, sed sine exemplo, coniunxit Horatius:

dignum *mente* domoque | le*gentis* honesta Neronis.

saepe autem talia invecta librorarium culpa aut grammaticorum. veluti in epistula Didus Ovidiana [7, 17] cum tradita sint haec:

alter amor tibi est habendus et altera Dido,

male illi, qui scripserunt *tibi restat habendus.* reponendumst *tibi erit captandus.*

Alia autem quaedam, ad rythmos hexametri mediae partis quae pertinerent, supra, cum de caesuris agerem, rettuli.

Iam in pentametro illud tantum erit suptilius declarandum — nam cetera cum hexametro plane conveniunt —, cur praestantissimus esse putetur is finis, qui vocabulo constet iambico.

Igitur huius versus pars altera cum quarto quintoque dactylo et arsi ultimae hexametri aperte respondeat, non poterit esse mirum Graecos et Latinos assimulare minoris numeri exitum maiori. unde pro relicuis placitis Graeci quidem sat licenter habuere illum, at Latini severissime. nam cum legitimi hexametri fines sint tales '*corpora formis*', '*unde Latinum*', postrema recisa syllaba natum hunc '*corpora dant*' ineptum fuisse pentametro secundum ea, quae supra de ordinis exitu anapaestico proposui, facile apparet. igitur sola remanet heroici versus species altera '*unde Latinum*', cuius dempto fine iustus eveniet modulus '*unde tui*'. tertia enim hexametri forma, quae talis est '*nam neque Pindi*', cum apud praestantissimos auctores raro reperiatur, simile huius velut tale '*nam neque te*' in pentametro longe etiam minus optinere aequumst. ceteri vero moduli exeuntis versus elegiaci ob id ipsum sunt deformes, quod addita syllaba in heroico metro habentur vitiosi. igitur non possunt admitti in illum verba plus quam disyllaba nec trochaei quarti thesis prior brevi monosyllabo constabit

nisi praecedente monosyllabo. nam sic pentameter terminatus '*reiciet quid amans*' tam esset foedus quam hexameter clausus ita '*reicient quid amantes*'. ceterum omnia heroici metri comparatione tam facile pro se quisque enucleabit, ut pigeat verbum addere.

Nunc occasio incidit disputandi de hexametri pentametrique Graecorum et Romanorum rationibus ac differentiis, quas ira aut studio plerique aestimantes laudando vituperandoque fuere nimii.

Ac primum quidem quae de finiti ordinis principali lege exposui cum plane ad omnem pariter artem metricam veterum pertineant, non erit mirum illas partes, quae caesura hexametri pentametrique finiuntur, omnino apud utramque gentem isdem teneri observantiis, ut tamen Latini hac in parte severiores fuerint et constantiores. nam Graecis obstitit praegravis Homeri auctoritas. verum ut aliena in fini versuum norma servaretur, id inde venit haud dubie, quod cum hexametri caesuram tertiam trochaicam apud Latinos nulli simillimum locum optinere supra probarim, ea apud Graecos praeter semiquinariam virilem paene sola fuit usurpata. hinc apud Latinos partes caesurae obnoxiae aut finitimae cum omnino anapaesticum referrent numerum, at trochaicum plerumque et iambicum apud Graecos, illis, ut dactylici versus proprietas servaretur, dactylicum finem severe optineri par fuit, Graecos anapaesticum rythmum aptissimum isti metro, sed plerumque a tertio pede exulantem, quinto et aliquando sexto loco adhibere aequum erat. haec autem norma vetustissimis temporibus cum utique ad eos tantum versus fuerit adhibita, qui haberent caesuram muliebrem, deinceps quod latius pervagatast vivido usu, non magis mirum, quam quod e contrario ob legem tertii trochaei respectu natam vitatus est a plerisque quartus trochaeus etiam eis in versibus, qui haberent semiquinariam virilem.

Mox pro diversis hexametrorum modulis varia pentametris conciliata libertas.

Quare satis inepte fit, quod vulgo eximia quadam elegantia Romanorum dicitur evenisse, tam anxie hexametri pentametrique finientis leges vulgo notae ut servarentur, cum potius sit dicendum praeclaram illam mediocritatem et

sobrietatem, quae ut semper apud Latinos, ita plerumque optinuit apud Graecos, cum maxime comprobari diversitate formarum, quas nobilissimis istis versibus utraque gens indiderit. nam contrariis quidem usi rationibus et viis aequabilitati numerorum et varietati non minore arte prospexere, qui molliculam medii metri incisionem firmarunt anapaestis admissis ad ultimum. quam qui virilem illam temperavere praelatis in fine dactylo et trochaeo. quare hanc solam laudem esse dicemus Romanorum, quod melius est sane optineri in fine versus proprios eius numeros quam alienos. sed videndum, ne, quantum hinc accedit decori illorum, tantum iam perdant caesurarum uniformi nimis aequabilitate. etenim sicut minime negabitur divisiones trithemimerin, penthemimerin, hephthemimerin cum per se esse magna vi et firmitate, tum magis observantiis, quas Romani in eis sanxere, ut versus illis muniti ipso robore digni esse videantur Martigena populo et urbe. cui Valentiae esset nomen, ita nimis imminuta atque adeo exclusa caesura trochaica. quod gravitati carminis addiderunt, detraxerunt eidem lepori ac varietati. nam et similiter admissis omnino sive vitatis in fine hexametri polysyllabis utra plus laudis gens meruerit non comparet. — atque idem iudicium ferendum de pentametris utrorumque.

Restat ut demonstrem, quatenus optimi auctores normas modo propositas sint secuti.

Itaque secundo pede hexametri verbum dactylicum et aliquando spondiacum admisere vetustissimi Ennius, Lucilius, Lucretius, Tullius. at Catullus, Horatius, Cato, Vergilius, Propertius sola recepere dactylica, sed vel haec praeter Horatium rarissime. verum apud insequentes classicorum nusquam reppereris similia. nam quod semel Iuvenalis habet tale [10, 331] '*destinat. optimus hic et formosissimus idem*', licentia excusatur satirica. apud Manilium quod fertur [III, 603; 4] '*quaeque super signum nascens a cardine primum tertia forma est*', ponemus id, quod optime convenit eis, quae praecedunt, '*forma erit*'. nam saepe in libris permutata illa *est, erit* [cf. Lachm. ad Terent. 2756]. ceterum vel hinc apparet Culicem non posteriore quam Augusti aetate scriptum, in quo legitur principio metri [238] '*inplacabilis*

ira nimis'. deinde aliquotiens Terentianus dactylum spondeumve adhibuit secundae sedi, sed plerumque in vocabulis ad artem pertinentibus. e ceteris abstinuere simili inelegantia Boethius, Avienus, Prudentius, Avianus, Martianus, Sedulius, Sidonius, Maximianus, Eugenius, Octavianus nec non auctores carminum de Phoenice et de concubitu Martis et Veneris et qui epistulam Didus ac verba Achillis in parthenona heroico conscripsere metro. nam quod legitur apud Sidonium [paneg. Maior. 571; eucharist. ad Faust. 83] '*polleat. attamen hic nuper, placidissime princeps*' et alibi '*omnibus attamen his sat praestat quod voluisti*', diducendum fuit *at-tamen*. at Sedulii versu quodam pro eo, quod vulgo fertur, *istic* reponetur brevior forma ita [IV, 122] '*nam socia stic puppis erat*'. quippe et Paulinus rarissime simile admisit vitium et apud Priscianum quae inveniuntur a nominibus propriis et Graecis paratam habent veniam. sunt enim haec [302; 758; 985] '*atque Geloni cum*' '*atque Carambidis irrumpit*' '*hic actites est*'. itaque semel Ausonius [de clar. urb. 13, 1] '*nec tu Martie Narbo silebere*'. nam carmen de signis caelestibus, quod in eclogario eius olim fuit [anthol. 679 R.], praetereo. denique Arator [I, 1004]:

Venatorumst dicta domus.

Longe etiam Latini severius a pentametri pede secundo dactylicas et spondiacas voces exclusere, in quo praeter Catulli et Paulini quaedam exempla migrari legem non memini.

Iam in tertium pedem Ennius et Lucilius quod semel bisve admisere vocem dactylicam spondiacamve, habet id ab initiis pubescentis artis veniam. at hercule post hos alibi apud classicos consimile ubi prostet exemplum exceptis binis Lucretii [I, 570; IV, 491] et Horatii [ep. I, 18, 52; II, 3, 41] versibus plane mihi ignotumst. quae quasi miracula adscribenda duxi. sunt igitur haec '*at contra si mollia sint*', '*et quaecumque coloribu' sint*' '*possis. adde virilia quod*', '*nec facundia deseret hunc*'. tum semel Terentianus [1960] '*fabula sic Euripidis inclita monstrat Orestes*' et eadem tutus excusatione Priscianus [412] '*Arcades Apidanei sub scopulis Erymanthi*'. at pessime habet quod vulgo tribuitur Paulino tale [21, 46]:

quaeque suis proprie egerit hic in sedibus edam,

cum sit unice verum quod est in libro scripto '*gerit*', cui respondet in proximis additum illud '*quae — agit*'. tamen Iuvencus [IV, 641; I, 466] '*hoc pretium pretiosi corporis instituentes*' '*post fratres Iacobum Ioannemque marinis*'. hinc est explicandum quod dicit Ausonius in epistula ad Paulinum [20, 1]:

Paulino Ausonius. metrum sic suasit, ut esses
tu prior et nomen praegrederere meum.

At e versibus trochaica distinctione diremptis longest inelegantissimus Flacci [ep. I, 9, 4] '*dignum mente domoque legentis honesta Neronis*', qui multiplicato exitu languet trochaico, non tamen sine consilio aliquo adhibitus. sed ut hunc mittam, aut in secunda sede aut in quarta pariter cum ista quam dixi caesura etiam admittunt trochaeum Horatius, Vergilius extra aeneida, Ovidius in Transformationibus, Propertius, Manilius, Statius, Terentianus, Sedulius, Priscianus, sed omnes rarissime nec fere citra legitimam excusationem. veluti duos non amplius tales habet versus Ovidius [V, 625; X, 95]:

et bis io Arethusa vocavit, io Arethusa.
et platanus genialis acerque coloribus inpar.

quorum alter nominibus propriis, alter enumeratione rerum mitigatur. et priore quidem loco habent codices, quod sane ferri non potest, *et bis io Arethusa, io Arethusa vocavit.* semel ponit Manilius tale cum elisione [II, 704] '*et similis sibi mundus et omnia in omnibus astra*', semel Sedulius ita [I, 323] '*debet scire* '*sumusque*' *Sabellius esse fatendum*' et Priscianus [525] '*Aegylaque, inde Cythera, Calauria dura colonis*'. abstinuere trochaeo altera sive quarta sede collocando cum Catullo plerique poetarum classicorum post Augusti aetatem qui vixere, praeterea e christianis Ausonius, Prudentius, Avienus, Sidonius, denique Octavianus et qui scripsit epistulam Didus supra memoratam. dubium a librorum memoria, quod dedit apud Calpurnium Glaeserus [5, 17] '*incipient nidosque reversa lutabit hirundo*'; ubi in parte codicum legitur *habitabit.* fortasse scribendum: *recens habitabit.*

Iam in fine hexametri quod antiquissimi saepius migraverunt normam posterioribus servatam, id tamen necessitate magis quam voluntate aut imitatione Graecorum admisisse

sunt existimandi. quam rem statim probabo exemplis. velut cum Lucretii libri primi versibus a primo ad ducentesimum decimum quartum habeas laesarum legum quas supra proposui exempla XXII, at hercule in Iliadis initii totidem versibus sunt numero LXVIII. tum in ultimi voluminis primis centum Homerus viciens septiens, ille deciens migravit regulam.

Igitur vetustissimi cum saepe neglexissent legem, facilius quidem quinto quam sexto pede, longe tamen aliam rationem tenuere neoterici, quod et Catulli carminibus apparet et Varronis, cui ab Atace nomen, fragmentis. e quibus ille exceptis versibus spondiacis, quos arte et consilio concinnavit, non amplius triciens semel legem invertit, quinquiens deciens in nomine proprio. intendere rem insequentis aevi poetae et primus horum Vergilius, cuius merita in artem metricam Latinorum ea maxime re continentur, quod aequalitatem numerorum hexametri, de qua supra dixi, iam firmatam a novellis poetis exemplo suo et propria auctoritate comprobavit insequentibus. igitur inde ab hoc id tenuere poetae classici exceptis satiricis, ut et rarissime nec umquam fere nisi legitime concessa venia finientis hexametri laederent regulas. maxime autem placuit discedere a sueto usu in exemplis, quae praeisset Vergilius, sicut apud Graecos pleraque exceptionum in Homericis tolerarunt.

Sed singula antequam declarem additis exemplis, dicendum quam recte vulgo statuatur vel a cultissimis auctoribus, ut aut gravitatem aut ridiculum adderent numeris, finitum esse interdum hexametrum monosyllabo verbo, cui praecederet polysyllabum. quod cur irrideatur ut absurdum a Madvigio [bem. üb. verschiedene punkte der lat. sprachl. p. 87], equidem non intellego. etenim cum miraculo improviso remissos percutiat animos numerus in ipso fine alienus, apparet non gravia minus quam iocosa eo posse exprimi. quis enim ignorat extrema quaeque haud raro esse affinia interse et contigua? — ac tamen res ipsa, prout vulgo circumfertur, non quidem ineptis, sed falsis nititur rationibus. quae quomodo habeat, iam aperiam. itaque cum apud Homerum extent quaedam metra finita monosyllabo cum accedente polysyllabo, quae possint videri supti-

lius rimanti cum studio esse affectata ad maiestatem violentiamve addendam orationi, qualia sunt [od. V. 294; I. 62; il. XI, 72; XVI, 156] 'ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ', 'τί νύ οἱ τόσον ὠδύσαο. Ζεῦ', 'οἱ δὲ λύκοι ὥς'. Vergilius id sibi non neglegendum ratus eodem modo, aliquando contrario adhibuit. sed ex insequentibus similia qui admiserit non invenio praeter singula Horatii et Ovidii carmina, quae quidem aperte huius aemulatione sunt composita. sunt enim haec [ep. II, 3, 139; met. VIII, 359] '*parturiunt montes, nascetur ridiculus mus*' et porro '*in iuvenes certo sic impete vulnificus sus*'. quibus sunt expressa Maronis talia [georg. I, 181; aen. III, 390; VIII, 43] '*tum variae inludunt pestes. saepe exiguus mus*' '*litoreis ingens inventa sub ilicibus sus*'. nam de imitatione cogitandum esse non verbis modo paribus atque artificio metrico, etiam homoeoteleuti simili observantia convincitur. quid quod Horatii quidem versum aemulatione prodisse Vergilii disertis verbis testatur Quintilianus [VIII, 3, 20]? sed enim insequentium non magis quam vetustissimorum quisquam similibus est usus facetiis. ceterum quam acerrime vitandum, ne unius exempli aut alterius fallaci decipiamur specie. veluti cum Ennii Lucretiique tales sint numerorum exitus '*summa nituntur opum vi*', '*quae cum animi vi*', '*horrens Arcadius sus*', describuntur sane illis et violentia quaedam et horror, verum ea non metricis rationibus declarantur, sed vocibus, quae sunt *vi* et *horrens*. quis enim credet Ennium ac Lucilium vel Homerum, qui minime sunt suspicati de lectoribus philologis, aut voluisse aut potuisse semel vel bis indicare insolentiam quandam orationis versuum exitu eo, quem alibi saepe in oratione quam maxime simplici et quieta adhibuissent idem. ceterum satis constat Vergilium quaedam talium exemplorum de horum poetarum carminibus proprios in libros ad ornandum poema transtulisse.

Eundem cognitu haud absurdum etiam quinti pedis licentia uti ad gravitatem viresque conciliandas orationi velut:

nec rapit inmensos orbes per humum neque tanto
squameus in spiram tractu se colligit anguis.
Caulonisque arces et navifragum Scylaceum.
aeriae quercus aut coniferae cyparissi.
lamentis gemituque et femineo ululatu.

ita indignationem pulchre expressit versu isto:

et nunc ille Paris cum semiviro comitatu

nec minus dolorem alibi:

socii multo gemitu lacrimisque
inpositum scuto referunt Pallanta frequentes.

Sed age iam in viam redeuntes, quod validissimum in re nostra, exempla producamus laesarum exeuntis hexametri legum.

Igitur Vergilius sextae sedis normam versibus amplius XL cum migrasset, at hercule Ovidius non plus undeciens, ceteri etiam maiorem longe adhibuere cautionem. et Maronis quidem aemulationem tam aperte prae se ferunt plerique, ut aliquando versibus illius ad ipsorum emendandos possis uti. veluti cum in Thebaide Statii legantur haec [V, 140]:

quin o miserae, dum tempus agit rem,
consulite. en validis spumant eversa lacertis
aequora. Bistonides veniunt fortasse maritae,

non potest esse verum illud '*tempus agit rem*', quippe quo id solum significetur prospera iam occasione rem posse geri, quod alienum esse ab sententia et verbo, quod est *tempus*, notari spatium seu facultatem totius loci, unde haec sunt sumpta, declaratur nexu. itaque scribendum '*dum tempus agi rem*'. quod cum sensuum probabilitate restituerimus, magis etiam placebit conferentibus, unde ductumst, Vergilianum illud [aen. V, 638] '*hic domus est, inquit, vobis. iam tempus agi res*'. ceterum de Statio ne nunc plura afferam, non tamen dissimulabo deterius etiam quam illud *agit* habere quod legitur paulo post *exire* in hisce [149]:

idem animus solare domos iuvenumque senumque
praecipitare colos plenisque adfrangere parvos
uberibus ferroque omnes exire per annos.

quae donec quis explicaverit apte, reponendum esse contendam una mutata litterula *saevire*. — igitur semel a Propertio habes laesam sexti pedis artem exitu hoc '*amor qui*' — quamquam puto haec verba corrupta —, semel a Gratio tali '*valet res*', semel a Lucano ita '*tabificus Seps*', porro a Nemesiano '*montivagus Pan*', bis a Silio '*deum gens*', '*agunt nos*', bis a Sammonico '*aerium mel*'. '*restituit rem*',

ter a Valerio '*agat vis*', '*virum vi*', '*magis vis*', quater a Statio '*canum vim*', '*riget Sphinx*', '*agi rem*', '*cadit Sphinx*', quater a Claudiano, scilicet bis '*occiduus sol*' et singulis exemplis '*divitiis mens*', '*perspicuus fons*', denique quinquiens a Germanico, duriore poeta, '*posterior pes*', '*oceano bos*', '*brevis lux*', '*aquae mons*', '*venit nox*'. nec frustra a me apposita sunt exempla, ut gnari Musae Maronis statim deprehendant similia. abstinuerunt ultima sede violanda Cato, Tibullus, Manilius, Calpurnius, Homerus Latinus, Columella, Petronius, Namatianus, auctor Aetnae et qui scripsit carmen ad Pisonem.

Iam quinti pedis regulas cum Vergilius circa CXX laesisset exemplis — quibus et ea attribui, ubi constat versus finis verbo pentasyllabo vel tetrasyllabo, non ubi choriambico et monosyllabo —, Ovidius vix laesit octoginta, e quibus L ad Metamorphoses pertinent, tum Manilius deciens octiens, cuius exemplorum unum de coniectura restitui. nam quod legitur apud hunc l. III [423] '*quodque his exuperat demptis, diducito in aequas sex partes*', non est credibile *diducito* correpta ultima a Manilio esse adhibitum, ut pro eo quod in codicibus extat *idducit* scribendum sit potius *diduc id*, quod traxit corruptelam a pronomine *t* littera scripto. at e relicuis Martialis XXXVII exemplis artem migravit plerumque verbis adonium metrum sive dispondeum aequantibus et quidem triciens bis nominibus propriis aut Graecis. tum Statius legem movere ausus deciens noviens, deciens sexiens Silius, deciens quater Valerius, duodeciens Claudianus. minus modesti fuere Germanicus et Serenus et Terentianus, sed plerumque in vocabulis ad artem spectantibus. longe autem cautiores illis fuerunt alii. igitur semel Petronius deseruit legem ponendo [124, 279] *Appennini*, semel Calpurnius verbo [2, 94] *Alphesiboeus*, semel auctor ad Pisonem ita [126] '*ut pudibundos*'. auctor Einsidlensis abstinuit a violandis hexametri in fine numeris.

Ambigitur de Symphosio. nam opusculi, cui inscribitur 'lagena' [81 ed. Ries.], v. 3 turbatum olim finem demonstrat codicum dissensus. ubi cum melior traditio videatur esse haec:

dum misera cecidi, mater mea me divisit

(recte docti *misere*), reponendum existimo *mater me diva revisit.* scilicet ante in apotheca recondita erat lagena. magis etiam dubia res in altero carmine [96 R.], quod quidem in plerisque omittitur libris. cuius ultimus versus fertur talis:

sublatis septem reliqui tibi sex remanebunt.

ubi fortasse reponendum *reliqui tibi quinque manebunt;* quamquam sensus nondum satis expeditus.

Porro Homerus Latinus in fine metri habet haec [168; 986] '*Prothoenorque Cloniusque*', '*moveat tua Peleus*'. atque ita Namatianus [I, 239; 585; 637; II, 33] '*amphitheatrum*', *praefecturam*', '*Oarioni*', '*Appenninum*'. denique pepercere omnino quinti sextive pedis legibus invertendis Nemesianus in Cynegeticis, Palladius, Merobaudes, Boethius, qui Nucem scripsere et Priapea et laudes Herculis atque elegias de Maecenate ac Maevio. — at christiani auctores satis variis sunt usi in re eadem iudiciis. nam quidam eorum, versificatores haudquaquam spernendi, tamen ex hac parte remisere artem, paene eadem qua Lucretius libertate ut uterentur, exclusis sane plerumque ab ultima thesi monosyllabis, quorum in numero fuere Prudentius, Ausonius, Paulinus. quod contra Venantius, Prudentio longe alioquin inferior, multo acriorest usus cautione. porro Avienus et Sidonius ac Priscianus non dissimili illorum cum rem gerant ratione, at classicorum hercule praestantissimos aemulantur modestia Sedulius, Arator, Martianus, Reposianus, auctor Phoenicis. e quibus semel Arator laesit legem in verbis Paulli apostoli sic '*video clamans caro menti*', semel scriptor Phoenicis '*geminos hyacinthos*', quater Martianus '*Calliopea*', '*das tetrachordon*', '*sacer νοῦς*', '*fontigenarum*', Sedulius equidem deciens sexiens, sed tantum non semper in nominibus propriis aut oratione bibliorum. omnino abstinuere licentia ista Avianus, Luxorius, Maximianus, Eugenius, Octavianus, denique qui epistulam Didus scripsit metro heroico.

Restat ut de spondiacorum versuum arte pauca disserantur, quos claudendi verbis tetrasyllabis ut vulgatissima, ita utilissima longest ratio, quippe quae et gravitatem habeant duplicato spondeo et mollitiem amplitudine spatii.

proximumst bonitate molossicae parti in fine collocatae praeire talem, quae choriambica mensura non sit minor. non perinde bene res habebit, si brevius praecedet vocabulum, sed et peius est in thesi extrema adesse monosyllabum. quod contra non malus est versus, sed nullus, si aut quintus pes aut sextus spondiaco verbo seu continuis monosyllabis continetur. quippe ita diremptis partibus tota comparet spondiaci numeri quinta sede locati asperitas et tarditas, quae minuitur scilicet finalibus pedibus mixtis et confusis. ob eandem causam a quinta sede exulabit vocis plus quam disyllabae spondiacus exitus.

Igitur spondiazontas versus verbis tetrasyllabis (et quidem saepe *Appennini* vocabulo usi et *Orionis*), ut relicui plerumque, ita semper conclusere Cato, Horatius, Propertius, Manilius, Germanicus, Valerius, Claudianus, praeterea trisyllabis praecedente vocabulo minimum choriambico Ovidius, Lucanus, Statius, Silius, Martialis, Ausonius. quibus vides convenire cum neotericis Graecorum, de quibus dixit Lehrsius quaestionibus epicis [p. 309—313]. at monosyllabo terminati metri haec potissimum inveni exempla. primum habes apud Ennium tale [203]:

dono ducite doque volentibu' cum magnis dis

et porro apud Lucretium [II, 615]:

matris et ingrati genitoribus inventi sint.

eadem licentia non recte credunt plerique promiscue usum esse Maronem. nam quod bis eam admisit exemplis talibus [aen. III, 12; VIII, 679] '*cum sociis gnatoque, penatibus et magnis dis*', '*cum patribus populoque, penatibus et magnis dis*', vides expressisse illum totidem verbis Ennianum, quod modo attuli. praeterea Iuvenalis satirica usus lascivia dixit [3, 273] '*et subiti casus inprovidus, ad cenam si*', atque ita Terentianus [1592] '*spondeis illum primo natum cernis sex*'. alia exempla non memini. at disyllaba quinta sextave sede admissa an possint tolerari in Homericis etsi nondum satis constare dixit Hauptius [prooem. Berol. aest. 1855 p. 12], tamen assentiendum existimo Bekkero, qui illa recensione sua removit, quoniam haec exempla non maiore opera quam siqua inveniuntur alibi potuere tolli. veluti

quod legitur apud Aratum in fine versus ἵππου κρήνης, unius illud est instar vocabuli, unde etiam a Germanico ponitur in metri clausula [221]. ceterum apud Latinos cum ne specie quidem ac simulacro existant a normae firmitate aliena, tamen, grammaticis quibusdam si credes, et Catullus et Vergilius et quis non? istos numeros comprobarunt. veluti Vahlenus Ennio talem attribuit versiculum [126] '*Floralemque Falacrem et Pomonalem fecit*'. porro Ribbeckius in Emendationibus, quas vocavit, Vergilianis — eae a. 1858 Ienensium saecularibus academicis dicatae — hunc addidit Maroni [aen. IX, 66] spondiazontem '*qua temptet ratione aditus et qua vi clausos*'. sane similes Marii Plotii [pg. 2630 sq.] vel Aldhelmi [pg. 236 sqq. ed. Giles.] feruntur errores.

Igitur apud classicos poetas non magis quam apud christianos inveniuntur versus tales, nisi semel in Apotheosi Prudentii [266]:

ultra principium deus egerit aut quo pacto.

id tamen inde habet veniam, quod ut formula in unum coaluit verbum illud *quo pacto.* scilicet hoc veterum plurimo usu fuit tritum, cum non perinde placeret medii aevi librariis, qui aliquando per ignorantiam depravarunt, ut in epigrammate, quod Q. Ciceroni adscribitur vulgo [3 sq.]:

femina nulla bonast, vel si bona contigit ulla,
nescioquo pacto res mala facta bona.

ubi codices habent *nescio quo fato.* — ceterum Prudentii exemplo non credo posse defendi Lucretii metrum tale [II, 309]:

omnia cum rerum primordia sint in motu,

quod probabiliter Lachmannus traiectione usus vocabulorum constituit ita [pg. 110]: *omnia cum sint in motu primordia rerum.*

Iam in pentametri alterius partis fine Catullus quod noluit esse diversam multo artem quam in prioris, non erit mirum reputantibus Ciceronis demum aetate increbuisse metri elegiaci usum. similes autem huius distichorum, quae sunt in libro κατὰ λεπτόν, auctores ac Propertius in libris prioribus tribus. at diversi multum Tibullus et Ovidius ac mox elegantissimus quisque auctor iambico potissimum vel

pyrrichiaco verbo voluerunt finiri pentametrum. nec tamen perinde atque in hexametri exitu legis servata severitas. quod non puto inde repetendum, quasi timuerint poetae, repetito usque eodem modo concludendi versum ne lectorum fatiscerent animi aequabilitate sonorum, sed potius ipsa difficultate operis et penuria vocum disyllabarum. sed iam singula videamus.

Igitur primo loco notandum a Propertio in quarto libro raro finiri pentametrum orationis parte plus quam disyllaba. multo etiam rarius id fit in quinto; veluti in elegia ultima, cuius versus sunt CII, ubique in exitu vocabulum invenitur iambicum sive pyrrichiacum. atque consolationis ad Liviam auctor. qui eum in re metrica aliquando imitatur, semel, non saepius, versum habet talem [390]: *summaque dispersi per iuga Pannonii.* at Tibullus cum Lygdamo et Sulpicia non nimis infrequenter admittit licentiam, de qua agitur. quam Ovidius in libris ante exilium scriptis adeo studiose vitavit, ut in Epistulis, quarum dubiast auctoritas, vix ullum sit certius signum artis ab illo alienae quam quod singulis locis carminum Hypermestrae ac Paridis Helenaeque et Herus ea regula migratur [XIV, 62; XVI, 288; XVII, 16; XIX, 202]. verum idem Ovidius quae post fugam composuit, paullo habuit liberius, in quibus sane verba hyperdisyllaba versibus minus L idem adhibuit. quantillum tamen hoc est in tot millibus? hic quam amatoriis carminibus normam optinuit, probavit qui scripsit elegias de Maecenate, in quibus pessime habet quod dedit Meierus [110, 12] '*et morior, dixit, dum morior. satis est*', nec non auctor Nucis. aetate ille compar Ovidio, tum Avianus et Arator. quibus proxime accedit cura similis Palladius, qui semel [100] invertit artem verbo tetrasyllabo. ita et semel Boethius [IV, 4, 10] '*non est iusta satis saevitiae ratio*', porro octiens similia auctores Priapeorum in pentametris C, at in CCCLVI quindeciens Namatianus, tum Petronius quinquiens. — sed hos longe superavit Venantius, ut qui in voluminibus Miscellaneorum primo quintoque sexiens, in libris de excidio Thuringiae ter concluserit pentametros voce plus quam disyllaba. cuius ne Martialis quidem aequavit elegantiam, qui in Xeniis et Apophoretis, quorum sunt pentametri CCCLVI. migravit Na-

sonis normam viciens. minus aliquanto fuerunt anxii ceterorum plerique, e quibus tamen Luxorius et Maximianus propius accedunt ad placita optimorum auctorum.

Restat ut moneam perpaucos et legitima plerumque, quae ab enclisi vocum oritur, venia tutos sustinuisse collocare in fine pentametri verbum monosyllabum plus quam monosyllabo praecedente. itaque Catullus semel concesso modo tale admisit ita [76, 8] '*dictaque factaque sunt*', neque aliter Ovidius [e. e. P. I, 6, 25]:

> quidquid id est, ut non facinus, sic culpa vocandast.
> omnis an in magnos culpa deos scelus est?

et Claudianus [60, 7]:

> mira silex mirusque latex, qui flumina vincit
> et lapides merito, quod fluit et lapis est.

tum Martialis praeter similia exempla adhibuit quaedam liberiora [I, 32; VII, 75, 2; XII, 47, 2]:

> non amo te Sabidi, nec possum dicere, quare.
> hoc tantum possum dicere 'non amo te'.
> res perridiculast. vis dare nec dare vis.
> nec tecum possum vivere nec sine te.

quibus addendumst durius aliquanto illud [X, 16, 8]:

> quidquid habent omnes, accipe quo modo das.

res eo gravior, quod illud *quo modo* unius fere verbist instar. cui tamen hac re conciliatur venia, quod totius, in quo situs est versiculus ille, epigrammatis lepos in dandi donandique verbis sonstat. sed abstinuerunt tali modulo longe plurimi: Tibullus, Propertius, Petronius, Seneca, Namatianus, Vergilius et auctores Priapeorum, Prudentius, Sidonius, Maximianus, Luxorius. — hactenus de fine pentametri.

Ceterum si quaeretur, cur exeuntis metri leges non ea, qua medii, severitate fuerint servatae, id vero inde venit haud dubie, quod neglecta prioris partis norma cum grammatico accentu rythmicus consentit, at posterioris partis migrata arte diversus fit alter ab altero, quod pro principali artis veteris proprietate facit ad elevandam mitigandamque licentiam alioquin iniucundam.

Sed ut taediosissimi libri longas moras in quantum poterit fieri comminuam, missis metris dactylicis, quorum

facile rationes similitudine hexametri expedientur. statim senarii iambici modulos rythmicos, mox logaoedicorum versuum quosdam, ut quisque nobilitate idoneus, enarrabo.

Igitur in trimetro pro varietate incisionum legitima exempla erunt talia:

paterna rura | bobus exercet suis.
roges tuum labore | quid iuvem meo,

positis scilicet in finibus ordinum verbis trochaeo sive iambo exeuntibus sive binis monosyllabis. praeterea facile computabitur, receptis ob solutam arsin sive admissam syllabam communem novis pedibus quonam modulo legitimi serventur numeri. at male habent in prioris ordinis fine velut tales:

nec tu negas id. expetent poenas dei.
diris agam vos. dira detestatio.
regnante te vides ut imperium cadat.

e quibus exemplis primum ac secundum similia sunt heroici metri illis, quae habent pede secundo dactylicam vocem seu spondiacam, ultimum eis, quae tertio. fatendum tamen vel apud optimos scriptores inveniri identidem trimetros supra propositis similes, nempe quia talibus admissis optinetur in medio versu accentus poeticus a grammatico discrepans. ceterum hephthemimeris migrari artem, quod non obscuram ob causam longe habet peius quam penthemimeris laesa, rarissimis invenitur exemplis. illud autem non modo inelegans est, sed falsum, spondiaco verbo tertium pedem teneri, quoniam ita plane non licet quarta thesi abstrahi syllabam praecedentem, si sit hephthemimeris. at si post finitum tertium pedem erit incidendum, vides spondiacum haberi caesurae rythmum, qui pariter et a trochaico et ab iambico longest alienus numero. cuius insolentiae quotquot inveni exempla afferam. igitur apud Terentianum versus habes tales [1716; 2243; 2247; 2268; 2288]:

et *de* sequens longam priorem perficit.
Aristophanis ingens micat sollertia.
heroicus quare pedes per singulos.
sed simplici carmen per omne evectus est.
sic creticum siquis velit diiungere.

porro Prudentius in epyllio posuit haec [peri st. 10, 809; 842]:

languetis inbelli fame ac fatiscitis.
manusque tendebat sub ictum vulneris.

at pessime habet ab omni parte, quod circumfertur vulgo in priapeis [63, 1] '*parumst, mihi fixi quod hic miser sedem? agente terra per caniculas rimas siticulosam sustinemus aestatem*'. e quibus primus versus cum talis fere exhibeatur in libris scriptis '*parum est mihi quod hic fixi sedem*', sic videtur esse reconcinnandus:

parumst quod, hic cum fixerint mihi sedem,

tum cetera prout nunc feruntur continuanda. nam mutatum promiscue primam ad personam significandam pluralem numerum cum singulari nemo erit qui incuset. ita enim dixit Tibullus [II, 4, 5] '*et seuquid merui seuquid peccavimus, urit*' et Propertius [I, 1, 33] '*in me nostra Venus noctes exercet amaras*' nec minus Naso [heroid. 5, 45] '*et flesti et nostros vidisti flentis ocellos* [cf. et Persii prol. v. 7]. — praeterea in versu Avieni hoc [644]:

scis nam fuisse eius modi sententiam

eius modi uno vocabulost efferendum. nam et saepius habet numeros tales. abstinuere inelegantia ista, ut classici omnes cum Boethio, ita ex christianis Sidonius, Martianus, Luxorius.

At in finis sive trimetrorum sive dimetrorum observantia tuenda longe severissimos se praebuere plerique. diversa tamen paullum iambo et spondeo exeuntium ratio. nam hipponactios versus cum apud Graecos, ne si praecedat quidem monosyllabum, finiri liceat monosyllabo [Meinek. ed. Babrii p. 160], id apud Latinos plane etiam optinet, ut non possit vox talis collocari in exitu, nisi quando cum priore iure enclisis coalescit. igitur male quidam 2, 4 libelli catalepton Maronis in fine posuerunt *illi sit*. — at enim iambo clausum trimetrum licet monosyllabo finiri, paris spatii vocabulum si praecedat. et substitere in hoc nihil alias licentiae admittentes Horatius, Vergilius, Petronius, Martialis, Boethius, Martianus, Luxorius, auctores Priapeorum. contra admisere monosyllaba, quae enclisi cum polysyllabis praecedentibus coirent, satis quidem infrequenter, Catullus et Seneca et Prudentius ac Sidonius, quibus paullo latius sunt evagati, quamquam commoda plerumque nec ipsi orbi excusatione, Terentianus, Avienus, Ausonius, Paulinus. praeterea in exitu numeri bina iugari vocabula iambica, quod apud

scaenicos vetustos perraro evenire demonstravit Ritschelius [prol. Trin. 210], vel iambicum cum plusquam disyllabo in iambum exeunte, quod non magis est frequens (et pleraque exempla utriusque licentiae corrupta), apud dactylicos non fuit inauditum [ut Hor. ep. 1, 15; 9, 33; 1, 13], qui adeo, si puri et a spondeo alieni ponerentur iambi, aliquando tria in clausula metri copularunt verba iambica [cf. priap. 82, 19; 21].

Denique quod Porsonus observavit in tragicis Graecorum trimetris [praef. Hecub. p. 32 ed. Lips.] paenultimae sedis spondeum non confieri vocibus plus quam monosyllaba et cretica, id non perinde ad Senecam pertinet, non tamen ut ausim affirmare, neglegentiane potius an necessitate huic migretur norma, quippe quam nec frequenter violarit et addita plerumque excusatione. atque eundem, quem tragicis, Archilocho ceterisque poetis iambicis fuisse usum demonstravit Meinekius [praef. Hor. pg. XXXVIII], quem tamen Horatius non observavit nisi in epodo ultimo.

Ceterum quae modo de trimetris iambicis protulimus, ea usquequaque etiam ad tetrametros pertinent trochaicos.

Restat ut logaoedicorum metrorum potissima persequar. quorum artem a Laevio et Catullo vel Horatio novatam, mox saeculi p. Chr. n. primi scriptoribus perpolitam et christiani plerumque diligenter servarunt. quam primi migrasse inveniuntur neoterici, qui saepe per levitatem, aliquando studio ac voluntate leges rythmicas artis veteris mutarunt, cum crederent ut barbari sufficere ad iustos versuum efficiendos modulos legitimas adhiberi quantitates.

Igitur in sapphico metro minore cum Horatius et Catullus non essent passi spondeum secundum verbo constare spondiaco, id studiose optinuere insequentes. nam ex eis, quorum his in libris fit mentio, ne Paulinus quidem vel Ausonius aut Fortunatus hoc migrarunt praeceptum neque auctores hymnorum, qui leguntur apud Danielem [96; 146; 147; 163]. at in exitu metri eiusdem cum Horatius ter collocasset qua non licet condicione monosyllaba exemplis his:

> cardines. audis minus et minus iam.
> sed palam captis gravis, heu nefas, heu.
> alme Sol, curru nitido diem qui,

ne Seneca quidem id admisit saepius, cuius sunt haec [Troad. 1018; Herc. Oet. 1543]:

> nemo se credet miserum, licet sit.
> iusserint nasci. iacet omnibus par,
> quem parem tellus genuit tonanti.

quae antitheti figura seu repetitis excusantur vocabulis. semel etiam vitiose Paulinus [17, 145]:

> ducat hunc aeque famulum suum dux.

numquam similia protulere Statius, Ausonius, Prudentius, Sidonius, Luxorius, Fortunatus. porro versum adonium cum unum habeat Horatius talem l. IV [11, 4] '*est hederae vis*', at alibi vix inveneris simile praeter hoc Paulini [ib. 72] '*quae rapiunt te*'. porro in metro asclepiadeo minore etsi Flaccus dactylum post basin positum aliquando dactylico extulit verbo, illud exceptis paucis Terentiani exemplis studiose evitarunt insequentes. ita phalaecii versus fini identidem cum adhibuisset Catullus monosyllabum polysyllabo proxime praegrediente, id Statius semel fecit in enumeratione nominum:

> non leves alicae nec asperum far,

itaque simili excusatione Sidonius:

> hospes, taurus, Eryx, aves, Lycas, fur.

idem aliter:

> pars contraria nil timens tuam vim.

alibi violari artem non memini.

Ceterum in rythmis dactylicorum enarrandis omisimus quaedam specie magis quam re aliena et vulgo usitatae tmesi obnoxia. veluti quis credet artem laedi ea re, quod in fine hexametri fertur apud Calpurnium '*vixdum bene florem*', apud Silium '*et superesse*'?

Iam ut tertiam ultimamque huius libri partem absolvam, non magis quam grammatici accentus rationes sensuum spatia et clausulae enuntiatorum pertinent ad numeros metrorum disponendos. quod non potest esse mirum cogitantibus ne pedestri quidem sermone concentus ut ita dicam logici ullam fuisse potestatem ad invertendos accentus seu quantitates. praeterea idem probatur concessa poetis libertate traiciendi vocabula, quae, ut in una sententia nihil paene interest quo-

modo collocentur, ita mirificum in modum saepe disiciuntur per diversas. ceterum vix minus firmum argumentum ab elisionis finalium rationibus sumetur. qua admissa cum nobis videatur ne posse quidem fieri, ut terminetur sensus post syllabam imminutam vel hanc ob causam, quod saepe verbum truncatum iam alienam ab ore Romanorum vel Graecorum clausulam accipit, id adeo non verumst, ut et nonnullis exemplis apud hos et multis apud illos inveniatur in fabulis vel diverbiorum in fine ea adhibita. at possit obici mihi istam scaenicarum actionum alacritate mitigari insolentiam, cum praesertim veteres illi actores, sicut hodieque Galli et Itali, plurimum afuerint a tarditate morosa pronuntiandi ea, qua Germani verba solent quasi computare. audio. sed enim eadem elisionis proprietas etiam extra fabulas ac diverbia reperitur. — quae cum ita sint, quis iam negabit a veteribus, ut placita grammatica sive metrica starent, haud cunctanter posthabitas esse rationes logicas?

Ac tamen concinere interse sensuum fines ac numerorum aut certe non nimis inaequaliter discrepare tam simplici elegantiae ratione praecipitur, nullo pacto ut potuerint esse expertes istius observantiae poetae veteres. qua tamen in re insignis comparet Graecorum et Romanorum differentia. namque illi cum adulta per antiquissimam aetatem arte Gratia uterentur non tamquam noverca, sed ut matre, etiam in hac parte pleraque aspera et inconcinna ab initiis ferme vitavere, quae Latini sero imbuti Musis ne severissima quidem alioquin arte potuerunt optinere. — sed age placita horum sine molimine philosopho pro diversitate metrorum variis iam exemplis persequamur.

Itaque cum bene et probe concinant cum metrici ordinis exitu sententiarum clausulae, proprium has sibi vindicare locum verumst et in fini versus et in caesura. facilius tamen perspicuam ob causam in hac quam in illa admittetur, insignem ut in modum discrepent sensuum termini ac numerorum. haud dissimili ratione dissonantia ista minus erit ingrata in parvorum aut systematis iunctorum versuum exitu quam eorum, qui aut spatio eveniunt amplo aut in clausula constant periodi metricae. praeterea incisio, si fas est ita dici, logica, quacumque versus parte evenerit, eo

minus habebit offensionis. quo magis accommodatur pedum divisionibus seu conexibus eis, quibus ad optinendas metrorum leges rythmicas auctores veteres usos esse ostendi. his igitur subnixi facile explanabimus omnia.

Ac primum quidem satis certumst non posse principem locum optinere in versu voces, quas initio enuntiati poni non licet, quales sunt *enim, autem, vero.* igitur cum verbum, quod est *inquit,* aliquando vel apud optimos auctores [ut Ov. metam. X, 544] inveniatur in prima parte numeri, infringetur istud praeceptum, si modo vere Kotenius [ad. Pindar. Theb. 150] asseverarit numquam in principio orationis collocari illud. at certe inde a s. p. Chr. III inveniuntur licentiae talis exempla. ita enim dixit Septimius [Terent. 1978]:

inquit amicus ager domino
'si bene mi facias memini'

et porro Terentianus [2132]:

noster rarus eo pastor Maro, sed tamen inquit
'dic mihi, Damoeta, cuium pecus? an Meliboei?'

atque idem admisere Sidonius [paneg. Avit. 280], Martianus [VI, 704, 6], Arator [act. ap. II, 283], [cf. et Corippi laud. Iust. II, 44].

Contra admittitur, ut verba a principio enuntiati exclusa collocentur post caesuram, ut apud Horatium [ep. II, 1, 125]:

si das hoc, parvis quoque rebus magna iuvari.

Potest autem dissonantia ordinum logicorum et metricorum, prout supra iam indicavi, esse duplex. namque aut subsistet metri finis in parte orationis artissime ad proxima pertinente, ut puta praepositione vel adiectivo, aut incidet statim post finitam sententiam sive ante. cuius rei exempla sunt velut haec:

transque caput iace *nec* respexeris. his ego Daphnim.
pulverulentus *equis* furit. omnes arma requirunt.
scribendi recte. nam ut multum nil moror. *ecce.*
expectant veluti, consul cum mittere *signum*
vult, omnes avidi spectant ad carceris oras.

Igitur omnis observantia principia circum et clausulas ordinum metricorum constat. relicua habentur liberius. ac primum quidem hexametrorum et magis distichorum exitu

apparet propter ipsum spatium numerorum aptius terminari sensus quam continuari. quamquam Catullus vel in pentametro hanc sprevit normam, cuius sunt praeter alia haec:

> ut tibi tum toto pectore sollicitae
> sensibus ereptis mens excidit.
> quo tibi tum casu pulcherrima Laodamia
> ereptumst vita dulcius atque anima
> coniugium.

at insequentes curiose id vitavere. unde bene ait Beda [p. 2366] observandum esse in carmine elegiaco, nequid umquam de sensu versus pentametri remaneat inexplicatum, quod insequenti versu hexametro reddatur. illique et in aliorum systematum fini ceteri servavere, ne cum metro sensus non concluderetur nisi aut in enumeratione rerum seu multiplicatis epithetis aut enuntiato relativo vel parenthesi iniecta mediis sententiae verbis. quarum rerum exempla habebis talia [Ov. her. 1, 91—93; 12, 62—64; Rutil. I, 519 - 521; Ov. trist. V, 2, 3—5; fast. IV, 357—359; cf. et consol. ad Liv. 311—314; 429—432]:

> quid tibi Pisandrum Polybumque Medontaque dirum
> Eurymachique avidas Antinoique manus
> atque alios referam?
> mane erat, et thalamo cara recepta soror
> disiectamque comas adversaque in ora iacentem
> invenit.
> noster enim nuper iuvenis maioribus amplis
> nec censu inferior coniugiove minor
> impulsus furiis homines divosque reliquit.
> pone metum. valeo corpusque, quod ante laborum
> impatiens nobis invalidumque fuit,
> sufficit.
> instituteram, quare primi Megalensia ludi
> urbe forent nostra, cum dea — sensit enim —
> illa deos, inquit, peperit.

Porro in distichis apparet non posse ante extremum pentametri semipedem incidi sensum, neque quisquam eundem praepositione constare passus est. quae haudquaquam normae firmitas in hexametro optinuit, in cuius exitu Lucilius (nam Ennio talia haut temere tribuas) et secuti eum Lucretius atque Horatius admisere illa, quae ab elegiaco metro esse aliena memoravi. qua quidem in re notandum a Lu-

cretio neque graviore interstitio thesin sextam ab arsi divelli neque, si levius sit positum coniunctione monosyllaba adhibita sive relativo. alterum in fine versus addi. contra Horatii exempla habentur talia [ep. I, 7, 60; s. I. 3, 127; ep. II, 3, 327]:

scitari libet ex ipso, quodcumque refers. dic,
ad cenam veniat;
sapiens crepidas sibi numquam
nec soleas fecit; sutor tamen est sapiens. qui?
si de quincunce remotast
uncia, quid superat. properat dixisse 'triens'. 'eu'.

idem tamen, quod mirere, numquam hexametri ultimam syllabam praepositione constare passus est. — at apud Catullum [112, 1] quod scripsere quidam:

multus homo's Naso neque tecum multus homost, qui
te scindit,

res perincertast. nam traditum antiquitus *homo descendit.* corruptum etiam Propertii versum vix dubites, de quo supra memoravi [III, 20, 17]:

at nullo dominae teritur molimine amor, qui
restat et inmerita sustinet aure minas.

ubi bene Heinsius '*amator*'. — neque similia inveneris apud insequentes classicorum praeter satiricos. e quibus tamen diversi longe interse Persius et Iuvenalis. hic enim cum et praepositiones admittat fine versus et interpunctionem post paenultimam syllabam, at illi neutrum placuit. nam quod legitur apud eum [6, 19]:

solis natalibus est qui
tingat olus siccum muria vafer in calice empta,

unius vocis instar habetur illud *est qui.* quare alio loco [5, 143], ubi fertur vulgo:

seductum moneat 'quo deinde, insane, ruis? quo?
quid tibi vis'.

primum interrogandi signum post illud quod est *insane*, non post *ruis* collocandum esse existimo, quod firmatur exemplis Horatii:

nequis humasse velit Aiacem, Atrida, vetas cur?
discedo Alcaeus puncto illius; ille meo quis?

iam e christianis quidam remittendo artem Lucretii redintegrarunt licentiam, quorum in numero fuere Prudentius,

Ausonius, Paulinus, non Sedulius, Martianus, Sidonius, Arator, Luxorius, Maximianus.

Tum post syllabam antepaenultimam pentametri cum non facile incidatur sensus, post heroici versus pedem quintum Bentleius sibi persuasit [ad Lucan. I, 231] non posse interpungi. nisi insequentia constarent aut binis monosyllabis aut repetita ex prioribus orationis parte. quod tamen inventum vanum esse facile apparet. ac primum quod de monosyllabis statuit, ipsa paucitate exemplorum refellitur. praeterea quod vocabula iterata saepe collocantur in sexta arsi cum praecedente interpunctione, non illud arcana lege numerorum evenit, sed ideo quod valde concitata oratione. quae amat plerumque verba geminare, minus curatur ne dissideant inter se metri fines et sententiae. itaque simili ratione orta, sed minime Bentleii praecepto congrua habes haec Vergilii:

donec talis erit mutato corpore, qualem
videris, incepto tegeret cum lumina somno.
adceleremus ait. vigiles simul excitat. illi
succedunt servantque vices.
ingentem remis Centaurum promovet. ille
instat aquae,

tum Ovidii haec:

ter sine profectu voluit nitentia contra
excutere Alcides a se mea brachia. quarto
excutit.
namque mihi genitor Megareus Onchestius, illi
est Neptunus avus.
tertia forma fuit maculosae tigridis. illa
territus Aeacides.
nec satis est, quod tale nefas committitur. ipsos
inscripsere deos sceleri.
sex Remus, hic volucres bis sex videt ordine. pacto
statur et arbitrium Romulus urbis habet.

ita Grattius dixit:

nec longa in facto medicinast ulcere. purum
sparge salem,

nec aliter Lucanus:

abscidis frustra ferro tua pignora. bellum
te faciet civile meum,

et Silius:

maiorem surgere in arma
maioremque dedit cerni Tirynthius. altae
scintillant cristae

denique Claudianus:

qualem te legimus teneri primordia mundi
scribentem aut partes animae per singula, talem
cernimus.

similia passim ceteri, quamquam nec desunt quae omnino careant excusatione, qualest apud Tibullum:

quae tua formosos cepit sollertia? certe
non tibi barba nitet, non tibi culta comast.

contra non stat fide librorum apud Silium [I, 70]:

hanc rabiem in fines Italum Saturniaque arva
addiderat quondam iuveni patrius furor. ortus
Sarrana prisci Barcae de gente vetustos
a Belo numerabat avos.

at Martialis:

de quadrante tuo quid sperem, Garrice? nulla
de nostro nobis uncia venit apro.

ceterum disyllabam in fini versus stare praepositionem nulla lege vetitumst. — ac tamen rara evenere illa finiti post pedem paenultimum sensus exempla. nec minus cavetur, ceterae pentametri hexametrique partes post quintam arsin sitae ne interpungendo turbentur.

Porro initio versus, nisi finis praecedentis interstitio sententiae erit diremptus, post primi pedis partem quamlibet ne interpungatur refert elegantiae. ceterum qualicumque sub condicione primam arsin a proximis segregari parum placet. maxime autem illud inconcinnumst, totum circuitum finiri circa principia metri, unde Vergilius commode idem admisit oratione abrupta et concisa:

'eia age rumpe moras. varium et mutabile semper
femina'. sic fatus nocti se immiscuit atrae.
'purpureos spargam flores animamque nepotis
his saltem accumulem donis et fungar inani
munere'. — sic tota passim regione vagantur.
Turno tempus erit, magno cum optaverit emptum
intactum Pallanta et cum spolia ista diemque
oderit. at socii multo gemitu lacrimisque
impositum scuto referunt Pallanta frequentes.

Praeterea in medio pentametro pro relicua carminis severitate ne inaequalitas numerorum et sensuum nimia oreretur, anxie caverunt versificatores vel mediocres. igitur neque coniunctione copulativa seu disiunctiva sive praepositione tertiam arsin constare sunt passi, neque magis post insequentem syllabam sive praecedentem voluerunt subsistere orationem. quamquam Catullum et pubescentem artem non moror, cuius sunt haec [68, 82; 73, 6; 87, 4; 111, 2]:

quam veniens una atque altera rursus hiems.
quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.
quanta in amore tuo ex parte reperta meast.
nuptarum laus e laudibus eximiis.

verum similia exempla vix apud deterrimos christianorum inveneris. nam nec Lactantii in carmine de Phoenice bene habet quod edidit Martinus [62] '*adsuetum nemus et dulce cubile fugit*'.

At heroico in versu longe aliter habet res. nam secuti plerique Vergilium, cui praeierant illud Ennius et Lucretius, hanc tenuere normam, ut in tertia arsi monosyllabas et praepositiones et coniunctiones paterentur subsistere. cuius tam frequentia usus extant exempla, ut adferre pigeat. nisi forte illud obicietur, condicione tali ubicumque etiam inveniatur in quarta arsi finitum verbum, hephthemimerin potius optinere. hoc tamen ne probemus, et Horatii exemplis cohibemur, qui pleraque licentiae illius in melicorum versuum caesura aut fini admisit similia, nec minus ipsorum illorum, unde oritur disputatio, quippe qui plerumque tertiae arsi in metris, quae ne possunt quidem aliam quam semiquinariam habere incisionem, idem adhibuerint inelegantiae. cuiusmodi exempla ab omni obscuritate aliena habes in secundo Georgicorum XI [69; 149; 180; 196; 223; 324; 348; 351; 402; 506; 517], in primo septimoque aeneidos XIII [I, 329; 414; 438; 542; 662; VII, 119; 162; 423; 449; 515; 751; 764; 804]. praeterea quid faciemus eis versibus, in quibus quarta arsi terminata vox aut numerorum habeat incommodum rationibus logicis longe potius aut etiam constet praepositione sive coniunctione? quales habes hos:

molirive moram aut orando inflectere mentes.
maior agit deus atque opera ad maiora remittit.

denique vel si minus evenerit illud. tamen statuendo in metro, cuius non finiatur post quartam arsin sensus, qualest hoc:

vela dabant laeti et spumas salis aere ruebant

optinere hephthemimerin potius quam penthemimerin, quid iam lucrabimur nisi quod nullo paene parto emolumento maior caesura prae minore neglegitur? relicuumst ut enarremus, qui frequenter ista admiserint, qui raro, qui tenuerint medium. igitur istorum ex numero fuere Statius, Silius, Valerius, tum satirici omnes, et porro Avienus, Prudentius, Paulinus. contra alienam plerumque secuntur normam Tibullus, Propertius, Ovidius, Lucanus, Martialis, Calpurnius, Claudianus, Arator, Sedulius, Avianus, Maximianus, Luxorius. quidam medii sicut Manilius aut paucitate versuum subobscuri. et horum quidem, qui frequenter usurparunt istam licentiam, quot sint exempla qui volet computarit; ex ceteris, ut pauca promam, Tibullus libro primo semel admisit tale sic:

te canit agricola, e magna cum venerit urbe.

itaque Martialis in Xeniis et Apophoretis:

lascivum pecus et viridi non utile Baccho.

semel etiam Claudianus in carminibus de consulatu Aniciorum ac de Manlii:

collectamque diu et certis utcumque locatam.

tum Lucanus primo volumine ter:

gentis Iuleae et rapti secreta Quirini.
auditae nemorum et venientes comminus umbrae.
insonuere tubae et quanto clamore cohortes.

denique Ovidius libro eodem metamorphosium quater:

ingentes animo et dignas Iove concipit iras.
esse putat nusquam atque animo peiora veretur.
altorum nemorum, et nemorum monstraverat umbras.
Arge, iaces quodque in tot lumina lumen habebas.

ceterum cur in his exemplis, et siqua in hephthemimeri inveniuntur similia, plerumque arsis caesurae obnoxia praecedentibus iungatur per elisionem insequenti libro declarabitur.

Aliquanto minus probatur post quartum semipedem gravius incidi sententiam, id quod puncti fere signo exprimitur, velut:

magnum documentum, ne patriam rem
perdere quis velit. a turpi meretricis amore
cum deterreret: Scetani dissimilis sis.

eadem observantiast post trochaeum eiusdem, ut apud Vergilium:

quin potius pacem aeternam pactosque hymenaeos
exercemus? habes tota quod mente petisti.

minor est offensio leviore interstitio sensus, propter tantam vim in semiquinaria collocati iambi. contra iniucundissimum ac paene inauditum eadem optinente caesura post tertium interpungi trochaeum, sicut fit apud Lucilium [IV, 12] exemplo hoc:

verum illud *credo fore:* in os prius accipiam ipse.

ubi tamen elisione facta mitigatur rei deformitas. nam semper apud veteres rythmici ordines potiores habentur logicis. vix autem memoria dignum alterum eiusdem auctoris exemplum [XXX, 69]:

quid sibi volt, *quare fit* ut introvorsus et ad te
spectent atque ferant vestigia se omnia prorsus.

etenim illud *fit ut* (pariter atque *est ut*) unius paene verbi instar est [cf. Lachm. pg. 410].

Post dactylum tertium graviter interpungi et ipsum displicuit cultissimo cuique versificatori. minore fuit odio incisio levis. venia autem adest condicionibus quattuor, h. e. si aut semipes sextus cum sequentibus coeat elisione aut post finem versus item inciso sensu aequabilitas efficiatur partium aut pyrrichius tertius etiam ad sequentia pertineat aut imitatione magnorum exemplorum repetantur vel errores, ut puta:

I. Romulus excipiet gentem et Mavortia condet
moenia.
quaesivit caelo lucem ingemuitque reperta.
II. cui non dictus Hylas puer et Latonia Delos.
his lacrimis vitam damus et miserescimus ultro.
nam si debilitas redit, instauratio non est.
III. hoc primus repetas opus, hoc postremus omittas.
sed vacuum Tibur placet aut inbelle Tarentum.

IV. praeterea cum Ennii esset versus talis [ann. 177]:

balantum pecudes quatit. omnes arma requirunt,

id aemulatione expressit Maro [aen. VII, 625]:

pulverulentus equis furit. omnes arma requirunt.

nec minus ipsius metrum illud [VIII, 698]:

Niligenumque deum monstra et latrator Anubis

ita repetiit Prudentius [c. Symm. II, 532]:

nil potuit Serapis deus et latrator Anubis

[cf. et Verg. aen. IV, 477; Nemes. ecl. 4, 17]. denique Prudentii tale [apotheos. 379]:

Hebraeus pangit stilus, Attica copia pangit

sic imitatus est Venantius sub initium vitae Martini [v. 12] '*Hebraicus cecinit stilus, Atticus atque Latinus*'.

Porro post dactylum quartum seu trochaeum admissam interpunctionem etsi sat bene habere existimamus, tamen minus probari poetis Latinis supra, ubi de caesuris metri heroici agebatur, exposui.

At in hexametro incisione semiseptenaria praedito quarti pedis observantiae similes sunt aut pares eis, quas in semiquinaria optinere modo declaravi. tamen longe infrequentius post tertium pedem quam post secundum interstitium sententiae admittitur, nec saepe collocantur in septimo semipede praepositiones, quod potissimum evenit elegantia numerorum tertii anapaesti non violabili et severitate inconcussa.

Ceterum ut in ista incisione et post trochaeum tertium et post dactylum quartum identidem adhiberetur gravior puncti distinctio, qualis, si penthemimeris adsit metro, exulat plerumque a trochaeo praeeunte vel sequente pyrrichio, id ea effectumst causa, quod difficiliores longe sunt rationes metricae semiseptenaria incisione quam semiquinaria. adde quod et melius longe concessis metro heroico numeris consulitur, si in quarto dactylo quam si in tertio retardetur interstitio facto oratio, et post trochaeum tertium terminato sensu ne potest quidem diutius vox subsistere, cum necessaria iam eveniat et aperta proximi pedis incisio. haec ideo suptilius persequenda esse duxi, nequis in metro tali [Ov. a. am. II, 647] '*quod male fers, adsuesce. feres bene. multa vetustas lenit*' caesuram post quartum potius quam post quintum verbum fieri existimet.

Verum discrepantia ordinum rythmicorum et logicorum quod apud satiricos saepius invenitur quam alibi, pro natura huius generis poematum non erit mirum.

Iam cum antiquiores Romani haud cavissent, ut clausula enuntiati cum systematis fine eveniret — nam Horatius hanc legem aliquando per continuas easque plusculas neglexit

strophas [cf. I, 1, 1—28; 37, 5—24; III, 29. 29—48; 30, 1—16; IV, 4, 1—28], qua in re ei convenit cum Pindaro —, relicuorum ex hac parte fuit eadem observantia, quam distichorum exitu optinuisse supra memoravi.

Denique Horatius suorum hominum, non Graecorum, aemulatione quod in plerorumque versuum fini vel caesura similem Vergilii caesuris adhibuit licentiam, ne hoc quidem persuasit popularibus. igitur apud Statium et Senecam frustra quaesiveris versus velut tales:

> vocibus regnum *et* diadema tutum.
> nil interest *an* pauper et infima.
> pestemque a populo *et* principe Caesare *in*
> Persas atque Britannos.
> plena miraris positusque carbo *in*
> cespite vivo.
> audivere Lyce di mea vota, *di*
> audivere Lyce.

ceterum epodicorum versuum in fine non eandem quam melicorum admisit inelegantiam Flaccus. praeterea non poterit fallere peritos in metris a Catullo aut Laevio novatis cum similis fuerit antiquo tempore libertas ei, quam observamus apud Horatium, posteriores tamen vel illa vel siqua ipsi addiderunt ea cura habuisse, quae perfectae artis et aetatis serae propriast. itaque cum Catullus, ut hoc exemplo utar, post decimam phalaecii versus syllabam sententiam incidisset sic [24, 7]:

> quid? non est homo bellus? inquies. est,

non reperitur simile apud insequentes, nisi quod semel Sidonius in fini versus collocavit illud *et* [ep. VIII, 11, 35].

Atque haec quidem hactenus. ceterum plerumque cavendum, ne prava distinctione sententiarum seu verborum ab auctoribus optime constituta propria inelegantia destruamus. veluti male et morose nos illud, quod vocativos interpungendo ab sensu, ad quem pertinent, separamus. praeterea si una pars orationis inter duas sententias posita ad utramque pariter pertineat, haud erit fere cur post illam vox inhibeatur, vel si verbum sequitur, quod primo enuntiati loco in prosa debeat collocari. quare vix recte dicetur post tertium pedem subsistere sensum in hisce, qualia supra attigi, cum de tertio hexametri ageretur dactylo:

aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim.
immotamque coli dedit et contemnere ventos,

neque post secundum exemplis talibus:

hinc Hosius stetit inde Leo.
hic nuptam petit ille virum.

porro haud absurdum memoria, quod illud *tum cum* unius potius quam duorum instar est vocabulorum. quippe et Ovidius et ceteri, ut quisque bonitate versuum proximus, numquam sic admittunt *tum cum,* ut in ipsa caesura sit *tum,* at saepe ita, ut statim post caesuram. quod ipsum et deliquatur versibus his Nasonis [fast. VI, 750]:

profuerant Glauci manibus illa prius,
tum cum observatas anguis descendit in umbras.

in quibus luce ipsast clarius nullo posse pacto ad praecedentia pertinere *tum.* ceterum quod in optimis exemplaribus saepe invenitur scriptum *tunc cum,* suspicor antiquitus fuisse formam *tuncum* emollita, ut fit plerumque, labiali litera in nasalem. intellegitur autem posse tale vocabulum eodem iure in proprias partes rescindi, quo *priusquam* sive *iamiam.* quippe haec quod statuit Wagnerus [orthogr. Verg. p. 466] rectius dirimi quam cogi, a vero videtur aberrasse. nam sicut minime desunt loci, quibus appareat recte discerpi voces illas, extant item, quibus comprobetur non minus bene coalescere easdem. veluti *priusquam* uno verbo poni a Tibullo in hisce:

quam bene Saturno vivebant rege, priusquam
tellus in longas est patefacta vias

inde apparet, quod numquam ab eodem ponitur in fine metri monosyllabum praecedente plus quam monosyllabo. ita *iam iam* binis semper partibus si extuleris, haud raro durissimum atque adeo intolerabile orietur asyndetum, velut in his versibus Ovidii et Statii [hal. 19; achill. I, 584; cf. et theb. I, 314; 373; 545 al.; Claud. 36, 267]:

sepia tarda fugae tenui cum forte sub unda
deprensast iamiamque manus timet illa rapacis,
inficiens aequor nigram vomit ilicet auram.
quodque fugit comites, nimio quod lumine sese
figat, et in verbis intempestivus anhelet,
miratur, iamiamque dolos aperire parantem
virginea levitate fugit prohibetque fateri.

in quibus illa *nigram vomit auram,* quae proprio commento posui, non hercule maiore dicuntur audacia quam simillimum Valerii Flacci [III, 106] '*dedit ille sonum conpressaque mordens aequora purpuream singultibus expuit auram*'. nam ita recte Aldus. — denique illud *iam nunc* non quidem semper, sed aliquando pro uno usurpatum vocabulo demonstrat versus Porfyrii reciprocus [13, 1]:

princeps beate, placido sub axe iamnunc.
iamnunc sub axe placido, beate princeps.

contra praepositiones monosyllabas vix umquam cum nomine suo coaluisse in unum dactylicorum demonstratur versibus.

Ceterum quod videmus auctores inde a primo p. Chr. n. saeculo magis magisque cavisse, ne notabilem in modum discreparent sententiarum fines et nexus ab ordinum metricorum terminis, non poterit illud esse mirum. magis esset, si contrarium evenisset. quippe in omnium pariter populorum poetica evenit per temporum seriem, rationis logicae cura ut invalescat ideoque vel soni aliquando rythmique prae illa contemnantur praecepta. magis etiam id optinuit apud Romanos permanante lingua eorum ad ultimos provincialium, qui sordida plerumque eruditione et pessimis magistris instructi quantillum propriae Latini sermonis elegantiae retinuerunt? itaque normam istam, quamquam a prima versus natura alienam, tamen necessitate quadam et legitimo progressu additam, qui sero provenerunt auctores vituperarunt facilius quam migrarunt.

Restat ut addam ab ipsa metrorum ratione profectam servari legem, ut nec initio versus neque fine exilis nimis et vulgaris notionis collocentur vocabula. quae quidem quo sunt spatio ampliore, eo peius habetur vitium. quippe numeri, cum prima parte concitatius, at ultima lenius quam alibi fluant, aut praepedientur nimis aut emollientur humilibus vocibus. hinc est quod haec, quae totiens prostant in capite versus, '*ille*', '*atque*', '*verum*', '*quare*' similia tam saepe elisa inveniuntur ultima et quod graviores ac rariores formae, quae sunt *olli* et *ollis,* plerumque in prima sive ultima parte collocantur. ita illud *atque* cum duobus Vergilii [aen. XII, 355; 615] locis, uno Nasonis [trist. II, 145] sit in fine metri positum, omnino ab eadem sede exclusere

posteriorum plerique. at Horatius in hexametris saepe, semel in melicis collocavit versus exitu [II, 10, 21; nam III, 11, 18 est spurius]. ceterum contrario evenit vitio, ponderosa et gravia verba exili si in loco delitescunt, veluti in his [aen. V, 481; VIII, 43]:

sternitur exanimisque tremens procumbit humi bos.
litoreis ingens inventa sub ilicibus sus.

a Marone tamen haec, quae posui, exempla, sicut alia eiusdemmodi, arte quaesita facile apparet.

Adiciemus in fine quasi pro mantissa displicere, non quidem metricas ob causas, sed ut pedestri magis sermoni apta, cumulata nomina seu verba. qualia cum haud raro admisissent antiquissimi auctores metri explendi causa, ab insequentibus praeter satiricos et Senecam idem plane fuit alienum, nisi ultimi temporis auctores pravitate ingenii sive aemulatione vetustissimorum idem repetissent [cf. Beda 2367]. ceterum apte ea figura usus Lucretius sic [II, 553]:

disiectare solet magnum mare transtra, guberna,
antemnas, proram, malos tonsasque natantes.

Porro severissimis auctoribus artis non placuere uni substantivo bina, nedum plura, addita adiectiva nisi in formulis, quales sunt '*felix faustusque*', '*maius meliusque*'.

Denique haud absurdum cognitu poetas, quo quis perfectior elegantia, eo magis amare praeponi adiectiva substantivis suis. namque illa semper onerosa sermoni, plerumque et supervacua, si post partem, ad quam pertinent, erunt reiecta, nulli iam rei nisi explendo metro videbuntur esse utilia. nec vero cordatus auctor necessitatem numerorum, qua probum poetam non umquam debere cogi fingunt imperiti, ultro curiosis lectorum mentibus ut retegat adducetur.

Sed nos immensum spatiis confecimus aequor.

V.

LIBER QVARTVS.

DE VOCALIBVS INTERSE CONCVRRENTIBVS.

Tandem eis, quae a prioribus non qua decebat cura sunt habita, satis diligenter perlustratis licet emergere ad partes si non iucundiores, certe securiores, quippe quae identidem praeclaras excellentium arte criticorum excitarint curas. quo magis avet animus ab illis optime incohata ad dignum finem perducere.

Itaque ut coepta perpetremus, si vocalis in fine syllabae posita excipitur insequente item vocali, subsistit et laborat et quasi hiat oratio. tale vitium, cuius sensum neoterici exceptis Italis et siqui aurem assidua lectione exemplarium Graecorum et Latinorum castigarunt perdidere tantum non omnem, gravius esse verumst, prior si vocalis in exitu verbi sit posita, quoniam finito vocabulo omnino per se retardatur sermo et interrumpitur. unde id hiatus genus peius multo quam alterum odere veteres. at ex hoc ingratissimum, quod fit in disyllabis vocabulis vel in media parte compositorum. cuius rei mox reddetur causa. apparet vero, quo molestior vocalium concurrentium eveniat collisio, eo plura et validiora adhiberi licere ad vitium tollendum remedia. intenderunt haec poetae, ut quibus sit iniunctum, nativam patriae linguae eurythmiam et euphoniam ut praestent quam perfectissimam. quorum nos in placitis perscrutandis subsistemus, modice usi digrediendi occasionibus, licet offerantur plurimae.

Igitur Graeci pro relicua sermonis facilitate ut in media voce factam collisionem patientius tulere plerumque, ita in finito admissam verbo pro quantitate prioris vocalis varie habuere. exclusa tamen hiandi licentia a numeris iambicis et trochaicis, ut quibus solvendi arsin et pro brevi thesi reponendi longam permissa venia sufficeret. porro in dactylico metro apud antiquissimum auctorem artis Homerum incerta multa, quia nondum ab omni parte compertumst, digamma aeolicum quatenus ab eo usu sit frequentatum. nos tamen hic ut alibi eam Homerici carminis respicimus formam, quam habuit, simul atque saec. a. Chr. VI litteris est consignatum.

At Romani, ne in vocalium quidem concursu propriae obliti indolis, vitium haud dubie deforme durioribus curavere remediis, quae nos deinceps persequendo iam de hiatus uno verbo constantis legibus dicemus.

Sed singula antequam pertractem, monendum de re gravissima, quam multis annis post editionem priorem intellexi, cum ad Ennii rationes metricas enucleandas antiquissima poesis Latinae monumenta revolverem.

Etenim ut certo constat Romanis olim infuisse vividum omnino ac vegetum utriusque generis hiatus sensum, tamen et in synizesi et in elisione adhibenda pro diversitate carminum eos vario versatos modo demonstrant versuum saturniorum reliquiae. quae cum altiore fere constent elocutione et legentibus, non audientibus sint destinatae, multo habent rarius vocales collisas vel in mediis verbis vel in confiniis verborum quam Plauti ac Terentii et relicuorum libri scaenicorum, qui, dum audientium in usum sua componunt, vulgares in tollenda offensione illa modulos adhibere non sunt veriti.

Nec enim casu potuit effici, ut in versibus saturniis XLVII, quos enumeravi in vita Ennii pg. 230 sq. (ei non ex Livii Naeviique petiti scriptis), tantum octies breves vel in *m* exeuntes eliderentur vocales, longae non saepius quam sexies, cum in primis quadraginta uno versibus Militis Plautinae et totidem Andriae Terentianae illae tricies quater vel quadragies semel, hae undecies vel vicies imminuantur.

Igitur Ennius quod et ipse habet collisiones vocalium

in confiniis verborum parum frequentes adeoque aliquanto pauciores quam permulti e sequentibus dactylicis, de qua re et infra dicetur, id quamquam non sine Graecorum respectu instituisse existimandus est, tamen non admisit sine exemplo Latino. nam et in Livii Naeviique carminibus epicis quamquam ut longioribus inveniuntur plures collisiones vocalium quam in ceteris, quae extant, monumentis saturniis, tamen multo minor est numerus quam apud Plautum et Terentium.

Contra sanequam probabilest in carminibus metri antiquissimi levioribus et propius accedentibus ad comoediam, ut puta Fescenninis et Atellanis, eandem vel similem fuisse elisionis vel synizesis frequentiam licentiamque.

His praemissis nihil obstat, quin singulas concurrentium interse vocalium leges, quales ore Romano sunt formatae, persequamur. prius de hiatu uno verbo constante agetur.

Itaque primum omnium non licet coeuntium sine consona media syllabarum priorem esse productam, licet posteriorem. porro pro diversitate sonorum evenit, continuandi sese et excipiendi varia ut insit vocalibus facultas. quippe partim numquam, partim rarissime *a* vel *o* cum qualibet vocali insequenti, *e* cum altera *e* componi solent. proximae inconcinnitate accedunt iunctae *ii, iu, ui, uu,* ita quidem, ut quas primo et quarto loco posui deterius nectantur quam mediae. neque refert inelegantiae, si ex coiugatis his consona sit altera. minimum habent asperitatis *ea, ei, eo, eu, ia, ie, io, ua, ue, uo.* praeterea non est quod dicam vocalium, quas in unam syllabam cogi non licet, asperiorem concursum mitigari, si mutata alterutra efficiantur nexus ei, quos minus offensionis habere exposui.

Iam legibus his ut responderent, tribus rationibus effecerunt veteres, scilicet vocalem priorem aut corripiendo, si esset longa, aut, si brevis, abiciendo (utrumque et apud Graecos reperitur) aut copulando per contractionem cum proxima.

Est autem contractionis triplex in Latino sermone modus. namque aut exempta vocali una producitur altera aut prior mutatur in consonam aut ambae in diphthongum coalescunt. diphthongorum vero ita prodeuntium duplex est genus, sive etiam alias usu sunt frequentes sive paucis exemplis constantes et condicionibus certis obnoxiae.

Iam speciem primam contractionis hoc vocabulo, secundam ac tertiam synizesis vel synhaeresis significant nomine.

Synizesis autem eius, quae fit coalitis in diphthongum vocalibus, genera sunt tria, duo Latinae originis, tertium Graecae.

Et primum quidem ac secundum, quae etiam apud scaenicos frequenter inveniuntur, constant synhaeresi facta in vocabulis sive disyllabis, quae plerumque sunt simplicia, aliquando composita (quibus pauca accedunt ampliora ex eis orta), sive plusquam disyllabis et compositis. haec species quod plurimum optinuit, non mirum, cum in disyllabis vocales, altera accentu insignita, altera in exitu posita, in compositis prioris partis ultima et prima insequentis coeuntes haud ita dissimilem hiatus in fine verbi constantis habeant inelegantiam. — tertius modulus alienus a scaenicis et Ciceronis primum aetate promptus Graecorum imitatione provenit. is nominum quorundam adiectivorum vel substantivorum in *eus, ea, eum* exeuntium complectitur finales.

At de *i* vel *u* mutata in consonam ut pauca hic praemittam, haec non admittitur licentia nisi in plusquam disyllabis neque in partibus compositorum. eam alienam a Graecis ac propriam Latinorum et re ipsa evincitur et usu comicorum in anapaesticis certe metris adhibentium, nec non exemplo Commodiani Afri, qui in hexametris rythmicis et ad vulgarem pronuntiationem compositis habet quosdam versus qui non possint stare sine figura ista, ut puta [I, 2, 4; 24, 11]:

indignátjo meá ne vós dispérdat ob ísta.
quíd in sýnagogám decúrris saépe bifárjus?

Restat ut declarem, auctorum pro temporum intervallo et materia carminis quae fuerit differentia. — ac primum quidem dignissimum memoria iam antiquissima aetate et vivido etiamtum sensu hiatus in medio verbo facti longe maiorem fuisse cautionem dactylicorum in synizesi et ceteris remediis adhibendis quam fuit ullo tempore scaenicorum. quod non poterit esse mirum cogitantibus hos, cum componerent sua hominibus plebeiis et non eruditis, potuisse admittere pleraque, quae liberale cultiorum ingeniorum aspernaretur iudicium. nam hiatu ipso asperiora quaedam eius remedia. adde quod scaenicorum carmina audituris, at lecturis dactylicorum fuere destinata, quae diversitas quanti sit momenti neminem fugiet. praeterea ubi saeculorum cursu et communi mortalitatis damno consenuit sermo Latinus propter eas causas, quas fine prioris libri exposui, rationum plerumque grammaticarum invaluit cura, at cessit soni. hinc factum, ut inde a primo p. Chr. saeculo magis magisque evanescerent ex usu synizesis vocalium et contractio et quidquid aliud mitigando hiatui inventum. quodsiqua videantur repugnare observantiae isti, ea vero praeceptis grammaticorum vel imitatione veterum provenere.

Deinde quod graecanicam synizesin non prius Catullo inveniri memoravi, ne hoc quidem de nihilo esse concedet, qui huius et cantorum Euphorionis rationes probe cognorit metricas. nec vero intellego, qui potuerit Heinsius asseverare [ad Ov. metam. VII, 223] exemplorum talium qualest Vergilii '*ferreique Eumenidum thalami*' plenum esse Lucretium. neque quae Lachmannus similia huius et Lucilii carminibus intulit possunt tolerari. nam Tullius quod disyllabum posuit *Cephei* [arat. 52], sicut Pacuvius trisyllabum *Capherei* [v. 136], id vero non licentia poetica et docta peregrinorum aemulatione, sed vulgo usitata Latinis pronuntiatione evenit.

Praeterea aptum memoriae et hoc genus synizesis et alterum, quod constat *i* vel *u* duratis in consonam, esse aliena a numeris iambicis et trochaicis. haec res ut est omnium certissima, ita, siqua alia, clara luce poetarum Latinorum declarat modestiam. namque cum in dactylicis versibus, sicut postea probabitur, licentia ista non ferme adhibeatur nisi vocibus eis, quae ultro plerumque conveniant

iambis aut trochaeis, praeterea concesso horum vice metris iambicis trochaicisque plerumque anapaesto vel dactylo, ne tum quidem inverterunt normam, ubi verba per se commoda numeris talibus propter iuncturam pedum fierent inepta, neque ausi sunt rationem extrema necessitate in versibus dactylicis expressam per ludibrium intendere.

Sed age observatum istud ne fallaciis circumveniat imprudentes, exempla repugnantia curemus. igitur Priapeorum in versu [51, 13] '*amygdalumve flore purpureo fulgens*' iam Burmannus vidit scribendum esse *purpurae.* porro apud Senecam in Thyesta [232; 650; 1052] antiquitus tradita feruntur haec:

> in parte carpit prata quae claudit lapis
> fatale saxeo pascuum muro tegens.
> arcana in imo regia secessu patet
> alta vetustum valle compescens nemus.
> sceleri modus debetur, ubi facias scelus,
> non ubi reponas.

sed quis credet illum in iambicis metris ea insolentia fuisse usum, quam ne in dactylicis quidem adhibuerit? et in tertio quidem exemplo non videtur dubium quin scribendum sit '*ut facias scelus*', in quibus *ut* loci notionem et ipsum continet, de qua dixit Lachmannus commentario Propertiano [p. 238]. at in primo loco illud *saxeo* apertest ineptum. qui enim non poterit claudere lapis murum saxeum? quare nescio an recte statuatur versum sensu pariter ac metro deformem venisse ex eadem fabrica, qua ille in Hippolyto '*haud quisquam ad vitam facile revocari potest*'. denique in medio metro pro *regia* recte docti *regio.* nam quod praeterea in Hercule Oetaeo [1341] habet liber Florentinus *spiritus fugiens meo legatur ore, brachia et amplexus cape*', id aperte corruptum et pridem persanatum ne mentione quidem dignumst. apud Terentianum [419] in trochaico metro scribendumst *quattor* pro eo, quod vulgo fertur quasi disyllabum, *quattuor.* mox idem quod trochaico in metro enarravit [755; 759] dixisse Maronem *tenuia* et *genua* cum *u* consona vix memoriae aptum. alia vero, non magis quae evertant regulam, infra perlustrabo. sed Ausonius et christianorum ultimi quin semel aut bis regulam laesisse exi-

stimentur non prohibeo. haec cum ita habeant, fallitur Victorinus statuendo [2572] versum istum:

beneficia pro re colere sapientis virist

posse scandi per synaloepham.

Ceterum plerique priorum nec diversa genera synizesis nec auctorum tempora et rationes satis cum distinxissent, multiplicatis verum involverunt erroribus. quos quidem nos, ut ferme solemus, silentio tegentes exemplis iam firmabimus singula. mittemus autem, in quantum poterit fieri, vulgo nota, nova et indicta ore alio clariore luce ut appareant. nec vero Schneideri vel aliorum collectanea despoliare avet animus sufficiente re propria.

Igitur regulae illi, qua praecipitur vocalem ante vocalem in media voce corripi, eximuntur communi classicorum usu e Latinis dictionibus formae nominum in *aius* vel *eius* desinentium quaecumque habent *i* vocalem, ut *Pompei, Grai, Grais,* deinde genetivi primae in *ai* et quintae in *ei,* huius quidem tantum, si non praecedat consona, tum verbi quod est *fio* partes eae, quae non trahunt *er,* denique *Gaïus* et *Gnaeus* et adiectivum *dius* cum substantivo cognato quod est *dius* vel *dium* [Lachm. p. 226]. praeterea incerta ratione fluctuat vocalis paenultima genetivorum in *ius* exeuntium praeter *alius,* qui tamen est rarus admodum [cf. Prisc. 740]. et de his quidem mentione dignissima, quae Lachmannus ac Ritschelius in Opusculis suis prompserunt [II, 195; II, 662 sqq.]. ex quibus ille demonstravit Ciceronis tempore in eis *i* fuisse breve, ut qui de oratore l. III [47, 183] verba haec *si, Quirites, minas illius* dixisset cretica. at Ritschelius probavit apud scaenicos vetustissimos *i,* cum olim fuisset longum, haud raro breve inveniri. idem [pg. 693] ex Terentii Hautontimorumeno [129] protulit eius quod est *solius* exemplum dactylicum, quale ex dactylicorum poetarum libris non suppetit. apparet igitur genetivos illos, quatenus non *i* consonam recepere, antiquissima iam aetate corripuisse *i* natura longum. verum ab initio saec. p. Chr. I prisca, nisi fallor, pronuntiatio reducta. nam Phaedrus in fabulis, quod genus humilioris et vulgari orationi propioris est elocutionis, semper videtur *i* producere. Quintiliani autem tempore et insequente satis constat vulgo idem porrectum [cf. instit. or.

I, 5, 18; Consent. gr. lat. V, 389]. sed quod Priscianus [pg. 694] dicit *i* in omnibus genetivis extendi praeter *alterius,* haec exceptio aetatis ultimae scholastica evenit subtilitate, scilicet quod illud *alterius* in dactylicis metris, quae longe erant frequentissima, viderent semper brevi usurpari *i.* sed in iambicis trochaicisque ne sero quidem saeculo producere timuit Terentianus [1611; 2184; 1352].

At *Diana* dicta pro *Divana* ut *Lucius* pro *Lucivus* (unde in epitaphiis Scipionum media extenditur) cum olim prima fuisset longa, deinceps eandem correptam testatur Diomedes [pg. 436], cum dicit: *ectasis est extensio. quae fit, cum correpta syllaba contra rationem per licentiam producitur ut* [aen. I, 499]: '*exercet Diana choros*'. — in eo, quod est *ohe, o* anceps. et uno versu variavit quantitatem Martialis ita [IV, 89, 1; 9]:

ōhe, iam satis est, ŏhe, libelle.

Praeterea antiquissimi interdum producta vocali prima posuerunt illa *fiere* [Enn. ann. 9], *fieri, fierem,* cum tamen et correptae apud eos haud dubia extent exempla. porro Ennius [ann. 431; 297; 135] praeterita *fuimus, fuisset, admuit,* Lucretius [III, 933; II, 466; 464] ea quae sunt *fuit, fluidus, fluida* longa usurparunt *u* propter contractionem factam. quamquam perfectum *fui* et quae ab eo descendunt cum alias semper ab eodem corripiantur, iure videntur docti exemplum primore loco positum, quod est tale:

nam gratis fuit tibi vita ante acta priorque,

suspectasse. satis bene Lachmannus: *fuit haec tibi vita.* — ac difficile adducor ut credam a Statio adhiberi *praeeundi* verbum longa prima sic [theb. VI, 519]:

cum vacuus domino praeiret Arion.

sed hic, ut alibi apud eundem, gravius videtur latere mendum. nec magis probabilest ab eo ter productam *e* in verbo *deesse,* cum nemo quisquam Romanorum ante hymnos rythmicos christianorum dixerit nisi *desse.* sane feruntur in Thebaide haec [VIII, 236; X, 236; XI, 276]: '*nullis deest sua fabula mensis*'; '*nec deest coeptis*'; '*deest servitio plebes*'. verum primo loco reponendum videtur, quod Lindenbrogio et Bernartio placuit, '*nullis iam deest* (vel potius *dest,* ut

infra scribendum *derat*) *sua fabula mensis*'; altero sat commode legitur in membranis quibusdam *nec deerat*, quamquam magis arridet Schraderi inventum *neu desset*, tertio probandast Casselani codicis scriptura praebentis *defit*, id quod coniectando adsecutus est Bernartius [ad theb. II, 187].

At in Graecis vocabulis cum sit verum externam quantitatem servari, non corripiuntur vocales ante vocalem positae, nisi quae natura sua sint aut breves aut communes velut *e* in *Aeneide* [Ov. ep. ex P. III, 4, 84], *Nereide, Eoo, Malea*. ita verborum in *eus* exeuntium flexiones *eos* et *ea* ut rarissime longam [Auson. perioch. Il. I; Avien. phaen. 440; Verg. aen. I, 611; III, 122], plerumque brevem priorem habent syllabam. *chorea* communi habetur *e*; at *platea* corripit eandem semper. atque ita *Aeschyleus, Caucaseus* vel *Caucasius, Tantaleus, Pelopeus* apud Propertium et Senecam [III, 32, 41; II, 1, 69; V, 11, 24; Thyest. 641] inveniuntur attenuata paenultima, et similia alibi, sicut apud Claudianum [17, 94] *academia*. contra vix credo a Statio [silv. I, 3, 95] in *Pliadibus* corripi primam sic:

> haec per et Aegeas hiemes Pliadumque nivosum
> sidus;

ubi bene Heinsius *Hyadumque*. porro viderint ipsi, qui probarunt, quo iure *Io* mensura iambica feratur in hoc versu Ovidii [Ib. 620]:

> quem memor a sacris nunc quoque pellit Io.

nam in epistula Hypermestrae quod legitur [14, 103] '*quae tibi causa fugae? quid io freta longa pererras?*' particulam esse apparet *io*, non nomen, cum sequatur statim '*Inachi, quo properas*'? quamquam libellus iste, qualis nunc quidem fertur, adeo omnis generis ineptiis dissonantiisque scatet, vix quidquam ut indignum videatur eius auctore. sed ad Ovidium ut redeam, sane in libro Tristium III [12, 2] etiam *Maeotis* extat correpta prima ita '*longior antiquis visa Maeotis hiems*', ut tamen ne hoc quidem satis sit securum et certum. bene autem Lachmannus [pg. 38] *Tomitis*. — quare quod Ruhnkenius in hendecasyllabo Martialis tali [VI, 82, 6] '*aurem qui modo non habet Batavam*' substitui voluit *Boeotam*, laudabimus equidem amorem patriae, quo commotus ille non magis Batavorum cruditatem culpari voluit a Martiale quam

ab Iuvenale [15, 124] Britannorum saevitiam Marklandus. sed neque nos ira aut favore populari immutabimus veterum placita et verendumst, ne ipsa illa coniectura confirmari videatur iudicium Martialis.

At multum degeneraverunt christiani classicorum a rationibus, frustrati illi praeceptis grammaticorum. qui cum viderent apud antiquos auctores *Eoum* et *Nereidas* et quaedam alia communem habere syllabam in hiatu constantem, paucorum exemplorum ambiguitatem pro regula amplexi persuaserunt poetis neotericis in media voce longam sequente vocali pro arbitrio posse corripi. diphthongis tamen enervandis pepercere eidem. nam quod *αι* vel *ει* interdum inveniuntur breviatae, tenendum illam apud Graecos deteriorum temporum plerumque sonuisse *e*, et quidem correptum, hanc vel aetate optima sequente vocali aliquando mutatam in *ι* breve vel *ε*, sicut et apud classicos Romanos *Caucasius, Tantaleus*, alia quaedam imminuta inveniri paenultima memoravi. — igitur ut exemplis rem probem, brevi vocali hiante reperiuntur apud Prudentium *cyaneus, Nazareus, romphealis, Maeander, Pyrenaeus*, apud Avienum *Pandion, Epicureus, Chius*, apud Martianum *Sabaeus*, apud Sidonium *glyconius, pherecratius, Darius*, porro apud alios alia. quare a Terentiano qui potuerit in eis, quae sunt *Grai* et *Grais, a* corripi — ita *i* vel *o* breviatis apud eundem sunt *chorius, dispondius, heroum* — quod vix ac ne vix quidem intellegere sese ait Santenius, quid aliud comprobatur quam illum non ea, qua oportebat, fuisse prosodiae Latinae peritia? ceterum idem auctores passim recta usi quantitate. — maior etiam longe licentia in Hebraeis comparet nominibus, de quibus quae notavit Obbarius [praef. Prud. p. 20], plurimis augeri possunt exemplis. praeterea verbi, quod est *fio*, formae antiquitus productae aliquando corripiuntur posteriore aetate. contra quod Luxorius [310, 1] et Venantius [VII, 21, 13; de v. Mart. III, 433] *diei* breviata dixerunt paenultima, id sine exemplo, quantum mihi constat, sunt ausi.

At quas classici corripuere syllabas lege vocalis ante vocalem positae, paucas extulere productas christiani. cuius licentiae ducem fuisse probabilest amicum quendam Gellii, in cuius carmine [XIX, 11] dimetris iambicis constante suspicor

esse reponendum '*ut fierem ad me mortuus*' — sicut Ennius dixit *fiere* longa *i* — pro eo quod vulgo fertur sine metro '*ut ad me fierem mortuus*'. porro apud Paulinum Nolanum et alibi invenitur saepe *fidei* longa *e* exemplo Ennii et paene ubique productum in compositis *prae,* ut apud Venantium in fine carminis de sancta cruce [miscell. II, 4] *in cruce rex fixus iudex cum praeerit orbi,* licet veteres secutus Ausonius dixerit [idyll. 4, 56] *te praeeunte,* item Paulinus Petricordiensis [de v. Martini II, 627] *praeeunte caterva.* non enim credo ab eis tales ineptias probatas, quas de Vergiliano illo [aen. V, 186] *nec tota tamen ille prior praeeunte carina* protulit Maximus Victorinus [gr. l. VI, 218], cum ne Bedam quidem fugerit verum [VII, 248]. contra idem Ausonius solus, quantum memini, illud *quoad* longa posuit *o* in ludo sapientum [XX, 132 ed. Schenkel.]:

manendo Solonem quoad sese recipiat.

fatendum tamen multa inveniri in hoc carmine mira, quorum pars ex Plauti Terentiique metrica male intellecta, quam subinde ibi imitatur, provenit. atque ita Venantius [miscell. V, 7, 20] posuit porrecta *o* id quod est *introiit.* verum quod et hic et alii *dehinc, dehisco, dehonesto* producta admiserunt *e,* id vero evenit ea doctrina, qua posteriorum plerique *h* pro consona adhibuere. praeterea haudquaquam inauditumst Graecis in verbis breves vocales insequente vocali produci ab auctoribus christianis, quamquam negavit fieri Schneiderus [gr. Lat. I, 98]. ita habes apud Ausonium [parent. 23, 10] *Dryadiam,* apud Sidonium [epigr. ad Maior. 13; 38; pg. 231 sq. ed. Luetioh.] *Geryonem* ac *Marsyam* longa *y,* porro Luxorii in carminibus [358, 9; 11] *Biantem* et *Periandrum,* Maximiani [3, 48] *Boethium* extentis *i* vel *o.* neque intellegitur, cur ultimi Latinorum in externo sermone abstinuerint licentia ista, quam vel optimo tempore identidem admisere ipsi Graeci.

At prior vocalium collidentium si sit brevis, potest quidem illa absorberi tota elisione facta, quale habes versu Praxillae:

ἀλλὰ τεὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθον

et Sotadis:

σείων μελίην Πηλιάδα δεξιὸν κατ' ὦμον

nec non apud Homerum et alios in vocabulo *Αἰγύπτιος*. sed ut apud Graecos haec est ratio omnium infrequentissima, ita apud Latinos, diversae vocales si concurrerint, paucis invenitur exemplis. quamquam quae Lachmannus [p. 129] e scaenicis attulit exempla cur Ritschelius et Fleckeisenus damnarint, non perspicio, cum neque a Graecis modus iste vitandi in mediis verbis hiatus sit petitus et reperiatur etiam alibi in metro iambico. adde quod eundem aperte secutus in tragoediis Accius etiam scriptura expressit dicendo *augura* pro *auguria*. contra nihil probatur verbis, quae proscriptionis tempore ad statuam Octaviani Caesaris adscripta testatur Suetonius [c. 70]. sunt autem haec: *pater argentarius, ego Corinthiarius*. quibus contineri, si dis placet, versum iambicum senarium quidam sibi persuasere:

pater árgentarius, égo Corinthiárius.

ubi ut species aliqua evadat metri, necessario cogendum illud *argentarius*. scilicet numquam statuis veterum adscripta sunt pedestria, ignotumque quam frequens in dicteriis Romanorum fuerit homoeoteleuton. non hercule magis ista continentur metro quam Asinii illud: *non est facile in eum scribere, qui potest proscribere*, aut Caracallae: *sit divus, dum non sit vivus.*

Apud eos vero auctores, de quibus agere institui, exempla extant haec.

Apud Lucilium legitur [Non. 281, 19]:

i primum dominia atque sodalicia omnia tollant;

ubi *domina* a prima manu Guelferbitanus liber cum Perotti Cornu copiae. plura de hoc versu sum dicturus infra, ubi de *i* et *u* mutatis in consonam agetur. porro Lucretius [II, 991]:

denique caelesti sumus omnes semine oriundi.

et ita Laevius adeoque in iambis:

complexa somno corpora
operiuntur ac suavi quie
dicantur.

in his nequis diphthongo potius insolita quam prioris vocalis elisione tolli hiatum existimet, cum Graecorum exemplis et Accii prohibetur, tum eis quae supra de Latinae synizesis legibus exposui. — longe usitatius est e geminatis *i* vel *u* absorberi alteram. et primum quidem occurrunt memoria

digna verba, quorum pars posterior a *iaciendo* sive a *iugo* descendit. igitur cum dactylici usque ad Propertium verbi quod est *iacere* composita semper sic adhibuissent ut prima eius littera consonae esset instar, id postea mutarist coeptum, adeo ut sit certum Senecae, Quintiliani, Gellii aequales una eas *i* et quidem vocali extulisse. et firmat rem Victorinus [2511], dicens acephalum hunc versum Maronis '*adicias nec te ullius violentia vincat*'. quod cum ita sit, non intellego, qua tam sera aetate optinuisse statuat Ritschelius [prol. Trin. p. 92], ut scriberetur geminata *i obiieiunt,* similia, quamquam non ignoro eandem a Gellio [IV, 17, 7 sqq.] commendari scripturam. sed neotericam normam primus uno exemplo secutus videri potest Ovidius ita [ep. ex P. II, 3, 37]:

turpe putas abici, quia sit miserandus, amicum.

ubi tamen Heinsius scribendum proposuit *abigi,* commodo usus invento et facili, quamquam defenditur illud *abici* Taciti verbis [ann. XIV, 52] *exueret magistrum.* nec de primae syllabae quantitate nimis timendum Manilii aequalis tempore declaratur exemplis. mox ceteri et corripuerunt passim praecedentem *iaciendo* syllabam aetatis propriae usu, nec rarius scriptorum veterum imitatione produxere. quod quidem solum probavit omissa ratione altera Valerius Flaccus. verum hic usus cum auctoritate antiquorum, non more niteretur aequalium, plerosque imprudentes fefellit. unde alii priorem compositionis partem longam, quasi natura ac non positione produceretur, extulere [Gell. IV, 17, 1], alii pro eo, quod est *icio,* scripsere *iecio* vel *hicio* [Lachm. p. 128], denique in verbo quod est *disicio* sibilam geminavere, quam ob causam idem plerumque cum *dissecando* permutavere librarii, veluti versibus binis Avieni in descriptione orbis terrarum [964; 1174] etiamnunc perperam fertur *dissicit* pro eo quod est *dissecat.* sunt autem verba haec '*Rhebas, cyanei qui dissicit aequora ponti*'; '*sic Elidis incola pontum dissicit Alpheus*'. idem verbum restituendum in Sidonii panegyrico Maioriani [418]. contra in Troadibus Senecae [395] illud *dissicat* traditumst libro Mediceo pro eo quod est *dissicit.* — etiam in verbis, quae ab *iugo* descendunt, qualia sunt *biiugus, quadriiugus, altiiugus* (quibus addemus in lexicis omissa *celsiiugus,* quo utitur auctor carminis in genesin

[v. 291], et *plaustriiugus* apud Martianum [341, 19 Eyss.], ubi male libri *plaustrilucis* vel *plaustrilucas*) eximitur prior *i*, at posterior liquefacta corripitur. nam ne credatur tempore vel antiquissimo coisse in istis *iiu* per synizesin, Ennii versu prohibetur illo '*Hectorem curru quadriiugo raptarier*', in quo non stabit metrum, nisi *quadriiugo* explerit paeonem quartum. ita idem vocabulum Sidonius [ad Consent. 371], *biiugum* Ausonius [epist. 11, 1] et Beda [p. 2373] diductis sunt dimensi syllabis. denique abiecta *i* habes apud Persium [1, 114] *meite*.

Non videtur ineptum hoc loco de *i* consona in medio verbo inter vocales reposita dicere. qua etsi recte contendit Aufrechtus [Zeitschr. für vergl. sprachforschung I, 224—234] non produci, vulgo ut creditur, syllabam brevem — namque hoc si statuetur, qui potuit evenire, initio verbi collocata illa ne semel quidem ut praecedentis verbi syllaba finalis positionis iure longa efficeretur? —, tamen hic non magis quam ceteri demonstravit, cur in *reiciendi* vocabulo, quod ipse pariter ac relicui oblivio praeteriere, producatur haud dubie natura brevis prima. sed ita res habet. nempe *i* consona ubicumque mediis verbis admissa praeeuntem habet vocalem, cum ea, nisi et ipsa sit *i*, coalescit in unum, ita ut *eieci*, *proieci* *ei* vel *oi* diphthongos habeant, quae ut firmiores longe quam *ae* vel *oe* potuere vel ante vocales propriam retinere quantitatem. ceterum, si longa fuerit vocalis prior, ne videatur ortus sonus non differre ab eo, quem habemus in *deinde*, *proinde*, Graecorum auctoritate prohibemur, qui semper *Πομπήιον* et *Βηίους*, non umquam *Πομπεῖον* et *Βείους* scribunt. quare potius adducor, ut credam sonuisse diphthongum idem apud Romanos, quod antiquissima aetate Graecorum *η* vel *ω* cum *ι* subscripto. conferenda etiam, quae de disyllabis illis *Pompei*, *Voltei* infra dicta. illarum autem, quas exposui modo, rationum similitudo traxit et Graeca quaedam, qualia sunt *Aiax*, *Maia*, *Troia*, quae vetustissimo tempore a Latinis recepta proprias servarunt diphthongos, quibus simul exemplis declaratur verissimam esse, quae nunc optinet, *αι* et *οι* diphthongorum Graecarum pronuntiationem. contra minime mirum, quod aliter formarunt idem *Boeotum*, *Maeotida*, similia, posteriore

longe spatio recepta, quo iam diphthongorum spuriarum magis magisque invaluit odium. nam nec in Latinis vocibus morem illum pronuntiandi ultra nonum a. u. c. saeculum optinuisse credam. insequentes quod tamen semper *proieci* et *Troia* et similia extulerunt eadem qua veteres quantitate, id vero fecerunt auctoritate priorum, simul quod *i* in illis plerique duplicis instar credidere consonae. nam quod Tullium constat scripsisse *aiio* et *Maiiam*, hac ipsa re nihil aliud videtur significari quam illud *i* neque vocalis prorsus neque consonae, sed mediae potius litterae in verbis istis optinere vicem.

Iam ut exsequar unde sum digressus, altera *u* delitescente dixerunt veteres *Vesuvium* et *Pacuvium* [Lachm. p. 306] tribus sive quattuor syllabis. ita bis est apud Silium [XI, 58; 313] restituendum *Pacuio,* cum habeat liber Coloniensis, longe ille praestantissimus — nam ceteros non curo — *Paculo* vel *Pacullo;* ita in Vaticanost Persii [1, 77] *Pacuius.* Iuvenalis satura sexta [343] *simpuvium* vel *simpulum* (i. e. *simpuium*) aequa fere nituntur auctoritate. apud Nonium s. v. '*simpuvium*' [p. 544] in ipsius pariter verbis atque Varronis *simpuium* habes et *simpuio,* ut apud Ciceronem s. v. '*Samium*' [398] *simpuia*, quamquam in alio fragmento Varronis etiam apud illum extante [545] fertur *simpuvium.* quin apud Maronem Aeneidos VII [750] cum habeat liber Romanus *Marrula,* scribendum esse videtur *Marruia,* prout est apud Strabonem *Μαρούιον.* sic *Lanuinum* habes apud Frontonem [p. 31 ed. Naber.], porro *Lanvini* in versibus Arioli Naeviani, quos emendatos ascribi placuit. sunt autem hi [Macrob. III, 18, 6]:

quis heri ápud te? — Praenestíni et Lanvini hóspites. —
suópte utrosque décuit acceptós cibo,
altrís inanem búlbulam madidám dari,
altrís nuces in próclivi profúndier.

in quibus praeterquam quod scripsi *Lanuini* et *altris* — nam vulgo fertur *Lanuvini* et *alteris* — *bulbulam* posui pro eo quod est in scriptis libris *bulbam* sive *bullam.* — ceterum haec cum ita sint, apparet non recte a Lachmanno *Pacuium* et *Vesuium* tribus syllabis elata Oscorum ad usum reducta esse, qui pro simplici *u* vocali posuere plerumque consonam,

cum potius propria illa sint Latini oris et eodem modo dicta, quo *adicio, obicio.* nam quod pro libidine *u* vel consona evenit vel vocalis, id vero legitima norma sonorum, supra quam proposui, evenit. ceterum ab eadem ratione, non Graecanica norma, venit *Argius* pro *Argivus,* quod bis apud Livium [XXV, 25, 3; XXXIV, 25, 7] librorum Puteanei vel Bambergensis firmatur auctoritate, nec minus huc pertinet adiectivum *dius,* quod digamma eiecto primum, ut puto, eas formas, quae flexione *u* addunt, mox ceteras imminuit, etsi quae pleniores eaedem potiores fuisse videantur omnino quolibet tempore. mansit tamen illud *dius,* quod agnoscitur a Terentiano [670], ad sextum p. Chr. n. saeculum [cf. fin. opusc. IV]. praeterea dignum memoria semper omissa *e* pronuntiari *anteactum, anteambulonem, anteea, anteire, antehac, neumquam, neusquam, neutiquam,* id quod in illis, quae sunt *anteea, neumquam, neusquam,* semper, aliquando etiam in *anteeundo* declaratur scriptura. tamen scholastico acumine Ausonius, ut compositionis partes apparerent, dixit *anteit* trisyllabum [idyll. 11, 16] '*quem noviens senior Gangeticus anteit ales*'. huius igitur facetias excusent, qui etiamnunc inter synizesis exempla referunt *antehac* et *anteire.* ceterum non magis *fortassean* potuit esse Accio tetrasyllabum, quamquam fertur vulgo eius versus talis '*fortassean sint quos hic non mertet metus*'. in quo tamen scribendum esse *fortasse an sit quod hic nos mertaret metus* fatebuntur qui legerint lemma Nonii adscriptum [138, 29]. ceterum *deorsum* et *seorsum* ubicumque reperiuntur disyllaba, scribendo pronuntiandoque etiam priorem vocalem subtrahemus potius [cf. Lachm. p. 134] quam synizesis molestiam adhibeamus, qualem ut devitaret Ennius *dehortandi* verbum diremit per tmesin ita [401] '*Hannibal audaci cum pectore de me hortatur.* — denique addo non recte in Anthologiae carmine quodam de ventis, licet non sit notae optimae, [484 R.], ferri v. 19 *euroaustrum,* ubi plures codices *euraustrum;* ac sic etiam infra [21] reponendum *austrafricus* pro *austroafricus.*

Iam ad contractionem vocalium concurrentium ut transeamus, dixerunt poetae veteres *colesco* et *coperio* [Lachm. p. 134 sq.] pro eis, quae sunt *coalesco* et *cooperio,* quamquam raro usu aut ambiguitate metrorum subobscuro. quare per-

peram Consentius [gr. l. V, 387; 392] asserit barbare dici vulgo *coperit* pro *operit,* scilicet non intellecto, qui sit ortum istud vocabulum, quod et Gellium [II, 17, 7] fefellit et alios. deinde Lucretius etiam posuit [I, 977; III, 862] *probeat* et *probet* et *flutat* [III, 189]. praeterea *desse* et *derrare* [cf. Vel. 2227] constanti semper usu dicitur. quippe *desse* geminata *e* ubi ponatur nusquam inveni praeter unum versum rythmicum [Daniel. I, 102, 12] '*abest limus, deest fimus, lues nulla cernitur*'. deinde sicut pro *chortes* dixerunt alii *coortes,* ita coartantes disiuncta *cohortes* vulgo pronuntiaverunt *cortes* [Vel. 2234]. porro *conestare* dixit Accius hoc versu:

pro se quisque cum corona clarum conestat caput.

nam traditumst antiquitus *constat* vel *conectat.*

Iam exponemus, quaenam in contrahendis illis *mihi, nihil, prehendo, vehemens, mehercule* (sive *mehercules*) optinuerit observantia. et *prehendo* quidem ac *prendo* utrum promiscue adhibuerint scaenici an exclusa forma longiore, nondum sat constat. dactylici utraque usi sunt, sed potius breviore. et saepe in compositis trisyllabae parum fuit loci. e grammaticis, qui diversa tradunt, Velius [2229; 2234] et Scaurus [2256] damnant adiectum spiritum. at illud *vehemens* cum Lachmannus neget reperiri distractis syllabis prima et secunda praeter hendecasyllabum M. Aurelii Caesaris [ap. Fronton. pg. 30 ed. Naber] '*nos istic vehementer aestuamus*', nec ipse alia exempla inveni excepto uno Prudentii [p. st. 6, 20]:

praeceptor vehemens eundo firmat.

verendum tamen, ne quidam id statuant casu esse factum, quamquam asserit Velius cum Scauro emendatius dici *vemens.* denique *mehercule* tribus syllabis elatum posuit Catullus [38, 2]:

malest mercule et est laboriose.

cui accedit Phaedrus, apud quem ubique invenitur *mercules,* quod etiam a nobis restitutumst fab. Per. 12, 3.

Iam illud *nihil,* quod pro origine aliquando ab Ovidio adhibitum iambice iam monui in prohoemio, plane ut *nihilum, nihili, nihilo,* semper puto contractionem passum apud scaenicos, ut, sicubi diductis occurrant vocabula ista syllabis, exemplum vel corruptum existimem vel interpolatum. verum

a Ciceronis tempore eadem haud dubie inveniuntur integra, et quidem brevi syllaba altera, ut apud Catullum [61, 192]:

at marite (ita me iuvent
caelites) nihilo minus
pulcher es.

idem alibi [17, 21]:

talis iste meus stupor nil videt, nihil audit.

ac tamen usque ad Augusti finem potiores fuisse existimo formas breviores easque restituendas ubivis, quando metro id permittitur. praeterea eaedem usque ad exitum litterarum Latinarum pro necessitate versus usurpatae promiscue [cf. Serv. comm. in aen. VI, 104].

Ceterum in his, de quibus modo dixi, quam mature quamque licenter variaverint librarii, demonstrat Cassiodorii locus, qui testatur [gr. l. VII, 153] apud antiquos et Ciceronem aeque legi *vehemens, prehendo, nihil* ac *vemens, prendo, nil.*

Restat *mi* pro eo, quod est *mihi*, dictum, quam formam euphoniae studio ortam cur ab arsi versuum scaenicorum excludi velit Ritschelius [proleg. Trin. p. 291] non capio, cum apud dactylicos non minus in illam quam in thesin inveniatur admissa. et quamquam evenit aliquando, ut *mi* pro *mihi* poneretur a librariis, tamen longe saepius contrario errore peccavere idem, nonnumquam etiam illud *mi,* quod descendit a *meo,* ut distenderent. e dactylicis usi sunt breviore forma, ubicumque longior inepta esset metro, indifferenter Ennius, Lucilius, Lucretius, Catullus, Vergilius in Aeneide, Horatius in Saturis aliquoties, in Epistulis semel, si integer locus est, et quidem libro priore et in antitheto [I, 18, 112]:

det vitam, det opes, aequum mi animum ipse parabo,

porro Ovidius in Transformationibus, Propertius, Phaedrus, Petronius, Persius, Iuvenalis, Septimius, Prudentius in iambis, Ausonius, Venantius. sed abstinuere plures: Vergilius in Bucolicis et Georgicis et opusculis, Horatius in melicis et iambicis, Ovidius in distichis, Tibullus, auctores Priapeorum, Manilius, Seneca, Lucanus, Calpurnius, auctor ad Pisonem, Homerus Latinus, Statius, Silius, Valerius, Martialis, Nemesianus, Sammonicus, Claudianus, Rutilius, Terentianus, Boe-

thius, Avienus, Iuvencus, Prudentius extra iambos, Paulinus Nolanus, Martianus, Sedulius, Luxorius, Sidonius, Maximianus, Arator, Priscianus, Corippus, Orientius, Eugenius, alii. ceterum qui breviore forma utuntur, tantum non omnes adhibent rarissime nec praeter metri necessitatem, bis Vergilius [aen. VI, 104; 123], ter Ovidius [met. IX, 191; XIII, 503; XV, 600], semel Persius [1, 2], semel Iuvenalis [10, 82]. quare pessime habet, quod voluit Perlcampius scribi in Horatii versu asclepiadeo [c. III, 16, 38] '*nec mi plura velim*'. ceterum falsus est Servius dicendo [ad aen. VI, 104] pronomen *mihi* non venire in synhaeresin eam ob causam, ne incipiat esse blandientis adverbium, cum potius odio monosyllaborum aut patientia hiantium in medio verbo vocalium, quibus intercederet *h*, videantur recentiores vitasse formam breviorem. praeterea, ut omittatur *di* vel *dis*, invenitur *mis* pro *meis* in epitaphio Cn. Scipionis:

virtutes generis mis moribus accumulavi

et in Troasin Senecae [191]:

ite, ite inertes. manibus mis debitos
auferte honores.

porro dignum memoria Lucretium, cum ei non liceret illud *aranei* tribus syllabis efferre, ab eo quod est *aranius* ductum dixisse *arani* [III, 383]. denique *i* et *is* pro illis, quae sunt *ei*, *eis*, qui dixerit dactylicorum non invenio. nam quod Vahlenus dedit versum Ennii talem [320]:

is pernas succidit iniqua superbia Poeni,

cur spreverit quod habetur apud Paulum *his* non video. quamquam ne optimis quidem testibus satis constat harum rerum fides, cum perpetuo confundantur interse et permutentur *ii*, *iis* et *hi*, *his*. ita Iuvenco reddendumst [h. e. I, 500; 503] '*visibilis deus his*' et '*his mox regia caeli*' pro vulgato *iis*. quis enim credet poetas dactylicos ibi usos contractionum insolentia, ubi liceret eis uti pronominis *hic* paratis formis magisque vividis? ceterum cum *i* et *is* non videantur inveniri extra scaenicorum libros, non tamen placuere *ei* et *eis* disyllaba. at in composito legitime optinuere *idem* et *isdem*, miraculosum paene ut sit hoc Iuvenalis [14, 30]:

implet et ad moechum dat eisdem ferre cinaedis,

non bene docti in v. quodam Claudiani [18, 412]:

ecce recens clades ab eisdem partibus exit.

et in Calpurnii carmine VII unice verumst, quod optimo codice firmatur [71]: *et in isdem* (cd. *hysdem*) *saepe cavernis aurea cum croceo creverunt arbuta nimbo,* ut est apud Propertium [I, 2, 11]:

surgat et in solis formosius arbutus antris.

vulgo apud illum fertur *et eisdem.* haec autem omnia ut possent provenire, prior *e* sequenti vocalist assimilata. praeterea notabo bis videri produxisse Lucilium ut contractione natam primam syllabam verbi indeclinabilis, quod est *ducentum* [XVIII, 1; XXX, 18], cum alibi ipse pariter cum ceteris *ducentos* et *dupundium* [XV, 1; inc. 73] efferat correpta eadem. ita coactis *u e puros* Lucretius [IV, 1019], *puritiem* dixit Ausonius [prof. Burd. 10, 17]. denique *dis* pro eo quod est *dives* binis, nisi quid me fugit, dactylicorum constat exemplis, quorum alterum apud Sammonicum reperitur [397], ubi in libris est *quis,* alterum apud auctorem versuum de figuris [87]. quod in tanta librorum penuria non est mirum, quamquam vulgo optinuisse formam contractam non inepte concludes e versu Ausonii [grammaticomast. 16]:

dives opum cur nomen habet Iove de Stygio dis?

Iam pleraque alia declinationum et coniugationum eadem ratione sonorum imminuta ut omittam, de quibus septimo exponetur libro, ad alterum contractionis genus transibimus, quod constat *i* vel *u* duratis in consonam. — quae synhaeresis minore fit culpa in verbis omnino dactylico metro ineptis. prorsus autem exclusumst hoc genus synizesis a compositione verborum, veluti non potest in eo, quod est *semianimus, i* pinguescere. neque magis eam licet adhiberi coniugationum flexionibus exceptis paucis exemplis vetustissimorum ac recentissimorum poetarum, veluti apud Lucilium [l. inc. 9 bis] *maluisti,* apud Corippum [ioh. IV, 691; VI, 177] *paruere* et *miscuissem* tribus habes syllabis. quare non recte Iuvenali *condiat* disyllabum tribuit Lachmannus, qui et alias nimis facilis fuit admittenda synizesi.

Porro alienumst a fide Latinos post geminatam consonam *i* vel *u* extulisse consonam. sed dixere potius Lucilius [III, 9; XV, 5] et Martialis [II, 5, 3] *passum,* Vergilius

[aen. VI, 653] *currum*, ut fortasse *manum* [VII, 490], Ennius [ann. 90; 609], Seneca [Herc. Oet. 1095], Terentianus [419] *quattor*. unde apparet non esse tolerandum, quod in nonnullis fertur editionibus Martialis [II, 29, 5] *Marcelliano* pro *Marcellano*. nam ne a Paulino quidem illo, qui Theodosio minori fuit aequalis, in ecloga cognitu dignissima, quae Claudii Victoris Alethiae legitur subiecta in libris, elatum existimo trisyllabum [v. 66] *Passiena*, sed scribendum *Passena* (cd. *Passina*), quae non minus bonast forma. — pro eo autem, quod est *stellio*, in Georgicon IV [243] recte Mediceus et Romanus *stelio*. nec a Persio venit illud [2, 10] *ebulliat*, pro quo libri boni habent *ebullit*, sed aut *ebuliat* subtracta consona altera, ut fit in *Allia, tinnio, hinnio*, aut *ebullet* ab *ebullando*, ut legitur in codicibus nonnullis [cf. Neuii gramm. lat. II, 432].

Contra alia inveniuntur synizesis huius exempla, nobis quidem quae videantur sat dura, qualia sunt *vietis* Horatio, *omnia* Vergilio, *patrui* Statio elata binis syllabis. sed enim fatendum multa in pronuntiatione latina incerta necdum expedita. ceterum simul *i* et *u* qui pinguescere passus sit, non invenio praeter Statium, quamquam ne de hoc quidem satis constat. conferenda quae infra dicta de verbo *tenuis*. — genus autem hoc licentiae praeter primum hexametri locum, cuius nota libertas, quintum potissimum obtinet et sextum, qui propria quadam tenentur lege podica. comparanda quae mox de synizesi dicentur graecanica.

Igitur *i* vel *u* in consonam mutata apud Ennium legitur [ann. 112; 443; 91] *Nĕrienem* et *insidiantes* et *ăvium*. quod contra Lucilius non scripsit in III [11], ut Lachmannus voluit, *Dicaearchium* mensura tali: ◡ – – –, sed *Dicarchitum*. neque sat constat, in XIII [9] utrum sit legendum:

> primum dominia atque sodalicia omnia
> tollantur

an quod supra posuimus de coniectura:

> i primum dominia atque sodalicia omnia tollant.

potuit enim facillime ex illo *tollant* oriri *tollantur*, cum sequatur nomen *Turpilii*. ab eodem tamen poeta bis illud *maluisti* ternis elatum syllabis [inc. 9]. mox *Camerium* metro phalaecio cum synizesi posuit Catullus [55, 10]. at apud

Vergilium eadem reperitur in eis, quae sunt *abiete, abietibus, ariete, arietat, pariete, parietibus, fluviorum, stelio, omnia, precantia,* porro in *genua, tenuis, tenuia.* constant vero exempla numero XXII. praeterea curate quaesivere homines docti, *Lavinia* an *Lavina litora* principio Aeneidos dixerit idem, multa illi in utramque partem disserentes, etsi minime locus sit ambigendo. ac primum quidem codex Romanus cum aliis multis habet *Lavinaque,* cum in Mediceo quidem sit *Lavinia* adiecto signo liturae. porro grammaticorum, qui afferunt versum, libris quamquam plurimum variat lectio, tamen antiquissimus auctor Gellius firmat *Lavinaque.* sed quid opus seris testimoniis, cum Propertius ipse pentametro tali '*iactaque Lavinis moenia littoribus*' haud obscure tueatur illud *Lavina.* nam quod dicit Lachmannus *Lavinis* dictum esse pro *Laviniis,* non invenitur apud istum contractio illa. qui si legit *Lavinia* apud Maronem, cur non scripsit '*iactaque Lavini moenia littoribus*'? descendit vero adiectivum *Lavinus* a breviore urbis nomine *Lavinum,* quo usus est Iuvenalis [12, 71]. sunt autem *Lavina littora* eadem ratione dicta, qua ipsi Vergilio *purpura Meliboea,* Namatiano *Lepidum malum,* Corippo *Iustinianus apex,* aliis alia. fac soloecum esse illud, tamen inepte dicetur non esse Latinum, quod tot scriptores Latini sine offensione legisse noscuntur. at *Lavinia* et synhaeresin qui maluerint, eis vero primum omnium erit commonstrandum quemquam poetarum Romanorum, nedum diligentissimum omnium Maronem, in ipso quasi limine operis tam insigni usum esse inelegantia metri. certe Valerius Flaccus, initium libri synizesi ut ne depravaret, *Iulos* dixit pro *Iuliis* [I, 9]. longe rarius Vergilio adhibuit contractionem Horatius, qui ponit coactis syllabis in hexametris [s. I, 7, 30; II, 8, 1; 21; ep. 12, 7] illa *vindemiator, Nasidieni, Servilio, vietis,* praeterea in hendecasyllabo alcaico [c. III, 4, 41; 6, 6] *consilium* et *principium.* at Ovidius semel, non saepius, admisit idem, et quidem in Transformationibus [XV, 718]:

et tellus Circaea et spissi littoris Antium.

contra idem pro ariete Phrixeo arborem sustinentem eius vellera non sine scabritie quadam maluit dicere [met. VII, 151]:

dentibus horrendus custos erat arboris aureae.

ubi quidam libri per interpolationem *arietis aurei.*

Insequentes ut paucitate exemplorum Ovidium, ita specie Maronem sunt imitati. omnino abstinuere licentia tali, minores poetas ut omittam, Tibullus, Manilius, Grattius, Homerus Latinus, Persius, ut videtur, Martialis, Seneca, Calpurnius, auctor ad Pisonem, scriptor Aetnae, Nemesianus, Claudianus, Rutilius, Symphosius, Boethius, Terentianus, Martianus, Avianus, Sedulius, Maximianus, Arator. in quibus quod etiam posui Martialem, iam supra negavi ferendum apud eum illud *Marcelliano* [II, 29, 5], nec rectius Gilbertus eidem tribuit trisyllabum *Vipsanias* [I, 108, 3]. nam videtur pro *Vipsanio* etiam *Vipsanus* fuisse nomen gentilicium, sicut *Albinovanus;* de quo dixere docti ad Hor. Ep. I, 8, 1. itaque ne *Vipsanis* quidem apud eundem Martialem [IV, 18, 1] repetendum a *Vipsanius.*

At e ceteris semel admisit synizesim auctor carminis de Maecenatis obitu [v. 109] *viscera dissecti mutaverat arietis agno;* semel Iuvenalis [6, 82] *comitatast Eppia ludium,* semel Sammonicus [324] *ebibe seu salibus pipper adde et tenue cuminum;* bis Propertius [IV, 18, 12; V, 1, 42] in his quae sunt *abiegnae, abiegni;* ter Valerius Flaccus sic [VI, 368; VII, 405; VI, 225] *arietat; abietibus; tenuia;* septies Statius exemplis talibus [theb. VIII, 156; V, 597; VI, 196; IV, 697; XII, 2; silv. I, 4, 36; theb. IV, 429]: *genua; tenuia*; *tenuior; tenuiore; patrui;* denique quater decies Silius, simia Maronis, cuius sunt spissata *i* vel *u* [III, 442; VI, 352; V, 554; XII, 40; 535; XVI, 697; IV, 149; II, 361; VI, 226; VII, 503; X, 182; I, 529; VI, 19; IV, 147]: *abiete; ariete; arietat; parietibus; sinuatis; sinuato; sinuatur; genua; tenuis; tenuia.* ita Sidonius [burg. Leont. 200; paneg. Maior. 590] illa singulis locis imminuta habet *i: parietibus; vesties;* Prudentius [hamart. 488; 852] *arietat; parietibus;* Ausonius [epist. 9, 28; idyll. 16, 24; 2, 49; eclog. de rat. dier. ann. vert. 3; idyll. 11, 44; epist. 16, 87] *carentia; omnia; omnium: ariete; parietibus; Silvios.* et *Silvios* quidem disyllabum factum in iambico dimetro, si recte habet lectio:

Silvios Iulis miscuit.

ubi laesa, ut aliquotiens a christianis, lex illa, qua ab iambicis metris ac trochaicis hanc arceri synizesin supra declaravi,

Restat unum ex Parentalibus [17, 16] exemplum:

cape munera tristia parentum.

quod tamen a relicuis Ausonii modulis alienum et haud dubie vitiosum. fortasse scribendum: *cape munera tristia rite.*

Non autem constat satis de synizesi, quam plerique putant admissam in eis quae sunt *pituita, promunturium.* nam *pituitam* cum dici existimarit Aelius Stilo [Quint. I, 6, 36], *quia petat vitam,* probabilest a nonnullis elatam correpta prima. possis etiam suspicari *i* paenultimae aliquando correptam, sicut in illis *fortuitus, gratuitus.* itaque satis erit notari apud Catullum [23, 17] id quod est *pituita* implere ditrochaeum. contra Horatius [s. II, 2, 76; ep. I, 1. 108] idem vocabulum utrum trisyllabum voluerit fieri per synizesim, quam alias non admisit nisi in *i* littera, necne parum constat, nec magis Persius [2, 57] utrum choriambum posuerit an molossum. sane aliud apud eum synizesis exemplum non invenitur. — porro *promunturium* cum alii deducant a *prominendo,* alii a *monte* (nam et *promuntorium* sive *promontorium* scribitur), tertiam a fine brevem, ut in *tugurio,* videntur tria quae extant in versu indicare exempla. sunt autem haec [Pacuv. ap. Gell. IV, 17, 15; Lucil. III, 12; Ov. Met. XV, 709]:

Idae (id *cdd.*) promunturium, cuius lingua in altum proicit;
— promunturium (promontorium *cdd.*) remis superamu' Minervae.
inde legit Capreas promunturiumque Minervae.

Semovi vero quaedam, perperam vulgo synizesis exemplis quae attribuuntur. ac primum quidem *fortuitus* quamquam haud dubie longa *i* ponitur a Plauto et Horatio et Phaedro, tamen eodem iure quo *gratuitus* [Stat. silv. I, 6, 16] eandem corripiet. neque aliter stabit versus Manilii [I, 182] '*nam neque fortuitos ortus surgentibus astris*', cum abstineat ille omni synhaeresi. quare in versu ut puta hoc Iuvenalis [13, 225] '*non quasi fortuitus nec ventorum rabie, sed*' non dicemus illud quod est *fortuitus* per synizesin explere molossum, sed potius integris syllabis choriambum.

Sed plurima contractionis exempla sustulimus dempto vocabulo *conubii,* quod, vulgi opinionem et vetustum errorem si amplecteris, semper habet longam antepaenultimam, ut, ubicumque in dactylico metro prima sit in arsi syllaba, ap-

pareat *i* vertendam in consonam. et notabile quidem debuit videri, tot exempla durissimae synizesis cur noluerint vitare poetae ponendo *coniugium* vel *coniugialem.* sed enim augebitur admiratio reputantibus Lucani et Senecae, qui numquam *i* vel *u* mutarunt in consonam, versus tales [II, 330; 343; Hippol. 232]:

mox ubi conubii pretium mercesque solutast.
conubii. liceat tumulo scripsisse: Catonis.
conubia vitat. genus Amazonium scias.

quamquam apud Lucanum potest poni illud *conubi.* — porro Statius synizesin cum alibi non plus septies admiserit similem, in uno vocabulo *conubii,* si productam habet semper secundam, deciens octiens eam adhibuisse erit credendus. — sed quid multa? *conubium* corripere antepaenultimam testatur Consentius ita [gr. l. V, 388]: *ectasis est, cum correpta syllaba poeta sic auctoritate sua utitur, tamquam sit temporis longioris, ut est 'Italiam fato profugus' et 'conubia nostra reppulit', cum i et u aperte breves sint, ut alibi 'antiqua e cedro Italusque paterque Sabinus' et 'conubio iungam stabili propriamque dicabo'.* quibus convenit quod Servius [ad aen. IV, 213] eisdem exemplis usus dicit modo produci, modo corripi a Vergilio in vocabulo isto antepaenultimam. quare recte stat *conubium,* ubi ratione musica non licet molossum poni pro choriambo veluti versu hoc Claudiani [40, 18]:

vectigal meritae conubiale lyrae

aut Prudentii tali [cath. 3, 75]:

nexilis inscia conubii

sive males Martiani [I, 92, 39]:

illum conubio rite iugarier.

quibus addas Sidonii hendecasyllabum [praef. ep. Pol. et Ar. 1]:

prosper conubio dies coruscat.

quodsiquis christianorum poetarum exemplis fidem abrogarit, at certe Claudiani testimonium firma stat auctoritate.

Restant partes orationis eae, quarum prius est membrum *semi.* quod ubi excipitur insequente vocali et retinere potest postremam et abicere, perinde ut confirmentur auctoritate librorum ut puta et *semianimis* et *semanimus.* pleniore autem forma servata etsi minime synizesin admitti posse supra indicavi, tamen placet rem altius repeti.

Igitur primum omnium quis credet eos, qui numquam *i* vel *u* mutarint in consonam, dixisse *semiesum, semihominem, semiobolum* [Priscian. de pond. 8], similia, cum vulgato usu *i* vel demi posset vel addi. sed ne ceteros quidem pro relicua modestia probabilest durissimam synizesim quam paratum ultroque oblatum maluisse auxilium. maxime autem omnium notabilest ne in iambis quidem umquam inveniri formam longiorem, sed posuisse Senecam *semiustum* ternis, item *semianimum* quaternis syllabis nec aliter Prudentium [peri st. 2, 348] *semiustulatum* quinis. praeterea notandum Ovidium [am. I, 6, 4] *semiadapertum* potius dixisse quam *semiapertum*. — iam cum ne apud scaenicos quidem antiquissimos recorder usquam me legere *semi* sequente vocali integrum, recte statuetur semper pronuntiatum in carmine ut puta *semesum, semanimem*, quod non est dubium quin florentissima aetate linguae Latinae etiam pedestris orationis usu optinuerit. contra quod Wagnerus [ad aen. III, 578] ideo damnat *semhominem*, quia non videantur Romanis certe antiquioribus placuisse coiugatae litterae *m* et *h*, plane falsumst vanumque. unde enim hoc illi compertum? sed dixerunt *semhominem* complures, porro Catullus in glyconio metro [61, 216] *semhiantem* et amicus Gellii [XIX, 11], *οὐκ ἄμουσος*, ut ait ille, adulescens, *semhiulcum*. ceterum, ut iam memoravi, eis, qui nihil probant nisi librorum testimoniis tutum, solatio erit et *semesum* et *semanimum* et alia bona niti codicum auctoritate [cf. Lucr. VI, 1266; Verg. aen. III, 244; 578; VIII, 297; XI, 200; Iuven. 5, 167], quamquam saepius invenitur addita *i*. sed iam taedet nugarum, neque enim id agimus, ut demonstremus pronuntiando easdem omnino quas scribendo litteras expressas semper a Romanis, quod mihi quidem videtur longe aliter habuisse.

Eadem autem plane res est in compositis, quae habent *sesqui* insequente vocali. igitur ut vulgo *sescunx* vel *sesquunx*, item *sescuncia*, ita a Varrone *Sesculixes* dictus pro *Sesquiulixe* vel *Sesquulixe*. porro apud Plautum in Captivis [725] scribendum:

cotidiano sesquopus confeceris.

nec non *sesquialter*, sicubi in versu invenitur, trisyllabum, non tetrasyllabum. similiter Laevius Nestorem dixit *dulcore-*

locum, non *dulciorelocum.* ne Ausonio quidem convenire puto, quod legitur in epigrammatis [128, 3 sq.]:

> muliebre membrum quadriangulum cernit.
> triquetro coactu δέλτα litteram ducit.

ubi unus liber a prima manu habet *quadrangulum.* scribendum:

> muliebre membrum cum quadrangulum cernit,
> triquetro coactu δέλτα litteram ducit.

Porro *larva* et *larvalis* apud Plautum et in Priapeo quodam [32, 12] habent *u* vocalem, at illud apud Horatium [s. I, 5, 64] consonam. atque ita christiani. item *miluus* usque ad Phaedrum [I, 31, 3; 10] ac Persium [4, 26] mansit trisyllabum; mox in brevius artatumst. denique *relicuus* usurpatum a scaenicis Lucretioque ac Phaedro. et Lucretius quidem propter dactylici numeri necessitatem duplicavit *l* [I, 560; III, 646; IV, 973]. post Phaedrum obtinuit *reliquus,* quod tamen diu non satis visum urbanum. itaque et hac forma et priore, quam dactylicum metrum respueret, abstinuere plerique saec. I poetae, non tamen Persius, Iuvenalis, Martialis, Sulpicia ac duriores epici Statius Siliusque [cf. Bentl. ad Phaedr. I, 31, 13; Lachm. pg. 305].

Et in his quidem omnibus non licentiam metricam scriptorum, sed vulgaris sermonis agnosces differentiam. at Varro quod posuit *promisque* pro vulgato *promiscue* seu *promisce* hoc versu [Non. p. 361] '*cetera promisque voluit communia habere*', id Lucilii [Cassiod. 2283] fecit commotus auctoritate, qui statuit tum recte poni *q,* cum ei, quod est *c,* statim *u* littera et alia quaelibet vocalis iungantur. denique *arquatum* tribus semper syllabis dixerunt poetae. praeterea in *Gaio* et *Gaiano i* vocalem constanter servarunt antiquiores, neque aliter Terentianus [897]. sed insequentibus saeculis consonam placuisse poetarum usu [ut Auson. epigr. 75, 1; 5; 9] et Probi [gr. lat. IV, 104] ac Prisciani testimoniis [p. 739] confirmatur. denique non definiam, quonam iure inter synizesis exempla disyllabum *tenue* rettulerim. etenim quamvis haud raris exemplis et in hoc verbo et in compositis comprobetur *u* vocalis, quae et adseritur Terentiano [748—759] et ei, qui scripsit ad Caelestinum de ultimis syllabis [IV, 257], aliisque auctoribus, tamen nec illud

negaverim, tam saepe in eo inveniri eandem consonam, nusquam ut saepius, et quidem etiam apud illos auctores, qui numquam alias admiserunt synizesin, Lucretium puta et Sammonicum. accedit quod Statius *tenuia, tenuior* binis, *tenuiore* ternis dixit syllabis, in quibus si statuerimus pariter *i* et *u* duratas esse in consonam, id certe exemplo carere alias fatendumst. quae cum ita sint, plerumque adducor ut credam in eo quod est *tenuis,* sicut in *solvendi* et *volvendi* verbis, *u* fuisse sono incerto et consonam inter ac vocalem medio.

At in Graeca vocabula pro diversitate linguae alienae figura modo enarrata penetrare non potuit. excerpuntur quae antiquissimo tempore recepta vulgari pronuntiatione novatam semper retinuerunt *i* consonam, ut puta *Graius, Troia, Aiax, Maia,* ita tamen ut *i* esset media inter vocalem et consonam, sicut antiquissimo tempore in *proicio, proieci* vel in vocativo *Pompei,* quo Horatius usus est. contra *Achaia* ubi in versu trisyllabum sit, non invenio.

Porro vix memoria dignum, quod in libris scriptis aliquando ponuntur trisyllaba illa *Naiades, Pleiades* pro *Naides, Pliades.* — igitur vergente demum aetate et apud deteriores potissimum auctores evenit licentia illa. sed primum exemplum (nam '*Pharsaliam coeunt*' et '*io, Hymen, Hymenaee, io*' cum synizesi elata non rectius tribuerunt quidam Catullo [64, 37; 61, 120 sqq.] quam alii imminuta item Martiali [XI, 2, 5] '*clamant ecce mei: io, saturnalia, versus*' vel Silio [III, 495] '*Ossaque cum Pelio*') invenitur versu satirico Sulpiciae [5]:

nec trimetro iambo nec qui pede fractus eodem.

quod vitium non potest tolli nisi scripseris:

nec trimetro nec qui pede fractus iambus eodem.

proximus huic, quae Domitiano fuit aequalis, Terentianus cum Ausonio [technop. XII, 7] ponit *iota* disyllabam, qui dicit auctoritate nescioqua etiam apud Graecos *i* brevem initio verbi fieri consonam [501—506]. cuius sane usus aetate ultima certa quaedam inveniuntur exempla.

Ita et in Latinis versibus habes coacta apud auctorem incertum in appendice Ausonii [monost. de VII sapientibus

pg. 250 ed. Schenk.] *Periander,* apud Licentium [139] *christiana* et in Anthologia [102, 2 R.] *Iasonis.* praeterea simili errore quidam ultimorum temporum scriptores dixere *euangelicum* et similia *u* consona et correpta prima, veluti Paulinus Petricordiensis [d. v. Martini I, 2; VI, 211]. ita Venantius Fortunatus [miscell. IV, 1, 5]:

hoc igitur tumulo requiesit Evemerus almo.

sed apud Sidonium [paneg. Anthem. 372] reponendum *Syracosios;* qui graecanicam formam sicut Ausonius [idyll. 10, 304] et auctor carminis de ponderibus [127] Vergilii [bucol. 6, 1] imitatione adhibuit. ceterum *Iulus,* ut ex Graeco ductum verbum, etsi constanti usu poetarum habet *i* vocalem, ubi filius Aeneae significatur, sicut *Iulius* consonam, unde Vergilius [aen. I, 288]:

Iulius a magno deductum nomen Iulo

[cf. et Terent. 532; 536], tamen, cum idem etiam agnoscatur esse Latinum et ab eadem, qua *Iovis,* stirpe deductum, quin disyllabum adhiberi potuerit ab Horatio [c. IV, 2, 2] in illo:

Iule, ceratis ope Daedalea,

ubi Antonius triumviri filius significatur, cui cessit hoc cognomen, non intercedo. attamen aliae sunt causae, cur corruptum merito censeatur illud *Iule* et amplectendum, quod Perlcampius invenit, *ille,* nisi forte gravior latet menda. iam e nominibus barbaris *Iudaeus* semper tribus effertur syllabis, itaque *Iazyges* dixit Ovidius, si verumst [trist. II, 191], *Iaxartem* Avienus [descr. orb. 929].

Denique magnam sibi permisere licentiam christiani in vocabulis Hebraeis, quae ab *i* littera inciperent. ita *Iob* pro libidine una syllaba vel duabus, sic quidem communi priore, effertur. praeterea dignumst memoria Prudentium semper ponere disyllabum *Iesum* et hoc ferme modo:

vir solus perfectus adest atque integer Iesus,

ut appareat pronuntiandum *Isum,* quamquam aliter idem semel [cath. 12, 173] '*hic nempe Iesus verior,* ubi cum Iosua comparatur Christus. ceterum et Iuvencus [I, 264; III, 268] *Iremiam,* et [I, 313 al.] *Isaiam* posuit; atque similia alii.

Non inepte videor hoc loco addere, quod vulgo creditur quinto p. Chr. n. saeculo primum evenisse, ut *c* vel *t* se-

quente *i* brevi aliaque vocali addita pronuntiaretur quasi *z*, eius rei certissimum exemplum ducentis reperiri annis ante. etenim cum Commodianus Afer in acrosticho *concupiscentiae* ad litteram a fine quartam exprimendam vocabuli, quod est *cum*, utatur prima [pg. 182], sequitur iam huius tempore *t* et *c* condicione supra indicata liquefactas aliquando sonuisse idem. et inveniuntur similis vitii exempla in titulis inde a saec. III vel adeo II.

Praeterea illud *u* antiquo tempore cum semper praemisso *q* nec raro praecedente *g* vel *s* fuisset proprio quodam modulo, ut quasi coalesceret cum consona priore, mox temporum decursu ita attenuatumst, plerumque ut omitteretur scribendo. contra in illis, quae sunt *tuus, suus, duellum,* cum initio valde fuisset exili sono littera eadem, corroboratast sensim.

Contraria figurae supra enarrataest dihaeresis, qua ex consona *i* vel *u* fit vocalis.

Huius tamen usus apud poetas Latinos perquam fuit exiguus. nam et pauca eius nec semper certa inveniuntur exempla.

Sed primum monendum numquam eam admissam in vocalibus primis verborum, id quod doctos fugit nonnullos. veluti Schenkelius noster ab Ausonio aliquoties *Ianum* tribus efferri syllabis statuit [pg. 293]. — longe autem saepius quam *i* consona immutatur *u,* quoniam illa praeter composita non invenitur post consonas, aliter vero dihaeresi facta per vocales concurrentes oritur dysphonia. itaque iam usitatius persequar exceptionis huius genus.

Ac primum quidem notandum, quod Lucretius illa quae sunt *suadeo* et *suesco* et *suetus* plerumque ponit cum *u* vocali. nec minus in hisce [I, 559; III, 704; VI, 446]: *disturbans dissolvensque; in manando dissolvuntur; demisit dissolvitque* apparet pentasyllabo finiri versum, cum ille non admittat quarto loco spondeum, si idem sit in quinto [Lachm. pg. 151]. — praeterea idem semel dixit *consecue* [V, 677], semel *acuai* [VI, 1070], bis *acuae* [VI, 552; 868], sed ut in altero loco cdd. habeant *laticis,* illud tamen Audacis stet testimonio [cf. gr. l. VII, 329]. iam diductis syllabis Cicero adhibuit *suerunt* [Ar. 178], Catullus *solvunt, solvit* [61, 53; 2,

13], *dissolvo, evolvam, pervolvent* [66, 38; 74; 95, 6], Horatius *silvae* [c. I, 23, 4; ep. 13, 2] et *suetae* [s. I, 8, 17], tum Tibullus et Ovidius composita verborum *solvo* et *volvo,* at non Propertius [cf. comment. in I, 7, 16]. atque ita auctor consolationis ad Liviam [370] *persolvenda* ponit quinque syllabis. denique eodem fere tempore Phaedrus, secutus antiquiores, in compositis verbi, quod est *suesco,* plerumque, non semper [cf. I, 16, 5] *u* voluit esse vocalem.

Sed ex his quaedam non satis constat vulgari sermone num semper habuerint *u* consonam. et maxime quidem dubitandum de illo *consecue,* cum etiam apud Plautum inveniri videatur in iambis *adsecue* [cf. Varr. d. l. L. VI, 73; Lachm. pg. 304]. quippe dihaeresis Graecorum imitatione orta non permanavit ad scaenicos. deinde illud *aqua* propria quadam natura praeditum habere *qu* ea re probatur, quod theotisce disyllabum sonat *ahva.* de vocabulo *relicuus* et supra dictum et rursus l. VI, ubi de *red* particula agitur, erit locus disputandi. porro in eis, quae sunt *solvo* et *volvo,* medium fuisse *v* litterae sonum inter vocalem et consonam ea re videtur adseri, quod auctores elegiaci, ut memoravi, qui ne *suesco* quidem aut *suavem,* tamen duo illa verba usurparunt trisyllaba. neque tamen ignoro aetate ultima a Consentio prodi [gr. lat. V, 392] consonam esse *u* in verbo *solvendi.*

Verum post exempla, quae adposui, vix invenias diductis syllabis nisi apud christianos poetas ac parum frequenter ea, quae *su* habent, qualia sunt *suavis, suadeo, suesco.* ita auctor de figuris orationis v. 65 '*cum dixi, deinde suasi*'. excerpuntur tamen propria nomina, quae et apud classicos saepe integram servant *u,* veluti *Suerius* [Paul. Nol. 21, 62], *Suesso, Suevus.* praeterea illa *Gelesuintham* et *Goisuintham* Venantius diductis extulit vocalibus [VI, 7, 24; 28 al.], at Corippus ea, quae sunt *Guenfeïus, Ilaguas, Laguatas, Suartifas,* similia coactis [iohann. I, 468; 478; 144; V, 217 ed. Petschen.].

Apud Consentium, incertae auctorem aetatis, cuius hoc saeculost inventus de barbarismis et metaplasmis liber, haec leguntur [gr. lat. V, 400]: *similis ratio in dihaeresi et episynaloephe. nam quod Horatius ait '(feraeque suetae' et*

Lucanus 'dixisse Phoebos' et *Vergilius 'et votis iam nunc adsuesce vocari', item 'aeripedem cervam', sive conglutines syllabas sive dividas, isdem litteris scribetur'*. iam cum fere sit Solis fugata nocte lucem almam praebere mortalibus, tamen mirum quantum caliginis ac tenebrarum obiecit Phoebus iste viro doctissimo Roberto Vngero. nam perdite dum conquirit Heliadum Lucani vestigia quantumvis tenuia, verba quae sunt *'dixisse Phoebos'* nusquam in Pharsalia extantia — neque timeo spondere eadem illa ne tum quidem, si non modo Lucani, sed omnium poetarum Latinorum uteremur operibus integris, inventum iri — cupide assignavit libro isti. sed primum omnium, ni fallor, debuit quaeri eidem, liceatne per deos hominesve talem, quae creditur asseri a Consentio, distractionem fieri diphthongi. scilicet longe meliora Vngerus huius ipsius testimonio doceri potuit, qui alibi ait [V, 389], siquis audeat admissa dihaeresi sic cludere versum *'dixisse Phoebum'*, utique barbarismum esse, quia auctoritate deficiat. iam nisi statuemus Consentium fuisse hominem sanitatis omnis expertem — ego autem cur vecordi potius quam mediocri ingenio fuisse credam, non habeo —, apparet non potuisse ab eo tribui Lucano, gravissimo poetae, quod alias dicat barbarum et exemplo vacuum. sed probe qui cognorit Lucanum, is vero minime dubitabit posuisse Consentium loco, unde orsi sumus, pro dihaeresis exemplo Lucani illud [II, 51] *'Aquilone Suebos'*. nempe ubi corruptelam traxit *Suebos* eandem, qua in Horatii versu traditumst *soetae* pro eo quod est *suetae*, homo male recordatus prius positum illud *'dixisse Phoebum'* parvum errorem ingenti intendit peccato.

Nunc enumerabo dihaeresis *i* soluta factae, siqua sunt, exempla.

Igitur quod a Propertio [V, 10, 31] *Veius*, a Martiale [XIII, 74, 1] *Tarpeia* diductis ponitur syllabis, id utrum nominis proprii excusatione an similitudine exemplorum graecanicorum, qualia sunt *elegeia, Cybeleia,* admiserint, non definio. ita et apud auctorem aetatis serae, non spernendum tamen, legitur in Anthologia [117, 9 ed. Ries.] *Maius Atlantis natae dignatus honore.* alibi tamen [395, 18; 19; 394, 5] in eadem disyllaba extant *Maius, Maiae, Maia.*

Sed ad tertiam contractionis speciem ut transeamus, duo fuere apud Latinos genera diphthongorum, ex quibus prius verarum, spuriarum alterum haud inepte vocitabimus.

Et in illis quidem potissimum vulgo locum optinent *ae, oe, au.* rarae ac monosyllabis plerumque verbis seu compositis elatae *ei, oi, ui, eu.* at posterior species, raro synizesis constans apud dactylicos usu, evenit, ut plurimum, coiugatis *e* sive *u* cum diversis vocalibus praeter *i.* omisi vero primum *ai,* ut quae non inveniatur in versibus dactylicorum nisi semel in hymno christiano sic [Dan. I, 89, 22–24] '*nec morte dura linquere tramitem veri coactus non licet, ait, tibi uxorem habere fratris adulteram*'. nec magis apta memoriaest Graecanica *yi,* quam cum antiquiores haud dubie externum ad morem pronuntiassent, neoterici inveniuntur distraxisse transmutata plerumque *i* vocali in consonam, licet Rutilius secunda pentametri parte dixerit *Harpyias* [I, 608], eandemque formam in *Thyiade* testetur Consentius [gr. lat. V, 389] sic: *simile est et Thyias. nam ut scandi possit versus et stare, ex duabus syllabis unam fieri necesse est, ut* [aen. IV, 302]: '*Thyias, ubi audito*'. qui non satis compareat breviorem formam qualem esse voluerit. quod contra Victorinus [2474] et Velius [2220] in *Harpyia* et *Thyiade i* consonae esse instar asserunt. sed *oy* non fuit qui apud Latinos esset diphthongus. neque enim bene fertur apud Iuvenalem [14, 102] spondei instar *Moyses,* quae sane species nominis ultimorum imperii temporum auctoribus et sequentium saeculorum librariis longe fuit usitatissima. at ille scripsit *Moses,* quam et apud Paulinum habes formam [15, 224] et saepe alibi.

Iam contractionis eius, qua *ae, oe, au* efficiatur, perexigua apparent exempla. dignum tamen memoria illud *coemisse* apud Terentium poni trisyllabum [adelph. 225], quod recte Lachmannus [pg. 248] verbi, quod est *coepi,* defendit similitudine. cuius origo declaratur hoc versu Lucretii [IV, 617]:

siquis forte manu premere ac siccare coepit.

quod praeisse videtur Ennius. huic enim recte existimo a Lachmanno [c. in Lucr. l. m.] additum versum auctoris incerti, quem Plotius Sacerdos servavit [gr. l. VI, 468]: *rex ambas intra* (*ultra* cd.) *fossam retinere coepit* [ann. 536].

sed magis notabile, quod *Phaethontem* tribus syllabis dixere Varro, cui ab Atace nomen, et Manilius [I, 736], itaque *Laucontem* Petronius in halosi Troiae [89, 43]. sic ultima aetate Dracontius [5, 285; 8, 181] *Lauconta, Laucon.* porro incertus auctor [Mey. 644, 1] '*Laucontem gemini distendunt nexibus angues*' atque alius aeque ignobilis in argumento libri II Aeneidis, quod extat in codice Romano [cf. anthol. Ries. I, pg. 2] '*Laucontis poenam et laxantem claustra Sinonem*'. iam ex his exemplis alterum Latinae linguae natura, quae *a* cum *e* iubet coalescere, evenit, alterum, Odofredo Muellero si credimus [ad Fest. p. 18], crassiore Aeolensium Dorensiumque pronuntiatione nascitur, nisi potius dicetur hoc et ipsum proprium Romanorum, qui *o* in *u* mutata, prout habes *Laumedontem* et *Laudicen, a* nota lege correptam cum sequente vocali coiugarint per diphthongum. sed alia similis licentiae vix inveniuntur. nec enim Octavianus videtur dixisse [21, 202 ed. R.]:

proditur Amphiaraus atque Hector venditur auro,

sed:

proditur Amphiaraus et Hector venditur auro.

nam et alias in cdd. vel antiquissimis confusa interse illa *atque, et.*

At *Laertium* ne per diphthongum pronuntiarent, Graecos secuti dixere Romanorum vetustissimi *Lartium* [Quintil. VI, 3, 96]. et ita Ausonius [XVII, 13, 4 ed. Schenk.]:

captus pellacis Lartiadae insidiis.

ubi traditum *Laertiade.* contra in Vergiliano illo [aen. VI, 802] '*fixerit aeripedem cervam licet*', quod imitando comprobarunt metrum Martialis [IX, 101, 7], Silius [III, 39], Ausonius [de aerumnis Herculis v. 4; de ternario numero 14], *aeripedem* quod unico stupore grammatici metricique vetusti interpretantur, quasi sit illud *ἀελλόπους* potius quam *χαλκόπους*, vix erit mentione dignum, etsi possit videri coactum dici illud *aer* ab Sidonio sic [epithal. Polem. et Aran. 88] '*hunc aerem pariterque deos sic autumat ortos*', nisi potius correptast *a.*

Iam diphthongos *ei, eu, oi, ui* antiquo certe tempore haec potissimum verba sumpserunt Latina '*dein, deinde, deinceps, ceu, neu, seu, neuter, quoi, proin, proinde, cui, huic*',

quibus accedunt simili sono praedita, quae post *e* vel *o* vel *u* habent *i* consonam sequente vocali, qualia sunt '*eius, quoius, huius, reicio*'. et hae quidem compositione diversarum vocum seu mixtis stirpibus et flexionibus oriuntur.

Sed singula iam adnotanda. igitur *dein, deinde, deinceps* non inveniuntur diductis syllabis tempore antiquo, ut verissimus fuerit Fleckeisenus versum bacchiacum Terentii sic scribendo [Andr. 483]:

nunc primum fac ista ut lavet. poste deinde,

cum vulgo feratur *post deinde.* aliter primus Terentianus, cuius sunt haec [195; 430; 207] '*c pressius urget. dein hinc et hinc remittit*': 'ε, *deinde* ἰῶτα, *Graeca quod diphonos* ει *sonat*'; '*quascumque deinceps libeat iugare voces*'. mox ceteri passim usi dihaeresi. quod contra *dehinc* propter mediam *h* plerumque separatas habet vocales. eius verbi contracta forma aliquotiens usus Vergilius, semel Propertius [II, 4, 6], semel Ovidius [fast. VI, 788]. at numquam Statio eam probatam demonstravit O. Muellerus Quaest. Statian. pg. 13. nam Achill. I, 370 scribendum cum nonnullis codicibus:

dein sociare choros castisque accedere sacris.

Theb. II, 100 pars librorum habet:

vittarum provenit honos. dein tangere ramo.

nec magis Horatius posuit monosyllabum [cf. comm. in sat. I, 5, 97]; neque magis Ausonius, apud quem in versu [XXI, 2, 15 ed. Schenk.]:

frustra dehinc solo Caprearum clausus in antro

illud *frustra* aequare trochaeum recte adnotat Schenkelius. — invenitur sane bis terve coactum *dehinc* apud poetas christianos, ut apud Victorem [aleth. III, 676]:

'non perdam' dixit. dehinc percunctatio blanda;

ubi tamen codex a prima manu videtur habuisse *dehim,* ut probabile sit legendum *deim.* apud eundem alibi [III, 529] citra varietatem scripturae fertur:

terrestrem fecisse manum. dehinc tota beatae.

ita et Priscianus [perieg. 475]:

sic alibi generat. dehinc rupes Aeolidarum.

atque monosyllabum habes identidem apud Venantium [c. I,

11, 7; IV, 13, 11; VI, 1, 40; VIII, 3, 13; v. Mart. II, 278]. — sed haec quantilli erunt, multitudinem contrariorum exemplorum si compararis. quare pessime habet quod dedit Wernsdorfius '*adversus quam*' in versibus Avieni, qui vulgo feruntur inepte tales [descr. orb. terr. 220]:

Pontus enim nostrae sinus est amplissimus undae.
hic Asia ab laevis praecingitur Europamque
excipit, adversus quam dehinc se Thracius artat
Bosporus et tenui vix panditur oris hiatu,

cum praesertim Avienus aliter ne semel quidem *dehinc*, quo saepissime utitur, non extulerit disyllabum. sed sententiae pariter ac metro optime prospexeris scribendo:

huic Asia ab laevis praecingitur Europamque
excipit, adversusque dehinc se Thracibus artat
Bosporus et tenui vix panditur oris hiatu.

dehisco dactylicorum qui coalitis dixerit syllabis non reperio. ceterum ex ea observantia, quam dixi optinere in verbis *prehendo, mihi, dehinc,* similibus, certo apparet firmiterque interiecta *h* plurimum asperitatis demi concurrentibus in medio verbo vocalibus. quae cum ita sint, quod saepe in codicibus prostant scripta *dehicere, cohercere, cohortus,* similia, id vero non librariorum vel grammaticorum curis perspicuitati consulentium evenisse existimabimus, sicut visum Lachmanno, sed vulgi usu turpissima hiatuum mitigantis.

Iam quod quaeritur, Graeca *Atreus, Tereus,* cetera disyllabamne an monosyllabam habeant in gignendi casu *ei,* id vero pro temporum intervallis diversum fuisse existimo. nam Quintiliani equidem usque ad tempus *Atrei* et *Terei* binis fuisse syllabis prolata ipsius verbis constat [I, 5, 22—24]: *adhuc difficilior observatio est per tenores — vel accentus, quas Graeci* προσῳδίας *vocant, cum acuta et gravis alia pro alia ponuntur, ut in hoc 'Camillus' si acuitur prima, aut gravis pro flexa ut 'Cethegus' et hic prima acuta (nam sic media mutatur) aut flexa pro gravi ut 'Appi' circumducta sequenti, quam ex duabus syllabis in unam cogentes et deinde flectentes dupliciter peccant. sed id saepius in Graecis nominibus accidit, ut 'Atrei', quem nobis iuvenibus doctissimi senes acuta prima dicere solebant, ut necessario secunda gravis esset, item 'Nerei' 'Terei'que.* quibus accedit satis imbe-

cillum Bedae testimonium [2351], cum diversum tueatur Priscianus [735]. igitur vulgarem pronuntiationem, non hercule graecanicam licentiam secuti Pacuvius [136] et qui scripsit pervigilium Veneris [86] per diphthongum ponunt *Capherei* vel *Terei* ita:

pater Achivos in Capherei saxis pleros perdidit.
adsonat Terei puella supter umbram populi.

neque minus apertumst, quod Lucanus in fine metri dixit *Enipei* [VII, 224], cum ille ab omni synizesi graecanica abstineat. quibus congruumst, quod hi genetivi aliquando simplici *i* scribuntur, sicut habes in libris Vergilii Mediceo codice firmatum *Oili* [aen. I, 41] et a Servio agnitum *Neri* [ad aen. VIII, 383]. ita apud Merobaudem fertur [I, 15] *Peli.* ceterum non abhorret a vero alios alium in genetivis istis secutos esse pronuntiandi modum. praeterea cum diphthongo in dandi casu etiam dixit *Orphei* et *Mnesthei* sive *Mnesthi* Vergilius [ecl. 4, 57; aen. V, 184] et Claudianus *Orphei* [40, 33]. ceterum Latinorum nominum fine idem optinuisse non crediderim, sed ubicumque *aurei, aureis* inveniuntur disyllaba, ea vero docta graecanicorum exemplarium imitatione videntur esse admissa, neque apparet ratio sonorum. iam in genetivo declinationis quintae illud *ei,* cuius prior pars initio longa fuit, mox correpta, per diphthongum fuisse positum a poetis difficilest ad credendum. cur enim, ut hoc exemplo utar, cum dura synizesi Lucretius diceret '*aut aliae cuius desiderium insideat rei*', cum ipso usu populari suppeditaretur *re* [cf. Ritschel. prol. Trin. p. 90]?

At *neutrum* Bentleius quod haud dubie habuit trisyllabum [cf. Andr. 839], nec Fleckeiseno persuasit nec mihi. quippe *eu* diphthongum minime esse alienam a Latinis verbis probatur particulis supra allatis *ceu, neu, seu,* nec hercle magis *neuter* potuit integram servare partem priorem quam *neutiquam, neumquam, neusquam.* quare nisi pyrrhichium non potest non explere trochaeum, certo ut probetur diphonos Plauti Vidulariae versu [Non. 508, 5]:

ego servabo, quasi sequestri detis. neutri reddibo,

et Ovidii [am. I, 14, 10]:

sed quamvis neuter, mixtus uterque color,

seu Petronii mavis [89, 45]:

ad ora referunt. neuter auxilio sibi.

accedunt testes Claudianus et Arator, quorum prior hunc habet versum [74, 16], quem tamen suspectat Ieepius:

neuter enim quaestor, pauper uterque fuit,

alter metrum tale [a. ap. II, 498]:

ambo volunt, quod neuter habet. vas lumine plenum
subdit utrumque deo.

itaque Martialis veritus trisyllabum ponere *neutrum* dixit *necutrum* ita [V, 20, 11]:

nunc vivit necuter sibi bonosque.

nam Consentium [gr. lat. V, 389] et ultimae homines aetatis non moror, qui scholastica usi suptilitate, ut integrae servarentur compositionis partes, *neutrum* diductis voluerunt pronuntiari syllabis. iam in mediis nominibus Graecis plerumque pro metri necessitate *eo* transformatur in *eu* et apud nostros Latinos. ita dixere Ovidius [Ib. 464] *Theudotum*, Claudianus [3, 51 al.] et alii *Theudosium*, neque aliter ut puto Venantius *Theudorum* [misc. VI, 12 p. 232] aut *Cleubulum* Luxorius hoc versu [358, 13]:

Cleubulus, proprium clamat quem Lindia civem.

ita in pedestri sermone Mallius '*Theudore fili*' [gr. l. VI, 585]. praeterea in nominibus barbaris fertur apud Sidonium *Theudoricus* [ad Consent. 72], *Theuderis, Theudoridae* [paneg. Aviti 220; 302]. sed dignius longe memoria optimo quoque tempore in illis *Tereus, Atreus eu* fuisse diphthongum. id longe amplissimo, sed neglecto a doctis Verrii Flacci testimonio adstruitur, quem refert Velius Longus [2215] vel ex talibus, quae sunt *Theseus, Menoeceus, Peleus,* affirmare eandem esse apud Latinos *u* quam apud Graecos *υ*. cui accedunt Priscianus memorando [735] illud *Tydeus* una in genetivo crescere syllaba et auctor incertus — falso olim crediderunt Censorinum —, cui ponitur anapaesti instar *Capaneus* [gr. l. VI, 611]. quae cum ita sint, non movent me Consentii [gr. l. V, 389] diversa placita. quare operae pretium visumst diductae exempla *eu,* quotquot in commentarios sunt relata nostra, proponere omnia. sunt autem bina eius qui Culicem scripsit [117; 269]:

Naiadum coetu. tantum non Orpheus Hebrum.
poenaque respectus et nunc manet, Orpheus, in te,

bina Pentadii [251, 19] in schemate epanalepsis:

Theseus Hippolyto vitam per vota rogavit.
optavit mortem Theseus Hippolyto,

unum Phaedri [V, 1, 1]:

Demetrius qui dictus est Phalereus.

nec aliter, ut puto, in trimetro iambico Accius [Festus p. 372]:

iam hanc urbem ferro vastam faciet Peleus.

denique aetate ultima Dracontius [1, 11]:

hos chelys musea totos Orpheusque miscuit.

contra apud Manilium quod legitur [I, 350]:

et finitur in Andromeda, quam Perseus armis
eripit et sociat sibi, cui succedit iniquo
divisum spatio,

iure suspectavit Bentleius verba a primoris versus quarta thesi ad eandem secundi pertinentia. in *eum* excurrentem accusativum, qui apud bonos dactylicos non invenitur, diducere oportet syllabas, ut Dracontius dixit praef. 1:

Orpheum vatem renarrant tot priorum litterae.

itaque extremaest barbariae, quod *Orpheum* disyllabum posuit Sidonius [ep. VIII, 11, 19].

Iam *oi*, ut in dativo *quoi* ad Quintiliani usque tempus [I, 7, 27] vulgari sermone servatumst, ita in illis, quae sunt *proin, proinde* poetarum certe usu adhiberi non est desitum. ita dixit Ausonius [profess. 10, 49] in dactylico metro '*proinde ut erat meritum*'. quamquam ab Augusti tempore nec frequentia satis et apud duriores potissimum auctores provenerunt synizesis istius exempla. ceterum quibus brevior forma placuit, non tamen diducta fuit offensioni excepto Lucretio, qui semper habet diphthongum. ita eiusdem sunt Senecae [Thyest. 201]:

proinde antequam se firmet aut vires paret

et alias [Phoen. 458]:

proinde bellum tollite aut belli moram.

at timuere *proin* et *proinde* vel diductis vel coalitis dicere syllabis Horatius, Manilius, Lucanus, Martialis, Claudianus, Homerus Latinus, alii. nec vere Heinsius scripsit apud Ovidium [med. form. 27] '*proin se quaeque parent*'.

Cui et *huic* cum non sit dubium ita esse orta, ut ad stirpes nominum, quae sunt *qu* vel *h,* accederet dativi terminatio *oi,* sicut habes *populoi Romanoi* a Mario Victorino notatum [2463], mox *o* in *u* mutata brevem coirent vocales — quod ubi evenit, *qu* pronominis relativi in *c* mutatumst —, varias tamen excitarunt grammaticorum antiqua iam aetate curas. quorum studia pro gravitate operis omittentes vivida potius poetarum respiciemus placita. igitur formas istas per unam syllabam sicut scaenici vetusti, ita dactylici ad finem usque octavi a. u. c. saeculi constanti extulere usu. primus diductis partibus *cui* dixit Seneca ita [Troad. 852; Agam. 146]:

mittat et donet cuicumque terrae.
cui ultimast fortuna, quid dubiam timet?

nec aliter Iuvenalis [3, 49; 7, 211]:

quis nunc diligitur nisi conscius et cui fervens.
cantabat patriis in montibus et cui non tunc.

ita quater apud Martialem invenitur *cui* disyllabum [I, 104, 22; VIII, 52, 3; XI, 72, 2; XII, 49, 3]. porro *huic* bis distractum habes a Statio [silv. I, 1, 107; 2, 135]:

laetus huic dono videas dare tura nepotes.
falsus huic pinnas et cornua sumeret aethrae.

congruit autem cum primi p. Chr. n. saeculi scriptorum usu, qui saepe pyrrichiace ponunt *cui,* quod dicit Plotius [2636] in Maronis versu [aen. I, 522]:

o regina, novam cui condere Iuppiter urbem

primum spondeum, ceteros esse dactylos. ultimo autem tempore corripi coeptum et *huic,* veluti in his versibus Paulini Nolani [6, 29; 16, 64]:

obsequio condigna dei coniux huic alma.
cum subito aut illis corda hostibus aut huic ora.

et testatur pyrrichium auctor incertus, de ultimis syllabis [gr. l. IV, 235] qui scripsit ad Caelestinum. denique inde a III s. in utroque pronomine voluerunt *i* communem velut habes apud Terentianum [1533; 1375]:

is primus erit, longa cui locata primast.
est huic adversus ille, qui duas longas habet.

hinc apparet Albinum, rerum Romanarum scriptorem, quem,

ut alia aeque futilia omittam, quidam Caesaris Augustive assignarunt temporibus, vixisse tertio quartove post Ch. n. saeculo, cum bis iambice adhibuerit voculam *cui* versibus hisce:

ille cui ternis Capitolia celsa triumphis
sponte deum patuere, cui freta nulla repostos
abscondere sinus, non tutae moenibus urbes.

ceterum mire dixit Terentianus, dum Catulli primos versus enarrat ipse metro phalaecio [2567]:

spondeon 'cui do', trochaeon 'ari'.

porro ab ambiguitate stirpis evenit, pro eo quod est *cui* ut efferretur *qui*, quod haud timide elisione imminueretur. ita habes in sententiis Publilii Syri [112] *qui* (cdd. *cui*) *omnes benedicunt, possidet populi bona* et apud Octavianum [185] *sanguinis et vitae pretium qui extinguit honorem.* contra popularis poetae in versibus, qui extant apud Capitolinum in vita Opilii Macrini [c. 11], iam dubito, sitne legendum, quod olim probavi:

nam pius et felix poterat dici atque videri.
qui imperium infelix est, erit ille sibi,

an quod traditione firmatur potiore:

nam pius et felix poterat dicique viderique.
imperium infelix est, erit ille sibi.

sed omnium maxime mirabile, quod Terentianus et Prudentius videntur in monosyllabo *cui* corripuisse *i*. certe apud illum fertur [287]:

singulis discreta recte quae cuiquest nativitas;

ubi tamen Aldus *quae cui est;* apud hunc [cath. 3, 167]:

sanguine pasta cui cedit avis.

ceterum ad similitudinem monosyllaborum *cui* et *huic* dixisse existimo Lucilium '*in terra fuit lucifugus*' et '*compernem aut varam fuisse Amphitryonis ἄκοιτιν*'. porro sicut *eii*, scripsere alii *cuii*, qua forma probabilest usum Ausonium et Prudentium sic [idyll. 10, 312; ham. 104] '*Dinochares, quadro cuii in fastigia cono*'; '*adsignare deos proprios sua cuiique iura*'.

Quaeritur iam, quanam ratione pronomina *eius, cuius, huius* trochaica mensura abiecta fiant voces aut pyrrichiacae, velut hoc Terentii versu [eun. 980]:

quidquid huius factumst, culpa non factumst mea,

aut monosyllabae, ut apud Lucilium [XXX, 48]:

cuius vultu ac facie ludo ac sermonibu' nostris.

e quibus prius genus licentiae non dubiumst mihi quin oriatur correpta propter sequentem vocalem diphthongo, quam inesse illis supra indicavi, sicut factumst in *praeacuto* vel *praeeundo.* at in Luciliano exemplo credibilest *u* posteriorem elidi, quod firmatur et scripturis *huis* et *cuicuimodi* [Lachm. pg. 27; Corssenus de pron. lat. II, 673] et redactis ad tres syllabas eis, quae sunt *eicio, deicio.* nam in his usque ad Augusti tempus *i* prius sic ferme pronuntiatum, si non vulgi usu, certe eruditorum, ut et consona *i,* quamquam attenuata, et vocalis exaudiretur, *e* autem maneret longa. contra synizesi facta vocalis omnino videtur omissa, *ei* autem ita fere elatum, ut in disyllabis *Pompei, Voltei,* de quibus mox dicam. ceterum exempla utriusque licentiae pronominum illorum perpauca suppetunt apud dactylicos, et ex parte talia, ut dubium fiat, utrum breves duae sint positae an una longa. memoria igitur digna ex hoc genere synizesis potissimum haec. dixit Lucretius [I, 149] '*principium cuius hinc*'; item [III, 875; IV, 1264]: *e vita se tollit et eicit; eicit enim sulcum;* alibi tamen [ut II, 951] idem *eicit* ponit trisyllabum. apud Ciceronem legitur in Arateis [de deor. nat. II, 42, 109]: *atque eius ipse manet.* circa idem tempus Catullus adhibuit disyllabum *Ravide* in hendecasyllabis [40, 1] ita: *quaenam te mala mens, miselle Ravide.* quod per *au* pronuntiandum subtracta *i* vel eis, quae supra memoravi, fit probabile et similiter contractis illis *naufragus, naucula, nauculatur* [Martial. III, 20, 20], denique narratiuncula Ciceronis [de divin. II, 40, 84], qua probatur idem fere sonuisse *Cauneas* et *cave ne eas.* porro Augusti aetate Vergilius scripsit [buc. 3, 96] *a flumine reice capellas;* tum Horatius [sat. I, 6, 39] *deicere de saxo cives;* item auctor Ciris [118] *reicere* (libri *dicere; ducere*) *et indomita virtute retundere Martem;* postremo qui elegiam composuit ad Messallam [Verg. catal. 11, 35] *non cuius ob raptum.* at hercule Seneca non dixit cum synizesi *proiciet* [Phoeniss. 426]:

et inter acies proiciet raptam duas;

sed ut *es proi* aequaret dactylum. ac similiter Silius [VIII, 671]:

corporibus struitur, reicitque cadavera fumans:

ubi tamen Gronovius nescio an melius *ructatque;* nam in codicibus est '*recitatque*'; '*tacitoque*'; '*tacita*'.

Iam quod Catullus [82, 3] ac Lucilius [IV, 22; VII, 19; XXVI, 40; inc. 4] cum Manilio [III, 73] dativos *ei, eidem,* Horatius [c. II, 7, 5; ep. I, 7, 91] vocativos *Pompei, Voltei* contractis extulere syllabis longis, id vero eo sono *i* litterae evenit, quem medium inter vocalem et consonam invenimus in finalibus Rossicis *aй, eй, iй, oй;* ubi *й* aequat nostram *i.* ac similiter a Graecis antiquissimis iota illud, quod subscribitur, videtur pronuntiatum neque enim veram dixerim consonam, licet fuisse qui statuerent per eam efferendos vocativos *Pompei* et *Voltei* et similes demonstretur a Prisciano [739]. sed potius diphthongo ea utemur, quam Rossici sermonis exemplo firmavi.

Non autem huc pertinet, quod Paulinus Petricordiensis [de visit. nepot. 23] disyllabum posuit *eidem*, cum Caesarum aetate prima in *ei, eis* semper esset brevis.

Ceterum *ei* dativo casu positum producta paenultima ut Plautus Terentiusque, ita Lucretius dixit identidem [cf. Ritschel. op. II, 419] et semel Manilius [I, 285].

At iambice usurpatum apud dactylicos non invenio prius quam in Ovidii Halieuticis [34] et apud Germanicum [arat. 333; 457]. quare nec hoc probo, quod Lachmannus in Catulli hendecasyllabo existimavit scribendum [38, 2]:

> malest mehercule *ei* et laboriose,

nec umquam a scaenicis credo *ei* positum correpta priore, cum praesertim diversa exempla et pauca constent numero praeter ea, quae coniectandi libidine provenere, et facile possint removeri. ita cum semel nisi quid me fugit iambicum *ei* inveniatur apud Terentium hoc versu [eun. 926], ubi tamen variat lectio:

> nam ut mittam quod ei amorem difficillumum,

quidni scribemus '*quod amorem ei*'? — ceterum vel posteriore aetate raro admodum reperitur iambicum *ei.*

Sequitur ut eam speciem synizesis enarrem, quae secundo constat genere diphthongorum. itaque primus Ennius dixisse videtur una syllaba *suos* ita [233]:

> Poeni soliti suos sacrificare puellos:

quamquam res non satis certa. nam fuisse veterum in usu *sos* pro *suos* testatur Festus pg. 301. atque ita in sexto casu Ennius loco mox citando: *sis oculis.* qui nescio an ideo truncarit pronomen, quo similius esset Homerico ὅς, ἥ, ὅν. — sed apud Lucretium certe invenitur bis [I, 1022; V, 420]:

ordine se suo quaeque;

tum Seneca [Agam. 250]:

quid rere ad animum suapte natura trucem.

porro Terentianus [1609]:

vim suam tuetur hexametris heroum;

ubi non erat, cur illud *vim* tolleretur. denique Ausonius [lud. VII sap. prol. 29]:

pronuntiare suas solent sententias.

sed a Sedulio c. pasch. V, 8 quod scriptum *clarifica dixit nomen tuum; magnaque caelo* etiam Beda confirmat testis [2375], id, si corruptela vacat, non videtur his exemplis excusandum, sed ea ratione, quam promit Beda: *ut veritatem dominici sermonis apertius commendaret, postposuit ordinem disciplinae saecularis.* — praeterea cum diphthongo dixit Lucretius [II, 662] '*equorum duellica proles*', nec aliter Ausonius [parent. 24, 16]: *duodeviginti,* auctor de Phoenice [28] *duodeciens* contraxere scilicet orta a disyllabo *duo.* tamen Ennius et Lucretius [151; III, 1023] aliena forma usi posuere '*lumina sis oculis*'. porro haud quisquam dactylicorum praeter genetivum et dativum numeri singularis pronominis, quod est *is,* formas coegisse invenitur. quod non credet casu factum esse qui sciet Ennium, ne illa quae sunt *eum, eam, eos, eas* una admitteret syllaba, dixisse *sum, sam, sos, sas.* neque magis credibilest eundem, ut nonnullis videtur, illud *meus* et quae inde descendunt synizesi coartasse, ut qui *mis* posuerit pro *mei* [ann. 145]. — sed hoc ut mittam, pronominis *idem* formae, quae assumunt longam vocalem praeter *i,* quales sunt *eodem, eaedem, earundem,* concisae interdum reperiuntur apud antiquiores usque ad Propertium exceptis Catullo et Horatio. deinceps vel extremis temporibus rarissime invenitur synizesis. habes tamen apud Ca-

tonem moralium praeceptorum auctorem, qui saec. III videtur vixisse, exemplum tale [I, 18, 2]:

non eodem cursu respondent ultima primis.

atque ita *eadem* disyllabum extat apud Avianum [23, 12] et Paulinum [15, 334; 20, 331, alibi]; item Orientii Commonitorio reperitur [I, 237; II, 369]. et sic in Alethia Victoris hemistichio Vergiliano [III, 630] *una eademque via;* denique Dracontius in Satisfactione [161; 181] *eadem muliere creatus; tempore namque eodemst.* — praeterea notabo Catullum [64, 120] *praeoptarit,* auctorem de figuris sententiarum [154] *praeoccursio* coalitis dixisse syllabis. contra *scio* et *nescio* numquam cum synizesi posuere dactylici, licet aliter videatur Wagnero [aen. IX, 296]. porro ab isdem semper ut duabus syllabis *nunciam,* ita *etiam* et *quoniam* trisyllaba adhibita. unde vel extremo tempore Aldhelmus ut tribrachi exemplum ponit illud *quoniam* [pg. 286 ed. Giles.]. — denique memoria dignum Terentianum constanti, nisi quid me fugit, usu monosyllabum ponere *quia,* quod quo voluerit modo pronuntiatum eo minus comparet, cum et elidendo imminuerit [1090]. eadem mensura extulit et deterrimus auctor Venantius [miscell. II, 15, 8] *filius ut dicant quiast creatura dei.* — at particulam *tametsi* cum et integris vocalibus et minutis ponere timerent poetae dactylici, tantum non omnino abisse videmus ex usu eorum. nam exemplum unum notavi Lucilii [V, 6]:

quo me habeam pacto, tametsi non quaeri', docebo.

praeterea habes *tamenetsi* apud Ennium [ann. 527]:

at Romanus homo, tamenetsi res bene gestast.

contra non bene Hauptius in Culice [380]:

et tamenetsi audis, dimittes omnia ventis.

locus graviter affectus, ut plerique in hoc carmine, necdum restitutus. neque probandum quod in laudibus Pisonis exhibent excerpta Parisina [26]:

* tamenetsi bella quierunt,
non periit virtus;

ubi recte codex Sichardi: *nec enim, si bella quierunt, occidit et.* — ceterum fatendum et alia verba synizesi obnoxia raro apud dactylicos fuisse usu, cum et contracta nimis viderentur

dura et mollia nimis dissoluta. — iam illud *quoad*, ut scaenici, monosyllabum posuerunt Lucretius [V, 1211; 1431 al.], Horatius [s. II, 3, 91], Ausonius [idyll. 10, 372]. saepe autem pro eo in libris invenitur *quod*, veluti Lucr. II, 850; V, 1031. id producta efferendumst *o*. fugit res doctos in loco Afranii notissimo [Macrob. VI, 1, 4]:

fateor. sumpsi non ab illo modo,
sed ut quisque habuit, conveniret quod mihi,
quod me non posse melius facere credidi,
etiam a Latino.

ubi *quod* alterum aequat *quatenus*. ac similiter *colescere* dicitur pro *coalescere*. — at particula *prout* monosyllaba non invenitur nisi uno versu Horatii [s. II, 6, 67]: *prout cuique libidost* et in Mosella [372] Ausonii, quem plurimum fuisse in Horatio imitando omnes sciunt:

mille alii, prout quemque suus magis impetus urget.

alias ne apud scaenicos quidem extat, ut interdum adsentiar Bentleio, a quo repositum *cum, ut*, id quod legitur in bonis libris quibusdam, etiam in Gothano.

Ceterum sicut revera in eis quae sunt *deinde, proinde* et similibus optinuisse statuo synhaeresin, ita illa *circumagere, circumerrare, circumire, introire*, nego umquam inveniri coactis syllabis, quae si quando posita sunt delitescente secunda, ut Aen. II, 599, disiungendae partes. quis enim credet auctores durissima synizesi potius quam elisione facillima et vulgo usitata tmesi maluisse uti? contra eadem verba haud raro diductis inveniuntur vocalibus sic, ut in *circum* omittatur *m*. et ita *retroactum* brevi *o* dixit Paulinus [XIX, 538]. quae cum ita sint, vehementer haereo in eo, quod Orellius nequis haereret praetulisse sese ait *circuire* in hoc Phaedri trimetro [IV, 23, 4] '*circuire coepit urbes Asiae nobiles*', cum in codicibus sit verissime *circumire*, quod discerptis reponendumst partibus.

Sed quod magis magisque senescente lingua synizesis usum imminutum docui, id vulgi more evenisse firmatur carminibus rythmicis. veluti disiunctis vocalibus *cui, dein, anteire* habes ita [Dan. I, 80, 7; 91, 17; 161, 11] '*cui tuae imagini*', '*dein ad xystum properans*', '*flamma ignis anteibit iusti vultum iudicis*'. alibi tamen *cuiquam* disyllabum [Dan. I, 102, 40]:

licet cuiquam sit diversum pro labore meritum.

Superest Graecanicam synizesin ut enarrem. quae Catulli tempore orta et semper modeste adhibita praeter nomina propria in trisyllabis formis substantivorum vel adiectivorum substitit, excepto quod Vergilius [georg. IV, 34] et secutus eum Corippus [iohann. I, 436] illud ab *alveo* descendens *alvearia* coalitis dixere syllabis. praeterea curate servatur, ne adhibeatur synizesis nisi correpta *e*. quam vel christiani poetae cum diligentia tenuere normam, licet contraxerit Licentius quidam [62] *Exampaeos*, quod nomen scilicet ipsius aetate efferebatur paenultima *e* et quidem correpta. peiore etiam scriptor verborum Achillis in parthenona [80] exemplo tetrasyllabum recepit *Deidamiam*. nam alienumst illud, quod a Prudentio *Chananeus* et *Mattheus* ponuntur cum diphthongo [hamartig. 408; apoth. 981]. quare quod *Penei* apud Vergilium [georg. IV, 355] fertur disyllabum, ni statues Graecos dixisse et *Πηνεὸν* ut *Ἀλφεὸν* subtracta *i*, illud falsum esse Bentleio et Wagnero adsentior. longe autem saepius in thesi quam in arsi evenit synhaeresis illa, ita quidem ut heroici metri — nam huic paene soli adhibetur — locum fere optineret sextum vel aliquando primum. congruumst autem elegantiae Latinae non aliis ferme licentiam istam adesse verbis quam quae inepta sunt metro. igitur non erit mirum rarius longe dactylica verba imminui quam cretica. etsi *ostrea* et *aurea* Horatium apud et Ovidium reperiuntur disyllaba [sat. II, 2, 21; metam. XII, 395]. quare quod negat Lachmannus [p. 192] illud quod est *igneus* posse pati synizesin, opinio eius non quidem grammatica quadam norma, sed tacita elegantiae lege firmatur. superat ut potissima auctorum enarrem exempla. itaque habes apud Catullum [64, 336; 178] contracta *Peleo, Idomeneos*, praeterea, quae tamen, ut supra dictum, rectius habebuntur aliena [64, 229; 382; 120], *Erechthei, Pelei, Thesei*. e quibus cur *Idomeneos* coactum in dubium vocarint homines docti non intellego, cum mollius sit utique quam contracta quae supra memoravi dactylica *aurea, ostrea*. sane in libris est *idoneos ne* vel *idmoneos ne;* unde quidam *Idaeosne*. tum apud Horatium inveniuntur passa synhaeresin *cerea, ostrea, Lyncei,* at apud Vergilium, qui hanc ut alias intendit licentiam, versibus XXII *alveo, alvearia, aerei, aureo,*

aurea, aureis, baltei, ferrei, Eurystheo, Menestheo, Orphea, Typhoeo, Typhoea, praeterea XV exemplis *Idomenei, Ilionei, Mnesthei, Nerei, Oilei, Orphei, Penei, Promethei, Protei, Terei*. porro apud Ovidium habentur cum synizesi deciens quater *alveo, aurea, aureo, aureae, Cenchreis, Orpheo, Perseo, Tereo, Theseo, Typhoea*, atque sexiens *Atrei, Nelei, Persei, Thesei, Vlixei*. item Propertius contractis vocalibus quater dixit *Enipeo, Nereo, Prometheo* et quinquiens *Capanei, Persei, Phinei, Promethei*. at Tibullus semel [II, 1, 49]:

rure levis verno flores apis ingerit alveo.

iam insequentium temporum auctores tantum non omnes praeter nomina propria synhaeresim istam, qua haud quisquam ex illis frequenter usus, consistere voluere in verbis, quae sunt *alveus, balteus, aureus*, ut et Heinsius fuerit falsus, qui Silio tribuit [XIII, 252] '*obnixi intorquent obicis munimina ferreae*' [ad Ov. met. VII, 223], et inepti sint qui Statio adscribunt [silv. V, 3, 183] non unam quidem ob causam falsum '*cui Phrygii lanea est*' pro eo quod est verum '*lanea cui Phrygiist*'. sed extremorum temporum locique ultimi auctores ut Dracontium vel Corippum non ubique curo. veluti apud hunc [laud. Iust. III, 242] legitur disyllabum *lanceas*.

Omnino autem abstinuerunt figura hac Manilius, Columella, Lucanus, auctores Priapeorum, Persius, Petronius, Seneca, Calpurnius, laudator Pisonis, Martialis, Iuvenalis, Sammonicus, Namatianus, Palladius, Symphosius, Terentianus, Boethius, Prudentius, Martianus, Arator. — tum apud Nemesianum [cyn. 272] habes disyllabum *Nerei*, apud Sedulium [c. p. III, 316] *aurei*, apud Homerum Latinum [774; 630] *Idomenei* et *balteum*, denique apud Claudianum [40, 33; 26, 63] *Orphei, Typhoeo*. porro Valerius cum synhaeresi posuit exemplis quattuor [IV, 425; V, 128; ib. 155; VI, 71] *Phinei, Promethei, aureis*, at Silius octo [III, 450; IV, 604; IX, 188; XIV, 428; 229; VIII, 542; XIV, 196; 143] *alveo, alvei, Typhoea, Typhoeo, Caphareo*, apud Statium leguntur [th. V, 1; IX, 225; VI, 706; V, 49; III, 84] *alveum, alveo, Menesthei, Nereo, Tydeo*. non satis constat inter doctos, an *alveis* reponendum sit apud eundem Theb. VIII, 360, ubi defendi potest, id quod plures libri exhibent, *arvis*. —

denique Sidonius non saepius quam Silius hac figura uti sustinuit et quidem in talibus: *alveum, aurea, aureo, Capharei, Typhoeo, Orpheum.*

Intellegitur autem poetas non admisisse synizesim tam infrequentem adiectivis istis, quae item imminutam haberent formam, sed dixisse *ahenum, eburnum, ilignum, virgultum* [Sil. XII, 354]. Naso in decimo Metamorphoseon [275]:

sit coniunx opto — non ausus eburnea virgo
dicere — Pygmalion similis mea, dixit, eburnae.

Ceterum cum tales sint, quales modo descripsi, graecanicae synizesis rationes, viderint homines docti, quam recte nuncupetur vulgo Terentii *Heautontimorumenos,* cum ipsum appareat breviore forma esse usum in prologi fabulae eiusdem metro, quod vulgo fertur tale [5] '*hodie sum acturus Heautontimorumenon*'. — hactenus de synizesi Latina.

Iam de hiatu eo vocalium dicturis, in fine qui verborum accidit, cum tot partes metricae Latinae nitantur ultimae aetatis libris deterrimis, insigni evenit felicitate, ut optimorum temporum et iudicum amplissimorum liceat uti testimoniis de illo. quae primum omnium transcribemus. itaque Tullius notissimo loco Oratoris [44, 150] habet haec '*nam ut in legendo oculus, sic animus in dicendo prospiciet, quid sequatur, ne extremorum verborum cum insequentibus primis concursus aut hiulcas voces efficiat aut asperas. quamvis enim suaves gravesve sententiae, tamen, si inconditis verbis efferuntur, offendunt aures, quarumst iudicium superbissumum. quod quidem Latina lingua sic observat, nemo ut tam rusticus sit, qui vocales nolit coniungere*'. idem paullo post [45, 152]: *sed Graeci viderint. nobis ne si cupiamus quidem distrahere voces conceditur. indicant orationes illae ipsae horridulae Catonis, indicant omnes poetae praeter eos, qui ut versum facerent saepe hiabant, ut Naevius* '*vos qui accolitis Histrum fluvium atque algidam*' *et ibidem* '*quam numquam vobis Grai atque barbari*'. *et Ennius* '*Scipio invicte*', *et quidem nos semel* (ita Bergkius; libri *at E. semel Sc. inv. et quidem nos*) '*hoc motu radiantis Etesiae in vada ponti*'. *hoc idem nostri saepius non tulissent, quod Graeci laudare etiam solent.* praeterea in libris ad Herennium habes scriptum [IV, 12, 18]: *compositio — conservabitur, si fugiemus crebras vocalium con-*

cursiones, quae vastam atque hiantem orationem reddunt, ut haec est: bacae aeriae amoenissumae impendebant. denique apud Quintilianum leguntur talia l. IX [4, 33]: *vocalium concursus — cum accidit, hiat et intersistit et quasi laborat oratio. pessime longae, quae easdem interse litteras committunt, sonabunt. praecipuus tamen erit hiatus earum, quae cavo aut patulo maxime ore efferuntur. e planior litterast, i angustior, ideoque obscurius in his vitium. minus peccabit, qui longis breves subiciet, et adhuc, qui praeponet longae brevem. minima est in duabus brevibus offensio. atque cum aliae subiunguntur aliis, proinde asperiores aut leniores* (*aut l.* add. Christius) *erunt, prout oris habitu simili aut diverso pronuntiabuntur*'. porro de natura figurae huius dignissima memoria tradit idem paullo infra [ib. 36], modo illud teneas, oratorum ab eo respici usus, non poetarum: *nam et coeuntes litterae, quae συναλοιφαί dicuntur, etiam leniorem faciunt orationem, quam si omnia verba suo fine cludantur, et nonnumquam hiulca etiam decent faciuntque ampliora quaedam, ut 'pulchra oratione ista iacta te', cum longae per se et velut opimae syllabae aliquid etiam medii temporis inter vocales, quasi intersistatur, adsumunt.* *qua de re utar Ciceronis potissimum verbis* [orat. 23, 77]: *habet, inquit, ille tamquam hiatus et concursus vocalium molle quiddam et quod indicet non ingratam neglegentiam de re hominis magis quam de verbis laborantis.*

Horum autem testimonia virorum eo meliore fato evenere, quo magis obscuras vel absurdas posteriores de hiatu protulere sententias. qui quo perversitatis sint progressi siquis volet plene cognoscere, legat illa, quae Consentius de synaliphae sive ecthlipsis, quas vocat, rationibus profert in fine libri de barbarismis et metaplasmis [gr. lat. V, 400—403]. ex huius autem aliorumque aetatis ultimae libris cognoscitur ad scandendos pedes, in quibus fit elisio, saepe ea via usos grammatistas, ut priorem vocalem tolli iuberent, sicut nunc fit a pueris.

Sed eorum pravitate omissa iam, quae nos secuti locupletissimorum iudicum auctoritatem et diu meditati rem gravissimam de hiatus in fine verbi accidentis modo ac norma statuimus, paucis expediemus verbis.

Igitur primum notandum, quod vitium illud pro varietate soni et quantitatis finalium syllabarum nec minus quantitatis vel accentus continuatarum initio sequentis vocabuli nunc lenius evenit, nunc asperius.

Nam brevi vocali finita pars orationis cum facile misceatur insequenti, talis hiatus longe accidit gravissimus. mitior idem in ea, quae producta clauditur sive simplici sive diphthongo. at quae *m* littera terminantur, ambiguae sunt et mediae. haec enim etsi nullo tempore longam perfecit vocalem anteuntem, tamen aliquid addit ei ponderis, sono quidem obtuso, sicut fit in vocabulo Gallico '*nom*'. de qua re bene Quintilianus [IX, 4, 40] '*atqui eadem illa littera, quotiens ultimast et vocalem verbi sequentis ita contingit, ut in eam transire possit, etiamsi scribitur, tamen parum exprimitur, ut 'multum ille' et 'quantum erat', adeo ut paene cuiusdam novae litterae sonum reddat. neque enim eximitur, sed obscuratur et tantum in hoc aliqua inter duas vocales velut notast, ne ipsae coeant*'. quare non bene fecerunt vetustissimorum ei, qui omnino consonam non mutato priore sono reciderunt, veluti dixit Pacuvius '*propter homine*' [Pompeius p. 406]. rectius, qui praecedentem mutarunt vocalem, sicut habes apud eundem Pacuvium '*ante templo*' [Pomp. l. c.] et in epitaphio L. Scipionis '*honc oino*', a quibus paullo diversa usus ratione dixit Cato Censorius ille *diee* pro *diem*. nam quod dicit Quintilianus impediri ea, ne vocales duae coeant, nisi statuemus iam huius aetate perisse hiatus sensum, non poterit urgueri, cum in versibus saepius longe elidantur finales in illam consonam quam in longam exeuntes vocalem. ceterum, ut consulatur brevitati, syllabas *m* littera terminatas appellabo medias. — minus autem turpis est hiatus in vocalibus plene firmiterque sonantibus, quae sunt *a, o, u,* quam in minutis ac teneris *e* vel *i*.

Iam quod statuit Lachmannus [p. 158], si paenultima longam habeat vocalem seu diphthongum non addita consona, elisionem vel inelegantem esse vel adeo impermissam, mihi quidem non persuasit. veluti quod negat adhibita ea a Lucano potuisse poni *gentis Iuleae et* [I, 197], cum ipse concedat eandem admissam ab Horatio in verbo *fio* [ep. I,

1, 16]. similis licentia haud dubie potuit locum habere in nominibus propriis nec magis perspicitur, cur qui '*Coeo Enceladoque*', '*Troiae excidium*' [aen. IV, 179; V, 626], similia extulit cum elisione Vergilius maluerit cum hiatu durissimo, id quod placuit Lachmanno, dicere '*Alpheae origine*' [aen. X, 179] pro eo quod habent libri *Alpheae ab origine.* nec vero concessum ab Ritschelio [ad Pers. 409] caveri a Plauto illud, ne longa praecedente vocali pura sequens item longa imminueretur. quae cum ita sint, non magis quam a Lucano et Vergilio exempla supra collocata a Cicerone abiudicabimus illud [de divin. I, 13, 22] *inque Academia umbrifera nitidoque Lyaeo*, ubi de hiatu frustra suspicatus est Lachmannus. nam semel a se in hexametris admissum hiatum loco supra posito Oratoris [45, 152] testari videtur Cicero. porro ne a Lachmanno quidem sollicitata a Seneca et Phaedro in quinta trimetri arsi admissa elisio talis [Oed. 288; 305; Med. 471; Agam. 918; Herc. Oet. 716; IV, 23, 8]. mitto Paconii versum, qui legitur ap. Diomedem pg. 498, quem ita restituit Hauptius:

Eoo Oceano Hyperion fulgurat Euro.

nam ibi ut rectissime habet illud *Eoo*, ita *Oceano* videtur corruptum. sed addo haec petita ab auctoribus seris quidem aetate, at minime circa copulandas vocales incuriosis. itaque apud Terentianum habes haec [1879]:

bacchio adversus fiet pes. nam brevis antest;

et apud Prudentium [hamart. 286]:

vellere non ovium, sed eoo ex orbe petitis.

et Paulinus [24, 455]:

speculumque mentis et fidei instar tuae.

sic etiam in iambico metro adeoque bis Avienus [or. mar. 314]:

Erythea ab arce. qua diei occasus est.

nec tamen est dubium parum gratam esse elisionem, si praecedat minuendae syllabae vocalis qualiscumque, id quod certa demonstrari potest ratione. etenim cum vocalis ultima quadamtenus absorbeatur synizesi, finis verbi sub elisionem cadentis ad proximam recedit syllabam, quae si integra terminatur vocali, denuo oritur incommodum simile hiatus constantis exitu vocis. et peius quidem id vitium in vocali

longa et tarda paenultima visum esse et re ipsa et poetarum firmatur auctoritate. ceterum nec brevi res sat bene habet. unde Horatius maluit dicere [c. I, 12, 1] '*quem virum aut heroa lyra vel acri tibia sumis celebrare, Clio? quem deum?*' non verso ordine '*quem deum, quem virum*', quod et ratione ipsa et exemplo Pindari commendaretur.

Praeterea certumst plerosque auctores veritos esse vocales Graecas elidere, de qua re satis plene disputavit Lachmannus [p. 272].

Igitur dactylici pauci admodum talem admiserunt licentiam, et quidem raro, ut Vergilius [aen. VII, 20; 341; 476] *Circe in, Allecto infecta, Allecto in* (nondum expeditum apud eundem X, 186 illud *Cinyra et*), Propertius [III, 24, 19; 23] *Ino etiam; Callisto Arcadios;* Silius [VIII, 536; XIV, 251; 269] *Parthenope ac; Melite et; Drepane atque.* contra in Statiano [theb. VIII, 66] *Tisiphone et* omittitur copula libro Casselano aliisque, quae ut graviter concitata oratione melius abest. iam ex eis auctoribus, quos silentio transiit Lachmannus, ut quisque magis Ovidianam tenuit normam, eo minus est ausus elidere vocales longas Graecas.

Quantum ad proximam vocalem, nunc quidem notabo foediorem evenire sonum, si sit eadem cum proxime praecedente. nam quod Gellius [VI, 20, 2 sqq.] mollem quendam hiatum statuit inesse in Homerico [od. XI, 596] *λᾶαν ἄνω ὤθεσκε ποτὶ λόφον* et ut ipsi videtur Catulliano [27, 4] '*ebria acina ebriosioris*' [cf. Haupt. prooem. aest. Berol. 1857], id, aliena testimonia ut omittam, cultioris iudicii elegantia et comparatis hiatus in medio verbo accidentis rationibus refellitur. sed quod dicit idem adeo inveniri apud nobiles poetas huius, si dis placet, suavitatis multa, id exemplis oportuit comprobari. ceterum facile coire litteras pares etiam firmatur Tullii narratiuncula iam supra mihi memorata, qua asseritur idem fere sonuisse *Cauneas* et *cave ne eas.*

Sed ad removendam hiatus iniucunditatem poetae dactylici, puto et scaenici et qui saturnia composuere metra, his fere videntur usi modulis, ut priorem vocalem aut copularent cum insequente longa quasi per diphthongum aut attenuarent, quantum pote maxime, succedente brevi.

Atque ita in principio adnotanda insignis Graecorum inter usum et Romanorum in concursu vocalium vel mitigando vel tollendo differentia, cum illi prioris potissimum, hi posterioris soni pro diversitate varietatem remediorum temperarint.

Hae vero rationes quamquam egregie conveniunt ori Romano, asperiores tamen sunt et violentiores. unde commode eis usus Vergilius, suptilissimus versuum artifex, ad res deformes vel graves describendas, veluti [georg. I, 320; aen. III, 658; IX, 427]:

> sublimem expulsam eruerent.
> monstrum horrendum, informe, ingens.
> me, me (adsum qui feci), in me convertite ferrum.

Quaeritur iam, an prior vocalis hiando aliquando tota sit exempta. de quo parum constat, excepto quod satis certo potest affirmari in *e* correptam exeuntes voces encliticas *que, ve, ne* perdidisse finalem insequente vocali. adeoque haud exigua pars elisionis Latinae his tribus continetur voculis. — sed nescio an florente lingua Latina etiam aliae particulae *e* brevi terminatae tali pacto amiserint finalem pariter atque in *i* exeuntia pyrrichiaca, cum praesertim *i* plerumque in *e* sit mutatum, ut in illis *nise, quase, sibe, tibe, mihe* [cf. Neuii gramm. II, 180].

Praeterea illud ambiguum, admissa synizesi et oriente diphthongo longa vocalis prior num brevietur. quamquam potius adducor ut credam id non factum, cum aliter vix perspiciatur, cur minus saepe productas finales quam correptas cum synhaeresi posuerint auctores. etenim quamquam diphthongi duabus longis aut longa et brevi constantes mediis vocibus fuere insolitae Latinis, tamen easdem diversorum verborum syllabis finali ac principali fuisse adsumptas ad tantam hiatus per has evenientis offensionem tollendam non est incredibile. nam et idem hanc ipsam ob causam ut eximerentur prorsus metro vocales in extremis vocabulis sitae, quod rarissime factum alias supra declaravi, innumeris permisere exemplis. ceterum nos promiscue utemur synizesis vel synhaeresis et elisionis nominibus, nisi ubi intererit lectorum accuratam fieri distinctionem.

Iam propter certas sonorum et accentuum rationes evenit illud, ut verba plus quam monosyllaba facilius paterent elisioni, si productam quam si correptam haberent paenultimam, cuius quidem legis diversi moduli a quantitate pendent finalis. porro quod videmus vocalium quantitate parium tamen pro accentus et spatii verborum diversitate varium fuisse pondus, id etiam ob aliam causam evenit. nam id quod optime quidem poterit rationibus comprobari, verum non perinde percipi sensu, certo nec dubie constat illud, finales vocum valde frequentatarum, quae plerumque sunt inflexibiles, quales habes *enim, etiam, quidem, tantum, verum, certe, ergo, quare*, proniores fuisse ad synizesim quam relicuarum. accedit quod indeclinabilium finales plerumque propter inopiam similium exemplorum minus sunt tenaces originis primae et rectae mensurae.

Iam vocalis prioris cum asperior fere esset imminutio, si in arsi accideret quam si in thesi, invaluit vitium, si acuta esset vocalis sequens, quoniam ut apud nos stirpes, ita apud Latinos syllabae accentu grammatico insignitae clariorem et validiorem ceteris habuerunt sonum. unde diphthongus synhaeresi ista orta nimis absona evadit et cruda, praesertim si fuerit et posterior vocalis natura longa, non positione, et producta ipsa prior. ceterum quaenam apud Latinos habuerint syllabae acutum sonum, quaenam gravem, curiosius infra declarabitur.

Sed maiore etiam odio habuere in brevi evenientem hiatum, quia ita praecedens vocalis prorsus ex metro eximitur. quare dactylicorum praestantissimi elisionis hoc genus si non omnino refugere, at certis continuerunt finibus.

Praeterea simillimum observationi supra propositae optinuit, verba a vocali incipientia eo magis ut essent pervia elisioni vel duriori, quo frequentiore ferrentur usu. apparet autem etiam molliorem evenire synchysin, si utrumque verbum genere constet inflexibilium, quod cum alias accidit, tum in formulis, quales sunt *paullo ante, certe ego, ergo ego, ergo ubi, quodsi ita.*

Deinceps certumst illud, verba vocalium concursu iugata non prorsus in unum coaluisse, quoniam, hoc si fiat, non potest elisio post syllabam in fini ordinis metrici positam

admitti, quod tamen passim evenit apud Graecos pariter ac Latinos. neque tamen fit vocis mora solita alioquin in verbis, quorum concurrunt vocales, cum nec stare possint priora plerumque absumpta vocali, nec pausa longiore permissa maneat synhaeresis necessitas. quae cum ita sint, apparet habere equidem elisionem locum in quavis versuum parte, sed minus bene admitti, ubicumque veloci et puro opus sit numero. nec absurde dicetur nexum verborum synhaeresi ortum medium esse inter iuncturam variarum eiusdem verbi simplicis syllabarum certam et individuam atque laxam satis hiantemque eiusdem enuntiati vocum continuarum. quare minus bene habebit elisio admissa in vocibus eis, quas aut metri aut sensus causa oportet discerni, quoniam, hoc si evenerit, longius interstitium coeuntia inter verba fieri necessest quam natura amat synizesis.

Habet etiam quiddam incommodi monosyllaba pondere ut ita dicam logico insignia imminui, ut est in disticho Nasonis [am. II, 10, 3]:

> per te ego decipior, per te deprensus inermis
> ecce duas uno tempore turpis amo.

quamquam minime vitarunt illud dactylici.

Superest ut demonstrem, qualis fuerit pro diversitate vel poetarum vel temporum elidendi varietas.

Igitur Ennius, antiquissimus auctor artis, secutus, ut memoravi, partim saturniorum carminum, quae maiores sumerent spiritus, partim Graecorum librorum exemplum, habet elisiones satis raras adeoque pauciores quam ceteri dactylicorum ante Tibullum et Ovidium. quod ne a correctoribus venisse credas, ea re prohibetur, quod usque ad Augusti aetatem nemo quisquam grammaticorum in elisionum multitudine potuit offendere.

Ponam exempla quaedam ex libro de vita eius petita [pg. 228 sq.].

Igitur in XVII hexametris, qui leguntur apud Ciceronem in libris de divinatione [I, 20, 40], unam habes elisionem et quidem hanc: *tardaque vestigare et;* in XXI, qui memorantur ibidem [I, 48, 107] duas: *auspicio augurioque* et *atque ora;* in fragmento a Gellio [XII, 4] servato (constat vv. XVIII) tres: *consilio indu; malaque et bona; divumque hominumque.*

In libri XVI editionis nostrae vel versibus vel particulis versuum XLVII elisiones numerantur quinque [438; 442; 446; 470; 471], numquam in longa; in libri XVII metris XVII duae: *Latiumque augescere; Lunai portum, est operae.* contra in Aeneidos primis versibus LXXV longas habes elisas VII, in *m* exeuntes XII. breves XXI; in Metamorphoseon initii totidem II, III, XI.

Sane ab Augusti tempore, quo magis ars corroboratast. eo acriore poetarum plerique elisionem persecuti sunt odio. quod ex parte quidem venit Graecorum aemulatione, qui praeter pauca exempla longe alium tenuere morem vel tollendi hiatus vel ferendi. nec tamen minus a vulgaris pronuntiationis usu lapsaque vocalium coeuntium offensione res est repetenda. etenim sicut intra unum verbum, ita fini et initio diversarum vocum positas hiscentes vocales satis patienter tulere ultima saecula, id quod Commodiani carminibus et rythmica poesi apparet. nam in his etsi bis terve fit elisio, tamen saepius longe eadem neglegitur, vix ut ultimi Romuli nepotes magis offendisse videantur hiatu quam nos. hinc etiam evenere permirae illae elisionis definitiones, apud aequales quae extant grammaticos, qui Graecorum rationibus decepti et pridem perdito sensu collidentium interse vocalium plerumque subsistunt in exemplis brevium aut mediarum syllabarum, cum maxime sermonis Latini proprietas in longis elisis appareat. praeterea idem, plane ut pessimi magistrorum nostrorum, scandendi, ut asserunt, versus gratia omnino volunt abici finalem in hiatu positam. — quae cum ita sint, satis accidit mirum, quod recentiores Itali eadem qua vetustissimi elidendi vocales inveniuntur uti ratione. sed hanc quidem mutationem valde notabilem ne recte aestimemus, ea re impedimur, quod nec novello Italorum sermone scripta carmina extant priora saeculo XIII, et vulgari lingua Latina composita exceptis christianis habentur paucissima. ceterum cum ne rythmica quidem carmina ab indoctis omnino auctoribus sint profecta, dubito plerumque an rustico sermone viguerit etiam tum elisio, quam quidem eruditi, nisi ubi auctoritate Vergilii firmaretur, incuria odioque omitterent. at antiquissimi dactylicorum quin graecanica potius norma circumciderint syn-

haeresis mediis sive extremis verbis accidentis licentiam, non intercedo, neque ulla parte magis differunt dactylici vetusti a scaenicis.

Maxime mira res in Ennii Annalibus, qui qua fuerint paucitate elisionum suprast explicatum. quamquam non ausim affirmare in tanta raritate coeuntium vocalium perinde cautum ei, ne longae copularentur cum brevibus vel acutis.

At Lucilius et multas habet elisiones et interdum duras. verum vel sic comparet magna inter hunc et Plautum Terentiumque diversitas.

Lucretius magis est similis Lucilii; Catullus in hexametris continuatis magis sequitur Ennium; in ceteris metris est durior.

Iam Vergilius etsi dura pleraque devitavit, multitudinem elisionum non perinde refugit. quod apud Ovidium longe habet aliter, ut qui cum ceteris etiam vocalium coeuntium leges ad severissimam revocarit normam.

Mox insequentes pro diversitate ingeniorum sive huic sive illi magis se applicarunt, nulla ut re apertius differentiam declararent studiorum quam illa. placet haec probari exemplis. itaque Vergilius in primo volumine Aeneidos, quod habet versus DCCLVI, elisit longas vocales LXXXV, medias XCVII, breves CLXXIII, at Ovidius Metamorphoseon primo — constat hexametris DCCLXXIX — productas VIII, in *m* exeuntes XXIII, correptas CXXIX. Statius haud ita dissimilibus Vergilii elisionis utitur rationibus, excepto quod multo rarius eam admittit in longis. ab utroque diversus valde Claudianus carminibus de consulatu Aniciorum ac de Mallii Theodori et libro primo in Rufinum [I; XVII; III], quibus complentur hexametri MVI, ante vocalem posuit productas bis, medias undecies, breviatas quadragiens sexiens. sic Martialis in Xeniis et Apophoretis habet synaloephas circa XX, Eugenius, ut refert Paulus [de Sympos. aenigm. p. 40], in versibus CCCCXXXXIII XII [praef. 1, 6; carm. 1, 12; 3, 3; 5, 11; 17, 5; 18, 3; 19, 4; 20, 1; 23, 3; 9; 24, 2; 26, 2].

Ex christianis poetis et multitudine elisionum et aliquando asperitate maxime notabiles Avienus, Ausonius, Pru-

dentius, Paulinus, Venantius, quamquam et hi pro diversitate carminum variant.

Nam ad hos pariter et ad classicos pertinet illud, ut metris dactylicis iambicisque longioribus, et maxime quidem si prolixiore decurrant opere, maior cedat elisionum et frequentia et licentia quam vel brevioribus eiusdem numeri vel logaoedicis. omnino quo quis breviores tenuioresque composuit versus, eo cautius usus est copulandis vocalibus.

Porro auctores pro diversitate vel librorum vel temporum mutarunt artem.

Ita Catulli continui hexametri cultiores metris ceteris, et Vergilii non idem usus in Bucolicis Georgicisque et in Aeneide nec Horatii in lyricis iambicisque et in Saturis. a Saturis autem rursus differunt Epistulae. praeterea ab eodem in ultimo carminum libro et hymno saeculari non elidi longas notavit Lachmannus, quem tamen duae latuerunt exceptiones [1, 35 sq.; 3, 24]: '*cur facunda parum decoro inter verba cadit lingua silentio?*' '*quod spiro et placeo, si placeo, tuumst*'. ex quibus hoc exemplum mollius, quia iam tum titubabat *o* finalis vel in verbis non iambicis. — ita Seneca in choricis longe alia arte utitur quam in diverbiis, et Petronii carmen de bello civili, quod epicorum imitatur libertatem, diversum elisionum frequentia a relicuis. praeterea Statius et Corippus in Achilleide et laudibus Iustini, quos novissimos composuere libros, cautiores fuere admittenda elisione quam in ceteris operibus. denique Columbanus cum in hexametris haud raro utatur eadem, ab adonio ad Fedolium prohibuit.

Nec raro inveniuntur apud poetas Augusto posteriores carmina, quae vel omnino careant vocalium concursu vel eundem admittant infrequentissime. notavit rem in Calpurnii Bucolicis Hauptius nec minus in panegyrico Pisonis, quem ille haud improbabiliter huic ipsi adscripsit auctori. — praeterea idem observandum in multis carminum minorum auctoribus, quamquam res plerumque fugit criticos. veluti in carmine de sole [poet. l. min. IV, 434], cuius sunt versus LX, quotiens ab novissimo editore admissast elisio, totiens fallitur. qui ne hoc quidem intellexit, v. 22:

fluctibus ac nitidum tollit caput aether in altum

illud *aether* esse generis neutri, sicut *aethera* et *aera* plurali numero saepe posuerunt scriptores temporis ultimi. porro v. 19 sq. scribendum:

> tum placidum iacet omne mare vernantibus undis;
> flumina per tremulos currit lux aurea fluctus.

in Parisino, non in Lipsiensi, male legitur *mare et.* — illud *flumina currit* dictum, ut apud Vergilium [aen. III, 191] *vela damus vastumque cava trabe currimus aequor.* et Quintilianus [I, 4, 28] *campus curritur et mare navigatur.* — item a carmine ad Oceanum [p. l. m. III, 165], quod habet versus XXVIII, absunt elisiones. nam v. 2 scribendum *Oceane, placido:* 20 *quantum struat otia remis;* denique 25 sq. quod legitur *da, pater, ut tute liceat transmittere cursum* [cf. aen. VI, 313], *perfer ad optatos securo in litore portus,* non erit deterius illud *securo litore.* — item in versibus XVI opusculi aeque temporis seri de celeumate [ib. 167] et in totidem numero Claudii cuiusdam de Luna [163] elisiones nullae.

Sed quid opus parvorum poematum testimonio, cum vel in maioribus haud raro inveniantur plures decades metrorum sine elisione ulla decurrentes. veluti apud Dracontium, cuius in scriptis faciliores aequo copulandis vocalibus fuerunt editores. quem tamen superavit multum cura elegantissimus versificator Symphosius. nam is in hexametris CCCXVII non magis tetrasyllabo clausit versum, sicut visum editoribus [81, 3; 96, 3 ed. Ries.], quam elisionem admisit ullam. legitur quidem in aenigmate de vespertilione [ib. 28, 3]:

> sed redeo in tenebris nec me committo diebus.

ubi illud *sed redeo* ineptum esse apparet. at non magis placet Pithoei inventum *sed sedeo,* quod et sono ingratumst. iam cum *sed* particula vix sit apta, nedum necessaria, oritur suspicio in archetypo fuisse *redeo* supra scripto ad corrigendum vitium primae syllabae *sed.* igitur reponendum existimo:

> in tenebras sedeo nec me committo diebus.

nam accusativo opus esse concedet, qui nocte volare id genus alitum ex Ovidio didicerit.

His expositis nihil obstat, quin singula deinceps, ut consuevimus, illustremus exemplis. in quibus referendis quae

Hauptius in observationibus criticis, Lachmannus in commentario Lucretiano attulerunt iterum scrutati cum invenerimus habere rectissime ab omni ferme parte, taciti passim adhibebimus paucissimis rebus additis.

Igitur prima elisionis Latinae normast, non ut possint monosyllaba longa aut media elidi in brevi nisi quae sint indeclinabilia aut flexione formata aliena ab legitimis modulis. praeterea numquam diphthongo exeuntia eliduntur in correpta. sed apta tali synizesi haec potissimum inveni verba *me, te, se, mi* pro eo quod est *mihi, tu, qui* singulari numero positum, *si, ni, de* [auct. de fig. vel schem. 164], *cum, tum, num, iam, nam, quam, tam, sum.* at hercule haud quisquam vel *sim* vel plurali numero positum *qui* elisit in brevi nec magis illa *do, sto, re, spe, dem, stem, rem, spem.* quae ubi ante correptas constant syllabas, necessario ponuntur cum hiatu. quare quod apud Valerium Flaccum legitur [IV, 62] '*in quem alium Alciden*', si modo habet recte (nam plerumque dubito an sit scribendum '*in quem iam*'), fatendum apud eum inveniri licentiam a ceterorum placitis alienam. hanc autem regulam ignorantes quot errores commiserint viri docti dicere non attinet. veluti non recte a Bentleio in Horatii Saturis de coniectura scriptum [II, 6, 29] '*quid tibi vis insane et quam rem agis?*' *inprobus urguet,* qui frustra scaenicorum libertate tutatur poetam dactylicum. — nec magis possunt tolerari quae Lucretio Lachmannus intulit [I, 874; VI, 755]:

> ex alienigenis, quae alienigenis oriuntur;
> sed natura loci vi ibus officit ipsa suapte.

neque melius habet, quod in Ciri dedit Heynius [150]:

> procurrit virgo. quo utinam ne prodita ludo;

aut quod in Arateis Germanici probavit Orellius [60]:

> extremum qua Helices sidus micat.

ne Silio quidem recte adscripsere nonnulli [IX, 111]:

> non sim equidem Sulmone satus

pro eo, quod est verum, *non sum.* nam egregie facit indicativus in protasi positus ad vim affirmandi augendam, ut apud Horatium [c. II, 17, 27 sqq.; cf. III, 16, 1—7] *me truncus illapsus cerebro sustulerat, nisi Faunus ictum dextra*

levasset. — verum composita, a monosyllabis istis quae descendunt, non tenentur lege supra exposita, non ut sit vitiosa elisione frequentissima illa formula *quare age.*

Christianos tamen bis terve migrasse artis suptiliorem normam non nego, cum et alibi, quantum grammatica doctrina potiores, tantum sint inferiores iudicii acumine. certe habes apud Avienum [or. mar. 117]:

quae Himilco Poenus mensibus vix quattuor.

ubi *quae* accusativus est neutri. — ceterum omnium omnino monosyllaborum elisio austeris admodum continetur legibus, valde durum ut habeatur spondiaci pedis cum brevi syllaba copulati posteriorem partem monosyllabo constare verbo, quod in creticis simili modo imminutis accidere paenest inauditum. — denique dignum memoria numquam apud dactylicos tota verba absorberi elisione, quod in scaenicorum versibus aliquando evenit.

Porro vocabula iambica non reperiuntur apud dactylicos elisa in brevi. nam quod apud Senecam legitur [Phoen. 394; Troad. 945]:

vide ut atra nubes pulvere abscondat diem.
vide ut animus ingens laetus audierit necem,

illud *vide* pyrrichius est. apud Ausonium quod fertur [epist. 21, 28] '*haveque dicto dic vale et actutum redi*', non unam quidem ob causam scribendumst '*actutum et redi*', ut pertineat *actutum* ad priora. nec vero poterit probari a classicis poetis voces iambicas umquam in acuta syllaba esse elisas. nam nec Accius in Annalibus [inc. 1, 3] scripsit *per agros urbesque fere omnes,* sed *per omnes,* et in Thyeste Senecae quod legitur [1064 sq.] *aggessi manu mea ipse flammas,* pronuntiandum *meapse;* in Medea [150] item initio trimetri quod positum *sile, obsecro,* illud *sile* paene aequat pyrrichium. nam de eiusdem mensurae imperativis quibusdam similiter propter frequentiam usus correptis l. V dicetur. atque item in Phaedri senariorum principiis talibus [III, 7, 15; V, 9, 4] *veni ergo; tace, inquit* eaedem verbi formae licet non aequent pyrrichium, tamen minus plene sonant iambo. vides igitur poetas, quos dixi, alterum scaenicum, alterum eius generis auctorem, quod proxime accedit usu dicendi ad sermonem cotidianum, accessisse in hac parte ad

Plauti ac Terentii libertatem, quos quidem multo saepius iambicorum verborum exitum corripuisse constat. contra non intellego, qui possit Lachmannus quasi huc pertinentia notare Senecae illa [Troad. 973; Herc. Oet. 262] *meae ignota est* et *hoc sinu* (potius *huc specu*) *inmenso exeat,* nisi forte probavit et ipse Bentleii commentum, qui statuit in verbis plus quam disyllabis et longa paenultima praeditis, si finalis syllaba elidatur, retrahi accentum grammaticum. nec magis violatur ars Senecae [Herc. Oet. 813] metro tali '*hac manu, hac, inquit, ferar*', cum non possit probari vocem gravem, rhetorico affectu si geminetur, acutum assumere accentum.

Iam ut mittam quaedam non re, sed specie aliena a norma supra proposita, de quibus sexto libro agetur, apud christianos quidem poetas migratae legis illius certa non prorsus desunt exempla. ita in iambis dixit Avienus [or. mar. 20; 465] '*tuo esse cordi*' '*diu incolis*', itaque Prudentius [cath. 2, 75] '*eo usque dum lux surgeret*', idem in dactylico metro [psychom. 32] '*solo adplicat*'. tum Paulinus [21, 214; 266] '*et novi ortus gloria*' '*in sinu abditos*'. idem alibi [36, 188] '*sancta dei, unde procul*'.

At iambica vel in gravi syllaba elidere sunt veriti Lucretius, Cato, Tibullus, Grattius, Manilius, Homerus Latinus, Columella, Persius, Ovidius in distichis praeter epistulam Helenae [XVII, 97]. nec minus idem refugere vitium scriptores Aetnae et Culicis, Seneca in choricis, Petronius extra bellum civile, Calpurnius, auctores carminis ad Pisonem et elegiarum de Maecenatis obitu, Nemesianus, Sammonicus, Palladius, Tiberianus, Avianus, Iuvencus, Merobaudes, Priscianus, Eugenius, Corippus in panegyrico, denique qui carmina de phoenice ac nuce et laudes Herculis et pervigilium Veneris composuerunt. — porro sunt qui rarissime et primum ferme intra choriambum utantur elisione vocum iambicarum. semel auctor consolationis ad Liviam [375] sic '*regna deae immitis*', semel Namatianus [I, 328] '*sive loci ingenio seu domini genio*'; bis Iuvenalis [5, 173; 6, 327] atque item in epyllio de bello civili Petronius [120, 95; 124, 271]. ita semel est in libro Priapeorum exemplum tale [83, 1] '*vere rosa, autumno pomis*', ubi Lachmannus '*pomis autumno*', et apud Sedulium [c. p. I, 9]: *stare choro et.*

At creticorum elisionis non invenitur exemplum in hexametris Ennii, apud quem [341] cum Lipsio scribendum *debil homo,* non *debilo.* admisere eandem Lucilius, Catullus praeter hexametros continuos, Horatius in Saturis, denique auctor Priapei [85, 7]:

alter adsidua cavens diligentia, ut herba.

contra in epistula Hermiones [8, 71] quod fertur:

Castori Amyclaeo et Amyclaeo Polluci,

si non videbitur versus spurius (nam omittit eum prima manus codicis Guelferbitani), potius graecanico more correptum *i* habebit *Castori.* neque Propertii l. III [30, 5] legendum:

curve te in Herculeum deportant esseda Tibur;

ubi traditum *curva te* vel *cur vatem.* reponendum *cur aut te Herculeum,* sicut *aut* traiectum apud eundem in eodem [5, 34]. — in Manilio dedisse Iacobum [II, 28; cf. et 286] '*Persei et Andromedae poenas*' merito contemptu praeteribimus. neque alibi iam similis licentiae reperitur exemplum apud classicos praeter hos Senecae trimetros [Thyest. 325; Phoen. 262; Oed. 695; 928]:

parces et illi. consili Agamemnon mei.
sed matrem amavi. proloqui hymenaeum pudet.
incognita igitur ut nocens causa cadam?
aut fervido aliquis igne vel saxo domet.

nec minus e christianis plerique abstinuere tam molesta elisione: Iuvencus, Avianus, Sidonius, Martianus, Arator, Maximianus, Luxorius, Eugenius, praeterea Terentianus, Boethius, Octavianus, auctor Phoenicis, at usi ea semel vel bis Prudentius, Ausonius, Avienus, Priscianus, Sedulius, auctor de figuris. nam a Prudentio id vitium admissum versibus his [peri st. 3, 172; 11, 1]:

feminae ab ore meare palam.
innumeros cineres sanctorum Romula in urbe.

pari atque talia excusatione sunt firma Ausonii haec [prof. burdig. 21, 27; idyll. 2, 11; 10, 256; prof. 20, 8]:

liberi et ambo genus, sed quos meruisse deceret.
optuli opem cunctis poscentibus artis inemptae.
dextera in obliquum raptat puer. excipit ictum.
historiam callens Livii et Herodoti.

nam apud eundem quod fertur [prof. 3, 6] '*linquentem natos sexui utroque duos*', scribendum cum Pulmanno *sexu in utroque*. porro semel Sedulius [carm. pasch. V, 412]:

pastor amans augere greges. operario in omni.

itaque Priscianus [perieg. 541] etiam in versus exitu posuit '*insulae Abydi*'. denique Avienus pedibus primo et quinto hexametri elisit cretica.

Sed quid mirum veritos esse veteres creticos pedes elidere sequente brevi, cum plurimi eorum ne spondiazontes quidem hac sub condicione sustinerent imminuere? igitur cum priorum plerique minus fuissent anxii cavendo elisiones tales, posteriores ab Ovidio usque raras et certis fere legibus adstrictas admisere. sed omnino abstinuere auctor Dirarum, Manilius, Calpurnius, Statius in Achilleide, scriptor elegiarum de obitu Maecenatis, auctores Priapeorum in distichis, Sulpicia, Palladius, Claudianus, Rutilius, Merobaudes, Tiberianus, qui Culicem et laudes Herculis et pervigilium Veneris composuere, praeterea ex christianis Avianus, Martianus extra trimetros, Boethius, Eugenius, scriptor carminis de Phoenice. quibus proximi accessere, qui non admittunt elisionem nisi prima versus sede aut, in quibus hoc non licet metris, proxima, quorum normam tenuere Tibullus extra panegyricum, Catullus in hexametris, Ovidius in distichis, Homerus Latinus, Lucanus, Columella, laudator Pisonis, Martialis, Seneca in choricis, scriptor Aetnae, Nemesianus, Iuvencus, Arator, Maximianus, Corippus in laudibus Iustini, Octavianus. at exemplorum quae fuerit paucitas, statim demonstrabo. igitur uno loco longam cum brevi copulavit laudator Pisonis [81] in formula '*quare age*', item auctor Nucis [25] '*certe ego*' et Aetnae [194] '*illi operist*', porro Seneca Hercule Oetaeo [1956] '*certe ego te vidi flagrantibus*'. notabile autem alias ne in trimetris quidem fabulae huius inveniri elisionem istam. nam quod vulgo fertur hoc [1270]:

tibi illa virtus, quae tot elisit mala,
tibi cessit uni. primo et ante omnes mihi
fletum abstulisti,

cum merito suspectetur, vide an melius habeant ultima sic '*prima et — ah temnes — mihi fletum abstulisti*'. — semel etiam Nemesianus longae iugavit correptam ita [c. 1, 21]

'quare age', semel et Iuvencus [h. e. II, 594] *'quanto igitur'* et Arator [epist. ad Parth. 19] *'vidi ego'*, tum Maximianus [II, 63] *'non me adeo'*, denique Octavianus exemplo tali [200]:

auro ardet Glauce, Danae corrumpitur auro,
auro emitur Pluton, Phlegethon transcenditur auro,
proditur Amphiaraus et Hector venditur auro.

sed enim his versibus — quos Columbanum in epistula ad Fedolium imitari tam certumst quam mirum — multiplicato *auri* vocabulo paratur venia elisionis durioris. atque ita plane in descriptione auri noxarum, quem communem fuisse ultimis imperii Romani saeculis poetis locum etiam Namatianus docet [I, 355—362], annis fere CL prior Octaviano Tiberianus, homo aeque circa elisiones difficilis [2, 19] dixit:

auro emitur facinus, pudor almus venditur auro.

praeterea Corippi sunt haec [paneg. Anastasii 38; pan. Iustin. IV, 320]: *'in te oculos'*; *'quod se humilem'*, et Homeri Latini [587; 643; 733] *'ergo ubi'*, quod tamen exemplum minus certumst vacillante iam s. p. Chr. I finali particularum in *o* exeuntium haud paucarum, *'ultro etiam'*, *'praeda umeros'*, item Columellae [230; 294; 35] bis *'quare age'*, semel *'ergo age'*. — deinceps habes apud Lucanum [III, 676; VIII, 289; VI, 795; IX, 133] *'multi inopes'*, *'quare agite'*, item bis *'vidi ego'*, itaque apud Martialem [I, 58, 2; V, 79, 5; VI, 44, 5; VII, 18, 14; II, 40, 2; II, 74, 6] *'risi ego'*, *'quare ego'*, *'at si ego'*, *'et si adeo'*, *'novi hominis'*, *'hos illi amicos'*.

At ceterorum in carminibus notabilia inveni haec. Horatius in Saturis cum satis saepe adhibeat elisionem, de qua dicitur, aliquanto minus in Epistulis, eandem in melicis et iambicis probavit quater [III, 4, 17; 31; 5, 21; 27, 22], porro Tullius semel secundo pede, sed subiecto nomine proprio *'at propter se Aquila'* [arat. 87], tum Petronius in hexametris numquam praeter primum pedem longam cum brevi copulat et quidem in carmine de bello civili [120, 94; 121, 111]. nam incertum valde, sitne eiusdem epigramma illud, quod incipit ita [anthol. 146, 1 M.]: *nolo ego semper idem capiti suffundere costum.* ceterum, ut obiter hoc moneam, in hoc exemplo, ut alibi, pro longa accepi *o* finalem, quod

alioqui produceretur Petronii usu. parum autem constat librorum fide, quod in Troiae halosi [10] posuere docti:

equi recessus Danai et in voto latent.

porro Sammonicus pedi hexametri primo admisit elisionem longae in arsi [1040; 1081]. at idem minime panxit versum talem [128]:

atque palato agitat pariter retinensque vomensque,

cuius in fine locandum esse illud *palato* satis bene indicatur libris scriptis, in quibus legitur:

palatoque agitet pariter retinensque vomensque.

verum Iuvenalis cum in prima parte habeat haec [1, 73; 6, 50; 14, 76]: *aude aliquid; paucae adeo: illi eadem*, semel [10, 333] secunda sede eandem synizesin admisit, sed ita '*Messalinae oculis*'. deinde Terentianus non iunxit productas et breves, nisi posterius verbum esset aut technicum aut certe incipiens ab ea vocali, in qua desineret prius. cuius sunt haec [348; 579; 1706; 2210; 2251; 2323] '*duxi in hoc*'; '*de eadem*'; '*qui in ullam*'; '*uni iambo*'; '*secundo iambum*'; '*versu iambi*'. itaque in illis [440 sq.] '*δεῖμος inde sic notamus, quia δέος deprenditur. inde Μήδειαν oportet scribere isdem litteris*' ad explendum metrum non ponemus *Μήδειαν te*, sed *Μήδειανque*. praeterea Priscianus dixit fine versus [592] '*flectenti Aquilonis ab oris*'. denique Sedulius semel extra primum pedem, sed scilicet in dictione petita e bibliis copulavit longam cum brevi ita [II, 221]:

humanas piscari animas, quae lubrica mundi.

at laxioribus usi legibus auctores hanc tenuere normam, ut potius in secunda quam in tertia aut quinta sede hexametri eliderent breves. ceterum omnino minor longe numerus exemplorum apud posteriores fuit quam apud Vergilium. veluti Silius viciens sexiens longas copulavit cum brevi, et quidem deciens octiens in prima sede, quinquiens in quarta, ter in secunda. at Valerius Flaccus inter exempla XV habet novem in primo pede, quattuor in secundo, duo in tertio. denique Statius, qui triciens noviens artem migravit, bis tantum in tertia thesi, numquam in quinta elisit longam sequente correpta.

Non absurdum erit in hac parte disputationis addidisse de adverbiis, quae sunt *magno opere, maximo opere, summo*

opere, partium in unum iugatarum exempla firma non inveniri, at certissima separatarum. ita, scaenicorum versus ut mittam, habes apud Gellium [XI, 9, 1] '*legatos — venisse magnoque opere orasse*'. quare quod semel bisve in codicibus omittitur altera *o*, errore id facillimo quidem, sed eodem deterrimo accidit.

Porro scite perspexit Froehdius, quae iambicis in longa elidendis evenere leges, easdem quadamtenus pertinere ad spondiaca vel anapaestica. scilicet perfectissimus quisque poetarum caverunt, ne ista in arsi cum acuta copularent syllaba exceptis tamen aliquando particulis plus quam monosyllabis inflexibilibus et siqua accedunt ad horum frequentiam. deinde variae versus heroici partes diversam cum haberent libertatem, saepius in quintam arsin quam in quartam aut secundam recepere elisionem verbi spondiaci. raro admodum tertia eidem patuit, quoniam semiseptenariam incisionem finita in tertio trochaeo voce interruptam qualicumque inelegantia destrui nefas.

Igitur omnino abstinuerunt spondiacis in longa acuta elidendis Tibullus cum Sulpicia, Ovidius extra Metamorphoses, auctor Nucis, Calpurnius, laudator Pisonis, Merobaudes, Nemesianus, Palladius, Tiberianus, Boethius, Avianus, Eugenius, scriptores pervigilii Veneris et elegiarum de Maecenate. etenim quae apud Ovidium feruntur [am. II, 19, 19]:

> tu quoque, quae nostros rapuisti nuper ocellos,
> saepe time insidias, saepe rogata nega,
> et sine me ante tuos proiectum in limine postes
> longa pruinosa frigora nocte pati,

ea sensu pariter metroque esse inepta et aliena ab Ovidio ut olim iudicavi [philol. XI, 87], ita nunc asserimus. praeterea alii sustinuerunt equidem longas in arsi et acuta syllaba elidere, verum rarissime. ita semel dixit Homerus Latinus [826] '*celeri excipit ictu*', semel Grattius [392] '*ergo insita ferro*', semel auctor Aetnae [287] '*in se abstrahat auras*', itaque Arator [II, 221] '*fili optime David*', bis Lucanus [III, 14; V, 584] '*vidi ipsa tenentes*'; '*caeli iste fretique*', ter Claudianus [22, 31; 26, 11; 45, 42] '*sese omnibus actis*'; '*quodsi ardua Tiphyn*'; '*sese utitur arcu*'; ter Sedulius [II, 203; III, 144; V, 377] '*tu te adseris, inquit*'; '*fili*

optime David'; 'sese intulit atque foratas'; quater Ovidius in Transformationibus [XV, 814; XII, 241; XIII, 97; II. 107] *'legi ipse animoque notari': 'uno ore arma, arma locuntur'; 'atque Aiax armis, non Aiaci arma petuntur'; 'aureus axis erat, temo aureus, aurea summae'*. saepius a Vergilio et asseclis huius ea lex desertast, sed ratione fere eadem.

Praeterea quae modo de iambicis creticisque ac spondiacis verbis imminuendis exposuimus, etiam aliquatenus ad pyrrichiaca et dactylica ac trochaica, quae in *m* exeunt, pertinere idem intellexit Froehdius. igitur dactylica qualia sunt *arduum, militum, plurimum* timuerunt cum vocalibus committere Tibullus, Grattius, Columella, Homerus Latinus, scriptores Aetnae et Nucis et elegiarum de Maecenate, auctores Priapeorum, Seneca in choricis, Calpurnius, laudator Pisonis, Petronius, Sulpicia, Nemesianus, Sammonicus, Claudianus, Merobaudes, Palladius, Namatianus, Tiberianus, auctores laudium Herculis et pervigilii Veneris, Boethius, Avianus, Martianus, Arator, Eugenius, Octavianus, alii. adeoque ab Augusti certe aetate vel durioribus usi modulis rarissime admiserunt elisionem, de qua agitur, nec fere extra primum vel quintum pedem. itaque ter eademst usus Catullus in hexametris continuis [64, 211; 359; 366] *'sospitem Erechtheum'; 'corporum acervis'; 'copiam Achivis'*, bis Ovidius [am. III, 6, 101; met. VI, 524] *'fluminum amores'; 'virginem et unam'*, bis Iuvenalis [6, 151; 14, 73] *'quantulum in hoc'; 'plurimum enim'*, semel Lucanus [I, 231] *'Ariminum, ut ignes'*. at male habet, quod apud Statium fertur [theb. IV, 464] *praelibat sanguinem et omnes'*, cum recte tradatur *sanguen* libro Barthii optimo atque item codice Puteaneo. nam nec alibi apud Statium eiusdem pravitatis exempla occurrere memini. at in pyrrichiacis elidendis pro diversitate condicionum varii optinent moduli. nam particulae inflexibiles cum liberius habeantur, nomina et verba non perinde sustinuerunt imminuere in brevi qualicumque vel acuta longa. quare quod in primo loco vel quinto apud Horatium legitur [s. II, 3, 266; 6, 47] *'nec modum habet', 'in diem et horam'* et apud Nasonem [am. II, 13, 24] *'ipse feram ante tuos'*, non facile apud classicorum insequentes reperientur similia in hexametris. magis admittunt logaoedica metra et iambica,

in quibus tamen ipsis eveniunt rarissime. contra apud Statium in illis [theb. V, 456]:

scit cura deum, etsi blandus Iason
virginibus dare vincla novis

existimo scribendum: *scit cura deum et, si blandus Iason.* ubi *si,* ut saepe, tantum non habet vim causalem.

Contra particulae, quales sunt *enim, quidem,* inveniuntur apud plerosque cum brevi vel acuta copulatae — quamvis alii vel hac abstineant collisione —, sed ferme in primo choriambo vel pede quinto sive insequente vocali eadem.

His addam simillimam fuisse observantiam et in elidendis dactylicis et pyrrichiacis eis, quae in *a* vel *o* excurrunt. nam in *i* vel *e* desinentia, quae vocales sunt admodum tenues, aliquanto saepius imminuuntur. itaque notandumst plerisque auctorum pyrrichiaca aut dactylica in *a* exeuntia praeter nomina propria non iugari cum brevi, nisi aut in prima sede versus aut sequente etiam *a.* quorum in numero fuerunt Catullus in hexametris, Cato, Tibullus, Ovidius, Grattius, auctor Aetnae, Homerus Latinus, Seneca in choricis, Sulpicia, Lucanus, Claudianus, Merobaudes, Corippus in laudibus Iustini, Sidonius, Sedulius. nam apud Lucanum quod legitur [I, 487] '*sed curia et ipsi*', nominis proprii instar est *curia.* in Ovidii libris quae feruntur diversa a lege modo proposita, ea vero sunt falsa et aliena a memoria codicum veterum. velut scribendumst in epistula Medeae [12, 65]:

orat opem Minyis. petit altera, at altera habebat,

in II librorum ex Ponto [4, 7] cum vulgo feratur:

ante oculos nostros tua enim, tua semper imago,

ponendum erit *tua adest,* nisi propius a vero absit *vivast.* porro apud Homerum Latinum non habet recte quod est in codice Erfurtensi [599] '*concretaque fulgura et ignes*', sed altiorem latere corruptelam dittographiis librorum efficitur. fortasse scribendum *concreti fulguraque ignis* seu *concreto fulguraque igne.* ceterum quidam ex illis, quos supra enumeravi, rarissime utuntur elisione vel ista. praeterea semel in epyllio Petronius synizesim, de qua agitur, nulla mitigatam excusatione admisisse videtur ita [119, 14]:

quaeritur in silvius Mauris fera et ultimus Hammon,

deinde idem auctores plerumque timuerunt pyrrichiaca, quae in *a* brevem exeunt, acutae syllabae copulare praeter arsin secundam vel vocibus inflexibilibus. iam dactylica et pyrrichiaca in *o* exeuntia, quae ab Augusti aetate potissimum provenerunt, varias ob causas etiam haberi severius verumst praeter illa antiquitus correpta et plurimo usu trita *cito, modo, duo, ego.* sed non placet multiplicatis exemplis et nimia diligentia intercipientem quasi in spicis posterorum studia metrica ingratissimum philologorum genus iuvare curis nimiis. quin potius pro se quisque propriis anquiret curis, quatenus leges illae, quas plurimo usu carminum Latinorum imbuti invenimus, ad singulos auctores pertineant. addam tamen omnino vitasse elisionem qualemcunque dactylicorum et pyrrichiacorum in *m, a, o* exeuntium qui Nucem et pervigilium Veneris scripsere, praeterea Palladium, Calpurnium, laudatorem Pisonis, Nemesianum, Tiberianum, Boethium, Eugenium.

Denique in trochaicorum verborum fine, sive simplici vocali sive adiecta *m,* eadem plerumque, quae in spondiacis, observantia optinet, sed non eadem firmata severitate.

At alterum genus elisionis legum oritur a diversis partibus metrorum, quae, seu liberius habentur sive adstrictius, magis minusve admittunt illam. nam ea cum haud dubie rythmus interrumpatur, eo minus apparet adhibendam, ubicumque mollem illum nec impeditum oportet fluere.

Itaque ut convenit eis, quae secundo tertioque libro rettuli, locus erit elisionibus magis circa principia ordinis metrici quam circa fines.

Haec tamen lex ut recte percipiatur, duplex subicienda observantia.

Primum enim, quamquam initia versuum ac numerorum maxima frui licentia verumst, tamen in prima omnium syllaba elisione admissa obscurari rythmos simplicitate iudicandi et poetarum consensu vetatur. porro cum per elisionem iugata quadamtenus coalescant, non erit mirum eam adhiberi plerumque a poetis liberioribus

circa artem insequente vocalem hiantem orationis parte tali, quae, cum natura sua feratur ad sequentia, propter numerorum legem, de qua dixi l. III, artius sit nectenda praecedentibus. unde iam apparet, cur apud Vergilium aliosque tam saepe inveniantur hexametri, quorum caesura fiat in coniunctione vel praepositione monosyllaba et a vocali incohata, ut:

vela dabant *laeti et* spumas salis aere ruebant.

Atque hinc etiam explicandum, quod item saepe apud Vergilium aliosque multos inveniuntur hephthemimeris, cui non praecedit finitum in trochaeo tertio verbum, exempla talia:

iussa tamen *divum ex*sequitur classemque revisit.
tum vero *Teucri in*cumbunt et litore toto.

in quibus penthemimerin velut auxiliariam additam, id quod Guilelmus Meierus opinatur [de hex. gr. et lat. pg. 1047], nullo pacto probabilest. primum enim quid fiet metris talibus, ubi non fit elisio in praepositione, velut:

inpulerat *ferro Ar*golicas foedare latebras.

nam caesuram non posse effici nisi aut fine verbi aut praepositione compositi vel negativo *in* satis demonstratumst l. III. praeterea quo casu accidisse dicemus, ut, cum tam saepe poetae sat castigati admitterent in subsidiaria incisione tmesin, eandem ad principalem efficiendam vel rarissime adhiberent vel numquam?

At quo quis auctorum magis fuit anxius observandis elisionis legibus priore parte huius disputationis propositis, quae quidem natura finalium vocalium et insequentium eas continentur, quoque rarior in elisionis usu, eo accuratius intra fines supra propositos h. e. initia ordinum metricorum continuere eam. qua in re differentia maxime memorabilis comparet inter Vergilii artem et Ovidii. mox horum alterutrum secuti sunt aetate posteriores.

Igitur in prima hexametri pentametrive arsi exemplis paucis cum admissa esset synizesis ab Ennio, Lucilio, Lucretio, Catullo, Horatio in Saturis [cf. Froehd. philol. XI, 533], media quidem plerumque vocali elisa sive eadem insequente longa [Enn. ann. 193; Luc. inc. 69], in reliquis

classicorum poetarum libris haec tantum inveniuntur exempla. habes in Bucolicis Maronis [3, 48] '*si ad vitulam spectas. nihil est quod pocula laudes*' et in eiusdem libello κατὰ λεπτόν [1, 4] '*si occulitur, longest tangere quod nequeas*'. porro in Ciri [295] '*te erepta, o Britomarti, meae spes una senectae*', deinde bis apud Persium iure satirico haec [5, 127; 159] '*si increpuit*'; '*nam et luctata*'. tum apud Terentianum [1090; 1974] '*quia et variis*'; '*nam et melius*'. idem paucissimis exemplis admisere carminibus Ausonius [parent. 8, 18], Paulinus [21, 608; 27, 137], Martianus [III, 262, 4; IX, 888, 19; 907, 9; 908, 26], Luxorius [372, 4], at arcuerunt Avienus, Prudentius, Sedulius, Avianus, Arator, Sidonius, Priscianus, Maximianus, Boethius, alii. quae cum ita sint, non erit satis dignum Aviano, quod tribuit illi Lachmannus [28, 12] '*quam in domini aura ferens ora sequentis agat*' sed magis hoc '*quam ferus in domini corpora ventus agat*'. est autem in codicibus '*quam ferus in domini ora sequentis agat*'. nam nec Corippus in laudibus Iustini scripsit [I, 46] '*te exspectat, Iustine, dies, tu proximus heres*', scripsit '*te spectat*', sicut Reposianus in carmine de adulterio Veneris [154] '*te spectat lacrimans, tibi castum servat amorem*' [cf. et Coripp. laud. Iust. I, 351]. — at iambicis et logaoedicis metris cum Catullus etiam admisisset aliquando in prima syllaba synhaeresin illam [ut 37, 8; 55, 4; 5], Horatius cum cura evitavit praeterquam ubi praecederet versus hypermeter. hunc secuti Seneca et Petronius extra trimetros, Martialis, auctores Priapeorum, Statius, Claudianus, Merobaudes, auctor pervigilii, Prudentius, Sedulius, Sidonius, Boethius, Luxorius, at illum Seneca in diverbiis, Petronius in Troicis [v. 56], Terentianus, Ausonius, Paulinus, Martianus, sed paucis pariter cuncti exemplis.

Iam de hypermetris versibus acturi primum omnium spernemus magistrorum veterum eos, qui re vera putarunt versus longiores aequo reperiri in metro, nec timebimus eis accedere, quos dicit Marius Plotius [2628] imperitissimos et omni arte metrica separatos, hebetudine quadam deceptos sequenti versui iungere syllabam abundantem. etenim qui versus iusta mensura maiores minoresve seu neglegentia sive inscitia composuerit, quorum ego legi libros auctorum

veterum, nullum inveni praeter Audacem quendam nimium audacem, cui hexametrum septem pedibus constantem exprobravit Augustinus [Wernsd. poet. lat. min. IV, 514]. at Vergilium qui crediderunt non morte prohibitum, sed ut re inopinata novisque facetiis captaret animos lectorum reliquisse in Aeneide versus imperfectos, non sunt digni qui refellantur. nam Senecae iambi quidam non pleni [Thyest. 100; Phoen. 319; Hipp. 605; Troad. 1103] minus oratione graviter commota quam scaenica licentia evenere.

Sed ut mittamus ridicula, in systematis, quae synaphia iungi vel debent vel possunt, copulari ultimam syllabam metri cum principio insequentis tam diu fuit permissum, donec synaphiae usus cessavit. quare nullo pacto erit mirum, quod et in glyconiae strophae fine Catullus et in sapphicae cum Catullo Horatius admiserunt elisionem, ut puta [Cat. 34, 22; 11; 61, 137; 230]:

sancta nomine Romulique
Ancique, ut solita es.
saltuumque reconditorum
amniumque sonantum.
diceris male te a tuis
unguentate glabris, marite,
abstinere.
munere adsiduo valentem
exercete iuventam.

et porro [Cat. 11, 19; 22]:

nullum amans vere, sed identidem omnium
ilia rumpens;
qui illius culpa cecidit velut prati
ultimi flos.

item [Hor. IV, 2, 21]:

flebili sponsae iuvenemve raptum
plorat et vires animumque moresque
aureos educit in astra nigroque
invidet Orco.

Praeterea apud Horatium extra sapphicum systema eiusdem licentiae inveniuntur haec [IV, 1, 35; II, 3, 27; III, 29, 35]:

cur facunda parum decoro
inter verba cadit lingua_silentio?

sors exitura et nos in aeternum
exilium inpositura cumbae.
cum pace delabentis Etruscum
in mare, nunc lapides adesos.

Atque hic elisione tali non utitur nisi longa syllaba praecedente, quod in Catulli sapphicis secus habet.

Intellegitur autem nullum in fine strophae vel systematis locum huic exceptioni, quam vix a Graecis umquam admissam credas [cf. Christii metr. pg. 104]. nam quod in Horatii libris quibusdam legitur [c. II, 13, 5 sq.]:

hospitis. ille venena Colchica
et quidquid usquam concipitur nefas,

olim sublatumst.

Verum post Horatii tempus propter synaphiae cessantem usum frustra quaesieris elisam in systematis lyricis versus ultimam syllabam.

Multum autem ab hac exceptione differunt hexametri synizesi nexi. de quibus ut nec Wagnerus [ad Verg. georg. II, 69] nec Lachmannus [p 81] satis recte firmiterque iudicarent, inde evenit, quod fugerat utrumque hexameter Callimachi et ipse hypercatalectus, qui legitur in eius epigrammate hoc [43]:

ἥμισύ μευ ψυχῆς ἔτι τὸ πνέον. ἥμισυ δ' οὐκ οἶδ'
εἴτ' Ἔρος εἴτ' Ἀίδης ἥρπασε, πλὴν ἀφανές.

quod cum ita sit, non potest dubitari, quin Alexandrinorum aemulatione et prave intellecto illo *εὐρύοπα Ζῆν* [cf. Christii metr. pg. 190], quod ter apud Homerum, semel apud Hesiodum invenitur in fine versus sequente vocali [il. VIII, 206; XIV, 265; XXIV, 331; theogon. 884], hexametri elisione iuncti evenerint apud Romanos, illud potius ut debeat quaeri, quanam excusatione stent hypercatalecti trimetri tragicorum Graecorum. quibus similes versus quod Lachmannus tribuit Terentio et Pacuvio, non probata res Bothio et Fleckeiseno. sed ut redeam in viam, cum scholastica ineptorum exemplorum imitatione ortus sit usus hexametrorum nexorum synhaeresi, perdent oleum et operam, qui ludibrii inficeti suptilius computarint rationes. quare quod Lachmannus illa synizesi unum metrum e duobus oriri statuit, non possum ei accedere. primum quia iniecto tali turbatur

veteris artis concinnitas, deinde quia dodecametri illi omnino longiores sunt aequo et ab omni lepore vacui. igitur quamquam apparet hexametros elisione coeuntes aliquo interse vinculo cohaerere, tamen per se utrumque dicemus proprias explere vices, plane sicut manent integrae et divisae partes metri, etiamsi verbi eius, in quo fit caesura, eliditur ultima. ceterum cum plurimum optineret apud Latinos opinio spondeum potius quam trochaeum convenire ultimae sedi cum ceterorum metrorum tum hexametri, non erit mirum in versibus synizesi coalitis prioris numeri, ut non iam per se solum constantis, syllabam paenultimam semper servari longam. porro plurimum refert, ne sensus interstitio longiore dividantur hexametri elisione nexi, cum vel sic aegre coeant. quare in fine enuntiati praeter auctorem mox memorandum ponere tales unus ausus est Vergilius ita [aen. IV, 629]:

> pugnent ipsique nepotesque.
> haec ait et partes animum dimittit in omnes

et alibi [VII, 470]:

> se satis ambobus Teucrisque venire Latinisque.
> haec ubi dicta dedit divosque in vota vocavit.

et porro [X, 895]:

> clamore incendunt caelum Troesque Latinique.
> advolat Aeneas.

praeterea notandum semper concludi versum priorem particula enclitica *que* praeter binos Vergilii, qui sic exeunt [g. I, 295; aen. VII, 160] '*decoquit humorem*', '*tecta Latinorum*', et singulos Lucretii [V, 846] et Horatii [s. I, 6, 102], qui finiuntur '*concurrere debere*', '*rusve peregrere*'.

Ceterum pulchre ac decore usus est numeris istis Maro ut alibi, ita in IV Aeneidos [629] sic:

> 'pugnent ipsique nepotesque'.
> haec ait, et partes animum versabat in omnes.

ubi versu velut ultra mensuram tracto deficientis et verba frustra quaerentis Didus depingitur status. item l. VI [602] in hunc modum:

> quos super atra silex iam iam lapsura cadentique
> imminet adsimilis.

in quibus metro aegre stante quasi viva exprimitur imago saxi ruinam minitantis.

Igitur hypercatalectum hexametrum primus admisisse videtur Lucilius l. XVII [6] ita: '*magna ossa lacertique apparent hominis*'. nam apud Macrobium l. VI [1, 43] noto librariorum errore legitur *Lucius*. quidam suspicati de Ennio. semel tale metrum adhibuit Lucretius [V, 846], item Catullus [64, 298], bis Horatius in Sermonibus [I, 4, 96; 6, 102], tum Vergilius aliquotiens in Georgicis et Aeneide, denique huius aemulatione Ovidius in Metamorphoseon libris ter [IV, 11; 780; VI, 507]. atque haec omnia in continuis hexametris provenere exempla. illud merito dubitatur, secutus Callimachum Catullus num in distichis scripserit [115, 5]:

saltusque paludesque
usque ad Hyperboreos et mare ad Oceanum.

ubi bene docti (nam *saltibus* nullus est locus) reposuisse videntur illud *altasque paludes*. — verum post Augusti tempus id genus elisionis adhiberi plane desitumst praeter unum Valerii Flacci exemplum [IV, 293]:

illum insperata turbatum fraude furentemque
Oebalides prima refugit dum detonet ira.

nec enim Ausonius scripsit [de rat. dier. ann. vert.; V, 8, 7 ed. Schenkel.]:

atque dii cursu peragit sol aureus altero,
autumni aestatisque simul confinia miscens,

scripsit *altro,* nec magis hypermetros numeros admisit Maximianus, quos ei tribuit Wernsdorfius [5, 11; 111]: *pallorque et; ferarumque et.*

Legitur tamen, si verumst, in versibus supra memoratis poetae vulgaris, qui priore parte fuit s. III:

nam pius et felix poterat dicique viderique.
imperium infelix est: erit ille sibi.

praeterea memini Bedam [pg. 2371] adferre Paulini, ut dicit, metrum tale:

quae decus omne operum perimebant improba foedaque
obice prospectum caecantia.

quem secutus modulum auctor libri in genesin hoc probavit [225]:

tresque creat natos, Sethum Chamumque Iafetumque,
in numerum solitos mollitum tundere ferrum.

Contra nullo pacto potest tolerari, quod in trimetri dactylici catalectici exitu admisisse putatur Ausonius [prof. Burd. 11, 16 Sch.]:

sobrius et puerorum
utilis ingeniis.

ubi reponendum vel *puerum* vel *parvum*.

Porro elisae in fine trimetri iambici exemplum vocalis, qualia haud ita pauca inveniuntur apud scaenicos Graecos inde a Sophocle, non reperitur apud dactylicos Latinos, exceptis nonnullis locis christianorum, nec, ut puto, apud scaenicos.

Sed iam transeamus ad elisionem in ultima versus syllaba evenientem. quae quam dura sit visa omnino Latinis, inde apparet, quod nec Plautus eam adhibuit sine cautione et Terentius ita tantum, ut sequeretur aut interiectio aut pronomen *hic*. a qua norma quae differunt, emendando sunt tollenda, scribendumquest in Andria [950] '*dos Pamphilest*', in Phormione [421] '*nobis Demiphost*', [742] '*quid? non obsecro's*', [786] '*dudum opitulata's*', atque item [965] '*bono animo's*', tum in Hecyra [681] '*nanctus alterum's*', in Adelphis [394] '*nil nisi sapientia's*' et porro [543] '*quin tu animo bono's*' et alibi [989] '*vobis mea vita invisa Aeschinest*', denique in Eunucho [84; 896] '*bono animo's*' et ibidem '*quam tu rem actura obsecro's*'. in hexametri sedem ultimam qui sustinuerit admittere elisionem non inveni classicorum quemquam praeter Lucilium [XIV, 7; inc. 31] et Horatium. hic tamen in Saturas saepius eam recepit, in II Epistularum librum numquam. sed quod haec leguntur Vergilium apud [aen. IX, 57; 440] et Silium [IX, 35] in exitu metri '*huc turbidus atque huc*', '*hinc comminus atque hinc*', '*ruite ocius atque hunc*', iam supra dixi in particulis *que, ve, ne* extrusam et pedestri sermone ultimam sequente vocali. quamquam ne hoc quidem quisquamst imitatus posteriorum. itaque omnino ubi in hexametri sexta thesi iam adhibita sit synizesis non invenio praeter hunc versum Ausonii [technop. de litter. monos. 3] '*ἦτα quod Aeolidum quodque ε valet, hoc Latiare e*'. at pessime habet quod in Martiani libro altero dedit Koppius [116, 5]:

tunc candens tenero glaciatur rore pruina et
matutina greges quatiunt in pascua caulas.

quibus haud sane stabunt numeri, nisi copula ad sequentem v. fuerit adsumpta. notum autem, syllabarum quantitates quam saepe violentur ab isto. atque illud *matutinus* correpta prima et secunda etiam apud eiusdem fere aetatis invenitur poetam [anthol. lat. ed. R. 389, 45]. — deinde non adhiberi in pentametri exitu elisionem ostendit Lachmannus. porro quod habes apud Horatium [ep. 17, 25]:

urguet diem nox et dies noctem neque est
levare tenta spiritu praecordia,

illud *est* etiam, ubi idem valet ac *licet*, amittit vocalem praecedente vocali. — contra in systematis synaphiae aptis tam diu licuit admitti in fine versuum synchysin, donec viguit vis synaphiae, quae post Horatii tempus cum desisset, non magis in sapphici vel glyconici metri finem quam hexametri aut pentametri exitum iam receptast illa licentia. quod quo plenius appareat, addam migratae ubicumque legis huius quae extant exempla paucissima. igitur Octaviae auctor in monometris anapaesticis admisit haec [9; 298]:

gravior namque his.
paterere grave et.

quamquam utrumque facile emendandi probabilitate potest tolli. apud Prudentium semel habes in fine metri sapphici factam synchysin ita [cath. 8, 19]:

lactat hortatu, levis obsequella ut
mulceat artus.

tum Ausonii haec sunt [prof. Burdig. 4, 21]:

laetus, pudicus, pulcher, in senio quoque, ut
aquilae senectus aut equi.

ubi tamen facillime potest demi scabrum istud reponendo:

aquilae ut senectus aut equi.

porro Paulinus [10, 37; 24, 167; 492]:

quam vis sophorum callida arsque rhetorum et.
qui tunc remoto fessus in prorae sinu et.
secretum ab igne divitum et.

denique Sidonius [ep. VIII, 11, 35]:

dic. iam nunc aderit. satis facetum et.

ceterum non magis placet asynartetorum prioris partis fini addi synhaeresin.

Iam ut cetera persequamur. ea lex est hexametri — quam, quo quisque ad perfectae normam elegantiae propius accessit, eo servavere curatius —, incisione ut semiquinaria optinente quodvis genus elisionum et prima thesi et secunda arsi et toto pede quarto usurpari liceat. quam imminui libertatem verumst, quandocumque cum trithemimeri hephthemimeris versum dividit. praeterea memorandum facilius ut thesi secunda quam tertia, ita arsi tertia quam sexta admitti elisionem. at quod ante quinti pedis primam syllabam vel tertiam saepe adhibetur eadem, id vero a natura illius dactylica venit, cui ut satisfacerent, remitti aliquando aliarum legum severitatem aequum fuit.

Igitur diligentissimus quisque poetarum elisionem longae aut mediae syllabae intra primum choriambum et quartum pedem, ut carerent tamen hae partes caesura, consistere voluerunt. quorum in numero fuere hi: Calpurnius, laudator Pisonis, auctores Nucis et elegiarum de morte Maecenatis, Petronius extra bellum civile, Seneca, Nemesianus, Palladius, Namatianus, nec minus scriptores laudium Herculis ac Phoenicis, Avianus, Boethius, Eugenius. etenim quod fertur in carmine priore de Maecenate [81] '*quis fore credebat, premeret cum iam impiger infans hydros*', non stat codicum auctoritate. ubi rectissime traditum *cum iam premit impiger infans.* corrupere editores, cum ignorarent usum praesentis temporis in enuntiato relativo, ubi in finito praeteritumst, de quo diximus ad Hor. Sat. I, 2, 56. igitur totum locum adscribemus emendatum:

quis fore credebat, cum iam premit impiger infans
hydros ingentes vix capiente manu,
cumve renascentem torret (*cdd.* terret) feliciter hydram
frangere (*v.* frangeret) et inmites scit (*sive* it; *cdd.* vel) Diomedis equos,
vel tribus adversis communem fratribus armum (alvum *cdd.*)
et sex accensas (adversas, *quod e v. priore irrepsit, v.*) solus in arma manus.

porro in Petronii vel scholastici nescio cuius, sed minime inelegantis opusculo quodam, quod incipit *primus in orbe deos fecit timor* [anth. 466 ed. R.] cum sit traditum antiquitus '*proiecit vitium atque error iussit inanis agricolas primos Cereri dare messis honores*', scribendum esse aio '*por-*

rectum vitiumst', ut praecedentia quae sunt '*mox Phoebus ad ortus*' et cetera pertineant ad primi versus verbum et plene sit interpungendum ante *porrectum.* neque vero Namatianus scripsit, quod Barthius ei explenda lacuna tribuit [I, 227]:

stringimus hinc exesum et fluctu et tempore Castrum,

sed potius *hinc canens.* et quoniam ad hunc poetam deflexit oratio, prometur a me coniectura, quam olim notavi, ne rursus delitescat in scriniis. nam eiusdem loco quodam [II, 43] cum legantur haec:

Romano generi dum nititur esse superstes,
crudelis summis miscuit ima furor;
dumque timet, quidquid se fecerat ipse timeri,
immisit Latiae barbara tela neci.
visceribus nudis armatum condidit hostem
illatae cladis liberiore dolo,

mihi semper mirificus admodum visus est versus paenultimus, primum quod abundat illud *armatum,* deinde quod non satis possunt explicari ea quae sunt *liberiore dolo.* nec enim tali nomine dignumst, si proditor, id quod ratio iubet omnis, quem oppressurus est, munimentis privat, quibus se defendere possit. itaque videndum an melius legatur:

visceribus nudis amatam condidit hastam;

sicut dixit Ovidius [am. II, 9, 13]: *quid iuvat in nudis amata retundere tela ossibus? ossa mihi nuda relinquit amor.* nempe hoc gravissimum Stilichonis facinus fuisse dicit poeta, quod ipsam Romam, hactenus numquam expugnatam, barbaris ferro ignique vastandam permisisset; quam numquam satis reparari posse iacturam et infamiam.

Sed, eiusdem Rutilii verbis quo utamur, deverticulo fuimus fortasse loquaces, scilicet ut didactici operis siccitatem, qua in hoc maxime libro premimur, secessus amoenitate quadam oblivisceremur. — at a regula supra proposita alienus est et eximius versus Nemesiani [cyneg. 313]:

dat Libye, magnarum avium fecunda creatrix;

item Boethii [III, 9, 5]:

materiae fluitantis opus, verum insita summi.

ex quibus tamen alter praecedente vocabulum tertium nomine

proprio, alter adverbio per frequentiam usus imminuto excusatur.

Iam ceteri horum normam diversa quidem severitate, sed simili ratione optinuere. ac primum quidem caverunt poetae vel minus diligentes, ne inde a quinta thesi longas aut medias eliderent finales. quam secuti sunt normam Cato, Tibullus, Grattius, auctor Aetnae, Homerus Latinus, Columella, Martialis, Petronius in bello civili, Silius, Claudianus, Sammonicus, Martianus, Arator, Luxorius, Maximianus, Corippus in laudibus Iustini. praeterea notandi, qui, ut semel bisve admiserunt in quinta thesi aut sexta arsi elisionem mediae, ita longae in eisdem partibus studiose evitarunt. quorum e numero fuerunt Lucanus, cuius est [I, 231] '*Ariminum et ignes*', Germanicus, cuius [arat. 635] '*Oceanum ortu*', Valerius, qui dixit [VI, 300] '*atque iterum instat*', sed statim repetito *iterum*, Statius [theb. I, 41], qui '*inmodicum irae*', porro Iuvenalis, Manilius, Catullus in hexametris, Sidonius. at qui ne longas quidem post quintam arsin timuerunt imminuere, paucissimis tamen tali insolentiae indulsere exemplis. qua semel usus Ovidius [met. VII, 172], sed in finali quantitatis iam tum labantis, '*ergo ego cuiquam*', semel Sedulius [V, 412] '*operario in omni*', itaque Priscianus [541] '*insulae Abydi*', bis Vergilius [georg. I, 63; aen. XII, 26] '*ergo age terrae*'; '*hoc animo hauri*', bis Prudentius [peri st. 9, 1; 11, 1] '*hoc Itali urbem*'; '*Romula in urbe*'. nam et idem ista versus sede rarissime imminuere sustinuerunt syllabas medias. quid quod ne breves quidem finales in sexta arsi elidere plerique ausi sunt praeter particularum inflexibilium eas, quae in *e* vel *i* exirent [cf. Froehd. phil. XI, 542]?

Superest ut de partibus eis, quae sunt circa caesuram, disputetur subtilius.

Igitur durum valde habetur in tertia thesi elidi vocalem longam vel mediam. et magis quidem displicuit synhaeresin fieri in monosyllabo quam in fine plusquam monosyllabi. unde commode utroque usus modulo Vergilius in atrocibus rebus aut miraculosis describendis velut exemplis hisce [aen. II, 745; IX, 347; V, 693]:

quem non incusavi amens hominumque deorumque?
totum cui comminus ensem
condidit adsurgenti et multa morte recepit.
vix haec ediderat, cum effusis imbribus atra
tempestas sine more furit.

nec iniucunde admissa synhaeresis eadem talibus [aen. VI, 652; IX, 229]:

stant terrae defixae hastae.
stant longis adnixi hastis.

quare auctores plerique ista aut numquam usi sunt aut perraro. et omnino abstinuere a longa elidenda Tibullus cum suis, Propertius, Ovidius, Grattius, Homerus Latinus, Columella, Lucanus, Manilius, scriptor Aetnae, Martialis, Sammonicus, Claudianus, auctores Priapeorum, Terentianus, Sedulius, Arator, Maximianus, alii. similis optinuit observantia in secunda thesi hexametri pentametrive – nam hunc statim addo — remissa nonnihil severitate. sed ne in hac quidem longas elidere sustinuerunt Ovidius extra Metamorphoses, Lygdamus, Manilius, Homerus Latinus, Lucanus, Columella, Petronius, Martialis, Sammonicus, scriptores Priapeorum, Sedulius, Arator, Maximianus. sunt qui rarissime utantur synizesi eadem. semel Tibullus [I, 2, 58], semel Grattius [4] nec saepius Claudianus [5, 215], quater Ovidius in carmine epico [V, 94; 259; XV, 528; 776]. porro quamquam mediae syllabae elisionem non eadem severitate arcuerunt ab istis versus partibus, tamen quo quis longarum synizesin accuratius ab eisdem abstinuit, eo infrequentius in *m* exeuntes sedibus illis sunt imminutae. ceterum quaecumque in tertii ac secundi pedis thesi observatur norma elisionum, ea vero etiam pertinet ad primi et quarti, si cum hephthemimeri trithemimeris optinet. quod si tamen apud unum alterumve auctorem aliquantulum omittitur severitatis, id venit cum a libertate ea, qua proprie fruuntur pedes illi, tum a relicua incisionum istarum severitate. sed enim admissa post quartam arsin et sensus interstitium elisione longae, si pariter post tertiam finiatur verbum, melius utique statuetur optinere virilem semiquinariam, at non, si eadem sub condicione post tertium trochaeum, optinere eandem muliebrem. iam de elisione in caesura tertii et quarti pedis admissa haec enotabimus. qui saepe in quinto semipede

coniunctiones aut praepositiones monosyllabas collocarunt, eis et saepe sede eadem admissa synizesis. verum cum in septimo semipede haud perinde soleant poni eaedem, non erit mirum in hephthemimeri elisionis usum fuisse rariorem. omnino autem quo quis diligentius particulas istas a caesura arcuit, eo minus in eadem coire patitur vocales.

Iam pentametri artem enarraturi rursus cancelli in modum retrorsum incedentes prius posteriorem partem scrutabimur, quam longe cultiorem altera plerique, si non omnino segregarunt a synhaeresi, tantum brevium, non longarum aut mediarum voluere perviam elisioni. quem tenuit morem Ovidius cum suis praeter epistulam Acontii [178], auctor elegiarum de Maecenate, Martialis, Petronius, scriptores Nucis et Priapeorum ac Phoenicis, Namatianus, Palladius, Claudianus, Avianus, Boethius, Maximianus, Luxorius, Arator, Sedulius. hi cuncti elisionem brevis si modo ullam admisere — nam et plane abstinuerunt plerique —, adhibuerunt perraram et ferme in *e* vel *i*. etenim quod legitur in epistula Sapphus [96] '*non ut ames oro, verum ut amare sinas*' non magis est probum quam quod nonnullis placuit in libello Phoenicis [134; 150] '*de supera arce solet*' et '*se exhibet usque hominum*'. at auctor ad Liviam [158]: *hanc animam ore pio.* et Martialis in antitheto [VII, 73, 6] '*quisquis ubique habitat, Maxime, nusquam habitat*' ac porro [X, 41, 4] '*nil mihi respondes? — dicam ego: praetor erat*'.

Restat ut enarrem synizesim in quinto sextove accidentem semipede. cuius speciem utramque ut admisit Catullus, ita priorem habes apud Porcium:

quaeritis ignem? ite huc. quaeritis? ignis homost,

posteriorem apud Tibullum sic [I, 4, 56]:

post etiam collo se inplicuisse volet

et apud Propertium [I, 5, 32; III, 6, 10; IV, 22, 10]:

quaerere. non impune illa rogata venit.
inmortalis ero, si altera talis erit.
Herculis Antaeique Hesperidumque choros.

alia autem scabritiae talis exempla inde ab Augusti aetate non reperiuntur classicorum in libris. quippe falso probavit Meierus in elegia de Maecenate [109, 13] tale '*tu Caesaris almi dextera Romanae et tu vigil urbis eras*'. unde quasi

corruptae vetustatis specimen irridetur a Martiale Lucilianum illud [XI, 90, 4] '*Lucili columella hic situ' Metrophanes*'. — e christianis itidem abstinuere elisione ista Terentianus, Boethius, Prudentius, Sedulius, Arator, Sidonius, Avianus, Luxorius, Eugenius, usi sunt, sed rarissime, Ausonius, Paulinus, Martianus.

Porro in relicuis metris eadem plane vel licentia vel modestia elisionum optinet, quae in hexametro pentametrove, ut primae partes mediis, mediae ultimis habeantur liberius. veluti, ut hoc exemplo utar, ab auctoribus optimis iamborum in ultima thesi elisio nisi brevis eiusque rarissime non facile admittitur.

Iam ut cetera exequar, quod trimetris permultas elisiones indidit Seneca, id vero non maiore quadam illorum oritur libertate, sed multitudine versuum et licentia scaenica. nec, quod idem in quinta potissimum arsi trimetri admittit synizesis frequentiam, arcana quadam causa et remota, verum ea re effectumst, quod paenultimam sedem spondeo semper aut anapaesto exclusis ceteris modulis constare opus est. cui simillimam heroico in metro supra observavimus licentiam. denique in Aeolensium metris praeter hendecasyllabum sapphicum cum Horatius haud raro locis circa caesuram sitis synchysin vocalium adhibuisset, id sequentes studiose evitarunt. veluti Statius numquam aut in quinta syllaba aut in sexta versus ut sapphici, ita alcaici admittit illam. quem sequitur Prudentius excepto hoc versu [peri st. 4, 62] '*ipsa vix Roma in solio locata*'. idem non magis quam ceterorum plerique sustinuere elidendo comminuere mediam partem metri asclepiadei minoris. et sic optinuit apud posteriores, quod vel durissimi poetae raro admodum migrarunt placitum, omnino si admitteretur synizesis circum Aeolicorum metrorum caesuras, certe ne longa aut media imminueretur nisi concessa legitime venia. nam Senecae Hippolyto [768] quod praebet liber Mediceus '*languescunt folio ut lilia pallido*', illud *ut* abest a libris ceteris.

Sed elisionis Latinae plene persecuturum suptilitatem cito dies deficiet. quare iam pariter et excerptis nostris et lectorum parcemus taedio.

Verum priusquam neglecti vocalium concursus exempla ponamus, de verbi *esse* indicativi praesentis formis, quae sunt *est* vel *es*, dicendum.

Igitur utramque, post vocalem si sit posita, *e* recisa posse imminui olim intellectumst. scaenici autem non tantum indicativi, etiam imperativi illud *es* videntur truncasse.

Ritschelius autem quod negat secundae personae vocalem eximi praecedente *m* [prol. Trin. pg. CVIII], mihi rem non probavit, cum nec ratio appareat praecepti huius (nam duriora sunt velut *magnumst, dignumst* quam *magnum's dignum's*) et certum sit observantia numeri dixisse Terentium [Hecyr. 681] *alteram's*, Propertium [IV, 23, 12] *quoniam's*, Martialem [VIII, 40, 6] *lignum's*. atque ita Lucanus, nisi fallor, l. IX [604] *nunc olim factura deum's*. contra satis aperte, ut puto, apparet, cur ne potuerit quidem saepius *es* truncatum syllabae in *m* exeunti accedere.

Iam cum vulgo existimetur frequentissime quidem decurtatum illud *est*, at alterum *es* rarissime, ego vero affirmo prius semper truncatum poetarum ut scaenicorum, de quibus vix dubitatur, ita dactylicorum usu, praeterquam si in capite subsistit seu sententiae sive ordinis metrici, nec tantum ubi copulae vices explet, sed etiam ubi ponitur pro *licet* vel in his, quae sunt *est aliquid, tanti est* [cf. Hor. ep. 17, 25; Ov. remed. 750], et sicubi maiore tono effertur, hoc autem non ita infrequenter.

Ac primum quidem cum propter leges elisionum modo propositas innumeris exemplis oporteat truncari *est*, apparet mehercule per omnia deinceps tempora usitatissimum fuisse morem litterae primae abiciendae. verum enimvero cum certum sit ne duriores quidem poetarum dactylicorum ita favisse elisioni, ut eam arriperent potius cupide quam versus necessitate tolerarent, nonne plurimos implebit numeros probabilitatis eosdem synizesi vitandae admisisse auxilium, quod vulgatissimus usus et consuetudo ipsis inde a prima aetate exercita suppeditaret? quid dicam de illis, qui certissimum cavendae elisionis prae se ferunt studium? quos et ipsos crassa Minerva siquis statuerit adsumpsisse formam ampliorem, id ne memoria quidem erit dignum. porro cum sat constet amare valde poetas tertiam personam verbi sub-

stantivi collocare post vocalem, ne huius quidem rei apparebit ratio, nisi truncari statuerimus copulam. — iam codicum auctoritate non firmius immunitur plenum *est* quam *semianimis* aut *semiustulatus*. primum enim in codicibus vel antiquissimis mira optinet in hac parte varietas, deinde, ut iam supra memoravi, haudquaquam certumst Romanos omnes litteras sono, quas scriptura, expressisse. ceterum ne in ultimorum quidem imperii saeculorum libris poeticis subtractae scribendo *e* litterae desunt exempla, veluti in Nemesiani Cynegeticis v. 13 traditum *faciles* pro *facilest*, quamquam admodum sunt rara. barbaros tamen doctores Consentium et Bedam secuti quin reiciant placita nostra non moror. sane ille, cum recte testetur [gr. l. V, 390; 402] in Vergilii hisce [aen. XII, 23] *nec non aurumque animusque Latinost* subtrahendum *e*, in eiusdem auctoris metro tali [aen. V, 679]: *excussaque pectore Iuno est* illi *Iuno* demi vult finalem [V, 402]. cui similis Beda habet haec [2369]: '*arta via est, verae quae ducit ad atria vitae*'. *scanditur — ita: 'arta vi' dactylus, 'est ve' spondeus intercepta 'a' syllaba per synaliphan.* et similia hisce profert Aldhelmus [d. m. pg. 231 ed. Giles.].

Talia autem non maioris sunt momenti, quam quod in carminibus rythmicis itidem plenum habetur '*est*', veluti sic [Dan. I, 67. 1; 76. 10; 87. 33]: '*meridie orandum est*'; '*praedixerant quod factum est*'; '*virtus ex alto data est*'.

At in illo '*es*' secundae personae indicativi, quod a Plauto Terentioque produci solet, nusquam a dactylicis, ne a scaenicis quidem numquam longiorem formam praecedente vocali adhibitam existimo, nedum a dactylicis.

Veluti non capio quomodo possit stare Plauti [mil. gl. 625] versus talis, qualem probavit Ritschelius, '*nil amas, umbra's amantum magis quam amator Pleusicles*', cum '*umbra's*' non minus debeat explere trochaeum quam alias '*naufraga's*' dactylum. quare et hic integrum servandum illud '*es*' et haud dubie alibi condicione eadem. at si non semper, longe tamen saepius quam placuit Lachmanno [p. 67] imminuitur idem. veluti rationibus metricis demonstratur apud Catullum scribendum [66, 27; 29; 110, 3] *adepta's: locuta's: inimica's*, apud Vergilium [aen. VI, 845] *ille's*, apud

Ovidium [fast. IV, 456; am. II, 4, 18; 33] *ubi's; placita's; longa's.* ita in epistula Paridis legendum [16, 188] *nata's;* Propertii l. III [31, 21] *dolore's:* ibidem 14 *dea's.* contra IV [6, 1] optime Neapolitanus:

ergo sollicitae tu causa pecunia vitae;

ubi vulgo legitur *vitae es.* porro qui epicedium scripsit Drusi [426]:

coniugis et nati, Livia, sospes ope's.

idem ter intra quattuor versiculos [122—125] admisit illud *ubi's.* — auctor carminum de Maevio [820, 28]:

impius hoc telo's, hoc potes esse pius.

omnium autem frequentissime apocope invenitur in libris Martialis. cuius sunt [III, 32; 2; 72, 8] *vetula's: fatua's.* porro septies in fine pentametri positum *homo's* [Lachm. l. m.]. nec non constat ex lege musica apud eum reponendum [I, 64, 4; VIII, 79, 5] *puella's,* [I, 72, 7; III, 44, 4] *poeta's,* [II, 28, 5] *ergo's,* [II, 33, 1—3] *calva's, rufa's, lusca's,* [III, 72, 7] *nuda's,* [IV, 7, 4] *longa's,* [V, 16, 2] *causa's,* [VII, 18, 14] *muta's,* [X, 39, 2] *nata's.* et nequis ultimis temporibus insolitam fuisse formam breviorem existimet, habes apud Prudentium [p. st. 10, 789] *munere's,* apud Paulinum [26, 282] *propago's,* apud Sidonium [paneg. Av. 429] *in actu's,* apud Martianum [I, 1, 9] *cura's,* [III, 222, 32] *promissi's,* alibi alia. ceterum etsi credibilest, ut vitaretur ambiguum, non expressam plerumque scriptura formam breviatam, tamen ne diversi quidem moduli exempla desunt. ita, ut alia mittam, Catullum [66, 27] et Octavianum [204] eodem, quo pronuntiarunt, modo scripsisse illa *adepta's, naufraga's* apparet inde, quod traditumst antiquitus *adeptus* et *naufragus.*

Neque inepte hoc loco de minutis dicetur *iste, ipse.* igitur sicut Horatius in epistulis [II, 2, 163] dixit *modo sto* pro *isto, e stoc* pro eo quod est *ex istoc* habes in versibus Lucilii servatis a Nonio s. l. 'poesis et poema' [p. 428], quos emendatos adscribi placuit, ut non sine magna voluptate vulgatae traditionis scabritiem cum hoc nitore posses comparare. sunt autem tales:

nunc haec quid valeant quidve huic intersiet illud
cognosces. primum quod dicimus esse poema,

pars est parva poema. idyllion ecce poema aut
disticha, epistula item quaevis non magna, poemast
illa; poesis opus totum, ut tota Ilias unast
σύνθεσις Annalesque Enni. atque e stoc liber unus
est maius multo quam quod dixi ante poema.
quapropter dico: nemo, qui culpat Homerum,
perpetuom culpat neque quod dixi ante poesin,
verum unum culpat verbum, enthymema locumve.

praeterea quod in sexto Aeneidos [389] habet liber Mediceus a prima manu '*fare, age, quid venias iam stinc et comprime gressum*', non errore quodam aut neglegentia ortum esse *stinc* altero potest probari testimonio. etenim in Hosidii Medea, centone Vergiliano [anth. 17, 193 R.], eiusdem illius versus pars postrema talis cum feratur '*iam stinget conprome ressum*', facile etiam agnoscetur *stinc*. denique iam l. III Sedulio vindicavimus *stic* pro *istic*. contra *ipse* non iam invenitur concisum in libris dactylicorum praeter illud Ennii [406] *res sapsa*. sed et in Thyeste Senecae [1065] efferendum *meapse*, cum et ratio eadem sit vocalis primae, quae in *isto*, et satis constet dixisse sicut Plautum [Men. 637] *eampsus*, etiam Tullium [de rep. III, 8; Sen. ep. mor. 108, 32] *sepse* et *reapse*, alios *eapse* [Paul. p. 77]. certe illud sat multos implet numeros probabilitatis, praecedente *i* nec in *ipso* nec in *isto* exauditam initialem. ceterum similiter pronominis, quod est *ille*, absumptam esse plerumque syllabam priorem cum Romanicarum linguarum docemur formis tum hoc versu Afranii [Non. p. 343] '*immo li mitem faxo faciant fustibus*'. et similia aliquotiens in Lucilii Saturis notavimus, ut V, 16; XXIX, 63. — quid quod alienam omnino *Ismaeli*, nominis barbari, principalem litteram abicere ausus est auctor libri in genesin [531] hoc versu:

quin etiam patria Smaelus pro prece dives.

atque ita *Scarioth* legitur apud Prudentium [psychom. 530].

Iam de omissa ut agam elisione, quamquam refert Cicero in Oratore [44, 150] neminem Romanorum fuisse tam incultum, quin vocales vellet coniungere, tamen rudi etiamtum civitate aliquando in numero saturnio ac popularibus modulis admissum hiatum non abhorret a vero. quamquam in versibus qui extant (sunt autem omnes fere argumenti

gravioris) certa exempla praeter finem prioris hemistichii non inveniri monui alibi [de v. saturn. pg. 62].

At difficillima longest et intricatissima quaestio de hiatu apud scaenicos. de qua praeter alios multos dixere Ritschelius [prol. Trin. cap. XIV], Spengelius [T. Marc. Pl. pg. 173 sqq.], Muellerus [de prosodia Plautina pg 481 sqq.], Christius [metr. Graecorum et Romanorum pg. 38 sqq., al.]. attamen nondum res finita inter grammaticos; et vereor ut umquam possit absolvi. nec tamen dissimulo eorum a partibus me stare, qui licentiae illi quantum potest fieri tribuerint minimum.

Non autem multum quaestio illa ad dactylicorum pertinet libros, quippe qui inde ab Ennio Graecorum potius quam popularium respexerunt in hac parte usum, ita tamen ut diversa ab ore Romano pleraque ex eorum placitis in dactylicis metris reciderint. contra convenit utrisque in hoc, quod ab iambicis numeris et trochaicis omnino arcuerunt hiatum. omnesque eo usi permodice praeter deterrimos quosdam e christianis. at in ceteris horum admittendo figuram illam nimis fuerunt liberales vel ex recentissimis editoribus haud pauci.

Latinorum vero scaenicorum antiquissimi temporis quam non curarint dactylici usum vel ex hoc cognoscitur, quod hiatum apud eos frequentissimum et de quo nemo dubitat, eum dico, quo solutae iambi vel trochaei arsis prior pars efficitur monosyllabo longo vel medio hiante (a Bentleio primum is notatus in schediasmate de metris Terentianis) omnino non adhibuerunt.

Horum igitur ut recte intellegantur rationes, paullo altius repetenda res.

Ac primum quidem in tanta differentia usus elisionum, quanta oritur a verborum diversis spatiis sive tonis, sponte consequitur lex plurimo usu firmata, ut, quo sit vox quaeque minus pervia synizesi adhibendae, eo magis pateat propria natura permissi alioquin hiatus licentiae. quare non erit mirum, ut his utar exemplis, quod in thesi prompta dihaeresis non spondiacis potius verbis quam iambicis aut creticis evenit, vel quod improbatur hiatus pari vocali priore et posteriore, quamquam in tot milibus versuum et parata

plerumque aliunde excusatione ne huius quidem exempla desse verumst. eo ob ipsam deformitatem commode usus Vergilius in re atroci et inmani describenda sic [g. I, 281; aen. III, 606]:

ter sunt conati imponere Pelio Ossam.
si pereo, hominum manibus periisse iuvabit.

Ceterum falsissimumst, quod vulgo statuitur interiectiones monosyllabas, quoniam non elidantur apud dactylicos, eximia quadam frui libertate hiandi. quod sic est verum, ut illae *a, o* vel in arsi vel in thesi possint manere integrae, sicut Terentianus et consonarum et vocalium, vel brevium [356; 393; 400; 528 al.], notas ponit in hiatu et quidem productas. quamquam in thesi illud usurpatur rarissime, velut apud Horatium [ep. 5, 71] *a a, solutus ambulat veneficae scientioris carmine* et apud Ovidium [met. XIV, 832] *o et de Latia, o et de gente Sabina.* quod contra *heu* non umquam admittit hiatum apud auctores classicos. nam pro *heu heu* reponendum ubique, et quidem saepius auctoritate librorum scriptorum, id quod est *eheu.* pro *heu ubi* Ovidii Amorum III [8, 18], Fastorum III et V [485; 465], Statii Thebaidos V [350], item Silvarum III [5, 44] et, puto, ubicumque recurrit illud, restituendum *heus, ubi,* sicut recte in Hypsipyles fertur epistula [her. 6, 41] *heus, ubi pacta fides?* et variant interdum libri scripti. quare in hoc mihi non convenit cum Ottone Muellero, qui de re eadem egit ad Theb. l. mem.; adeoque V, 478 eiusdem carminis legendum existimo *heus iterum.* praeterea *o* in *io* nec eliditur umquam et admittit hiatum in arsi, sed admodum raro, ut apud Statium Thebaidos X [889]; item Ovidium Metam. V [625]:

et bis 'io Arethusa' vocavit, 'io Arethusa'.

sic enim recte Hauptius; in codicibus est: *et bis io A., io A. vocavit.* porro saepe in hymenaeo, sed formula usus certa, Catullus [61, 120 sqq.] ponit hoc:

o Hymen Hymenaee io,
o Hymen Hymenae.

ubi mira quadam pervicacia membranae habent *io Hymen.* sed enim *i* in hac vocula, ut et Graecorum monstrat exemplum, semper vocalis. — denique *eia* sive *heia,* quod *a* brevi videtur fuisse temporibus optimis (dicetur de hoc l.

insequente), saepe eliditur sequente *age* (quamquam alii dixere *en age*), numquam admittit hiatum.

Praeterea Terentianus ut in exemplis afferendis maiore quadam utitur hiandi libertate, ita numquam elidit finales litterarum monosyllabarum. nam v. 809 scribendum: *porro d, g, ceteras,* non: porro *d, g et ceteras.*

Vehementer autem displicuit vel vetustissimis dactylicorum hiatus talis, quo breviaretur syllaba non elisa, qualis ubi reperitur Graecorum plerumque provenit aemulatione. aliquanto patientius omni aetate tulere dihaeresin in arsi admissam, qua longa maneret vocalis prior, quamquam minime probantes Graecorum exemplorum frequentiam. ceterum non recte credentur hiatus licentia voluisse uti christiani, ubicumque spiritu initiis verbi collocato praecedens servatur syllaba, quoniam ultimorum temporum magistri eum plerumque consonae vice fungi existimarunt, ut recte staret ars versu hoc Maximiani [2, 13]:

hunc ego dilexi, hic me complexus amavit.

haec enim vera lectio. neque tamen thesi praecedente perinde consonae fungitur iure *h,* licet dixerit Luxorius [344, 13] '*non iam huic ludum sapientum calculus aptet*', et alibi [379, 6] '*plus tecto ut vigeat, solet quam horto*', itaque Corippus [laud. Iust. III, 369] '*quoniam deus omnium hic est*'. quibus equidem exemplis probatur *m* in extrema dictione omissam ferme esse temporibus ultimis, sed ut brevis maneret vocalis antecedens.

Superest ut singillatim persequar exempla.

Igitur non in thesi magis quam in arsi cum dihaeresi ponitur syllaba brevis, ut aliena sint a more permisso Vergilii et Columellae haec [Verg. ecl. 2, 53; aen. I, 405; Colum. 224]:

addam cerea pruna. honos erit huic quoque pomo.
et vera incessu patuit dea. ille ubi matrem.
Delie te Paean et te Euhie, Euhie Paean.

ubi quidam *te Euhion Euhie Paean.* haec igitur vel sensus interstitio vel propriis mitigantur nominibus. contra omni venia orbum Ausonii illud [parent. 26, 7] *ergo commemorata ave maestumque vocata cum genetrice vale.* vix enim elevatur licentia reponendo *have,* cum Ausonius *h* litteram alias tan-

tum arsi praecedente consonae fungi vice voluerit. fortasse scribendum *et ave.* nam neque Sidonius scripsit [paneg. Avit. 232] '*nil sine te gessit, cum plurima tu sine illo*', scripsit '*tute sine illo*', neque Persius [3, 66] '*discite, o miseri*' aut Luxorius [302, 4] '*magnum deprendere usum*'. nec hercule memoria dignumst, quod fertur in futilibus quibusdam Catulli libris [3, 16] '*o factum male, o miselle passer*' et Horatii [c. III, 14, 11] '*iam virum expertae, male ominatis*', item Maronis [XII, 648] '*sancta ad vos anima atque istius inscia culpae*'. quid quod ne communes quidem syllabas hiare in thesi passi sunt classici? non ut credam posse tolerari quod admisit in Culicem fine hexametri [245] Heinsius '*frustra sibi. ite puellae*'. at dactylica aut pyrrichiaca in *m* exeuntia haud dubie hiant exemplis Ennii et Lucilii hisce [322; 354; I, 22]:

dum quidem unus homo Romanu' toga superescit.
insignita fere tum milia militum octo.
praetextae ac tunicae Lydorum opu' sordidum omne,

elidendi medias finales licentiam in monosyllabis continuit, usu quidem perraro, Lucretius ad exemplum Horatiani [s. II, 2, 28] *cocto num adest honor idem?* ut puta [III, 1080]:

sed dum abest quod avemus, id exsuperare videtur.

Longa autem syllaba nec ipsa stare potest in thesi cum hiatu, ni mutet quantitatem. nam quod dixit Maro [g. I, 437] '*Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae*', dum cupidius studet ille versum praeceptoris Euphorionis *Γλαύκῳ καὶ Νηρῆι καὶ Ἰνῴῳ Μελικέρτῃ* totidem reddere vocibus — unde ne potest quidem esse verum, quod Wagnerus probat *Glaucoque* —, certissimas artis Latinae normas pusillis facetiis posthabuit. at apud Lucilium quod legitur [XVII, 1] '*Τυρὼ eupatereiam aliquam rem insignem habuisse*', licuit in verbis Graecis et formula Homerica [Od. XI, 235] externam normam retineri. tamen res perincerta, cum pro *Tyro* in cdd. extet PIN. itaque nos in Lucilii editione *Τυρὼν* reposuimus, mox in Nonii *Tyronem.* — illud vero quod grammatici afferunt ut simili insigne licentia '*Musae Aonides*', inopia utique exemplorum finxere ipsi. quae cum ita sint, non a metro rectius quam a sensu stabit quod etiamnum plerique tribuunt Horatio [c. II, 20, 13] '*iam Daedaleo ocior Icaro*'. — neque vero cor-

ripi potest longa finalis nisi vocum creticarum vel iambicarum sequente longa aut monosyllabarum addita brevi. et creticarum quidem hiatus in prima ferme et quinta sede subsistit. quare male habet apud Propertium quod iam optinet vulgo [III, 31, 31] '*tu quoque o Eurytion vino Centaure peristi*', cum sit unice verum antiquitus traditum '*tuque o*', sicut habetur alibi etiam in enumeratione rerum eandem sententiam continuantium [IV, 18, 21] '*tuque o Minoa venundata Scylla figura*'. sed convenienter regulae supra propositae scripsere Ennius [345] *Scipio invicte*, Lucilius [XXX, 21] *quid servas quo eam*. porro similia, haud sane crebro, Lucretius. at Tullius semel [arat. frgm. 21] '*hoc motu radiantis Etesiae in vada ponti*'. praeterea dixit Catullus [97, 1] '*non, ita me di ament*' et in hendecasyllabis [55, 4; 57, 7]:

te in circo, te in omnibus tabernis.
uno in lectulo, erudituli ambo.

et Varro in aristophanio:

non quaerendast homini, qui habet virtutem, paenula in imbri.

porro Vergilius cum hiatu ponit cretica Georg. I, 281; IV. 461; Aen. III, 211; V, 261; monosyllaba Bucol. 2, 65; 8, 108; Aen. VI, 507; denique iambica Bucol. 3, 79; 6, 44. dubitatur de Georg. I, 332, ubi libri: *aut Athon aut Rhodopen.* at Heinsius: *aut Atho,* sicut est apud Theocritum 7, 77 ἢ Ἄθω ἢ Ῥοδόπαν. tamen *Athos* nominativum correpta ferri *o* testatur Servius ad Aen. XII, 701. porro satis constat propter rationes continuo afferendas Valerium scripsisse I, 664 *aut Athon aut Rhodopen.* igitur res in medium relinquenda. praeterea dixit Horatius [sat. I, 9, 38] *si me amas*, contra non, ut multi putant [ep. II, 3, 65]:

regis opus sterilisve palus diu aptaque remis.

tum Propertius [IV, 10, 17]: *Omphale in tantum,* neque aliter circa idem tempus auctor elegiae ad Messallam [61], si recte habet vulgata:

si laudem adspirare, humiles si adire Camenas.

Verum enimvero post horum aetatem id genus licentiae adhiberi plane desitumst. itaque Ovidius iuvenili carmine cum admisisset tale [am. II, 13, 21] '*lenis ades precibusque meis fave, Ilithyia*', postea omnino vitavit similia. nam quae

leguntur in Transformationibus [I, 155; III, 501] '*subiecto Pelio Ossam*' (ita recte docti) et '*dictoque vale vale inquit et Echo*', ea vero non proprio auso admisit ille, sed aperta aemulatione Vergilii et ut poetae clarissimi versus lectorum in memoriam revocaret. sed enim quod licuit admittere aequalem Maroni aut proximum tempore, posterior aetas non perinde tulit. quare et Statius cum Claudiano certa imitatione Vergiliani illius '*inponere Pelio Ossam*' dixere sine hiatu ita [theb. VIII, 78; 21, 12]:

faxo haud sit cunctis levior metus atra movere
Tartara frondenti quam iungere Pelion Ossae.
promptius imponam glaciali Pelion Ossae,

nec minore fere auctores christiani istud genus hiatus persecuti sunt odio, perbene ut habeat, quod Beda [2354], postquam narravit in confiniis verborum breviari aliquando per hiatum longam vocalem, addit illud, a neotericis correptionem talem eadem potius parte orationis solere admitti. quid autem mirum improbatam licentiam istam, cum plerisque magistrorum videretur [Terentian. 1652 sqq.] in Maronis illis [aen. III, 211] '*insulae Ionio in magno*' primum pedem esse creticum, quem heroicus versus non recipit. igitur timuerunt longas breviare in thesi Avianus, Sidonius, Avienus, Sedulius, Arator, Maximianus, Luxorius, Boethius, Prudentius. nam in huius libris normam modo propositam quotiens evertit Obbarius, totiens errore labitur. e ceteris diversa potissimum haec notavi.

Ac primum quidem Porfyrii metrum tale [21, 11]:

rite velit, medio dum in agmine colocat astri,

ut alios etiam duriores et a nota arte alienos hiatus (exempla sunt haec: 5, 21; 9, 24; 11, 6; 18, 12; 16; pg. 64, 3) praeteribimus excusata praestigiorum, quibus utitur, mirificentissimorum difficultate. at a Prisciano quater *insulae*, semel *Gymnesiae* correpta ponitur ultima [perieg. 459; 520; 567; 610; 464]. porro habet Ausonius in praefatione ad lectorem [39] initio versus *hic ego Ausonius* (notum quippe a christianis illud *ego*, ut *duo*, saepe adhibitum pro iambo); nec tamen credo in epigrammate eius [77, 1] recte ferri '*deformem quidam te dicunt, Crispa, ego istud nescio*', ubi bene docti *at ego*. simile autem exemplum Sedulium admisisse in

oratione dominica [c. p. I, 305] ita '*sic ait ipse docens: ego in patre et pater in me*' confirmat Beda [gr. lat. VII, 252], neque res abhorret a fide. numquam vero in versibus propriis illorum invenitur hians in thesi monosyllabum. cui quidem legi non adversatur hoc, quod Ausonius in fine epistulae XXIV usus est hexametro Vergiliano [bucol. 8, 107]: *credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?* — nam ne Dracontium quidem id licentiae sibi permisisse crediderim, apud quem fertur [10, 426]:

inlustres animas, niveam cum Iasone Glaucen.

ubi sane illud *Iasone* non potest esse trisyllabum; nam alias numquam consona usus hoc nomen posuit Dracontius. sed videtur glosemate expulsum id quod est *coniuge,* sicut et liberorum nomina suorum reticuit Medea in sequentibus.

At spondiaca verba non possunt hiare nisi proprio nomine aut Graeco. enotavi talis generis exempla, quotquot inveni, omnia. itaque dixit Ennius vel potius, ut in editione eius pg. 247 demonstrare conatus sum, grammaticus insequentis aetatis, Lampadio ut puta sive Vargunteius, in disticho:

aspicite, o cives, senis Enni imagini' formam.

mox Vergilius in versu supra iam tractato [georg. I, 437]:

Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae.

porro Ausonius [idyll. 18, 8] '*nymphae Hamadryades*' et alibi [de rat. dier. ann. vert. 3] '*Phrixeo ab ariete*' et Terentianus in trochaeis [410] '*ηὕδα infecto facit*', nisi potius ut in exemplo eoque graeco pro trochaeo admissus est spondeus. praeterea hic post quartam thesin tetrametri trochaici [410; 411; 412; 617; 658] et Martianus in iambici trimetri penthemimeri non nimis raro spondiaca seu trochaica verba collocant cum hiatu. at hercule Seneca non scripsit [Thyest. 300; Herc. Oet. 1200; Octav. 516]:

liberos eius rudes —
prece commovebo. hinc vetus regni furor,

nec magis:

ut titulo inclitae
mortis carerem. o ferae victae, ferae,

aut illud:

tristes Philippi, hausit et Siculum mare.

ex quibus primum exemplum l. II sub finem dedimus emendatum. etiam magis abhorret a fide Horatium in dimetro iambico [ep. 5, 100] admisisse exceptionem, de qua agitur:

et Esquilinae alites.

nullum quippe umquam iambica metra vel trochaica apud classicos Romanorum poetas recipiunt hiatum nisi interiectionum. at latet ulcus remediis gravius.

Sed iam de omissa in arsi elisione dicturus primum monebo non posse fieri dihaeresin in voce monosyllaba, nisi quae ex lege supra declarata haud possit coire cum vocali sequente, h. e. in finali legitima declinationum vel coniugationum, quando succedit brevis. cuius licentiae unum fere innotuit mihi Vergilii exemplum hoc [aen. IV, 235]:

quid struit aut qua spe inimica in gente moratur?

ubi si pro *inimica* posueris *hostili,* statim vitiosus erit versus. nam ne apud Luxorium quidem, aetatis ultimae scriptorem, recte ferri credo [369, 2]:

da pretium, ne te oderis ipsa simul.

ubi olim diximus scribendum:

cui facis ut pretium promittens, Gattula, ameris,
da pretium, ne te viderit ille (*vel* ipse) simul.

Iam Vergilius condicionibus quattuor admisit in arsi hiatum, et quidem isdem quibus productionem arsis, h. e. aut caesura legitima aut iniecto (quod adeo sufficit sequens) nomine proprio vel Graeco aut binis vel utrimque cingentibus vel certe praecedentibus singulorum vocabulorum syllabis brevibus aut interstitio sensus. in exemplis autem quod saepe non una adest veniae causa, sed plures, non erit mirum poetarum Latinorum reputantibus morem. exceptionum vero istarum quin Ennium habuerit auctorem non potest dubitari, quamquam certa apud hunc non iam inveniuntur documenta.

Igitur habes apud illum talia:

I. munera sunt *lauri* et suave rubens hyacinthus.
promissam eripui *genero.* arma impia sumpsi.
hanc sine me spem ferre *tui.* audentior ibo.

II. Nereidum matri et *Neptuno* Aegaeo.

III. stant et iuniperi et *castaneae* hirsutae.
evolat infelix et *femineo ulu*latu.
IV. si *pereo, homi*num manibus periisse iuvabit.

Non perinde poetae arsis vi sola munisse videntur dihaeresim. quam amplexus animo opinionem quamquam minime ignorabam Furii apud Macrobium ferri versum talem '*dia Minerva, simul autem invictus Apollo*', tamen eum ut aperte corruptum silentio omissurus eram, nisi olim Hauptius mihi indicasset mirificis quidem ludibriis nuper illum esse exagitatum, sed talem profectum ab auctore '*dia Minerva simul, simul autem invictus Apollo*'.

Verum ceteri classicorum reciso modo tertio et quarto priores tantum adhibuere. nam ne Iuvenalem quidem scripsisse credibilest, quod tribuit ei Heinsius [12, 34] '*qui se eunuchum ipse facit cupiens evadere damno testiculi. adeo medicatum intellegit inguen*'. at Ovidii hoc metro [met. III, 183]:

qui color infectis adversi solis ab ictu
nubibus esse solet aut purpureae aurorae,

ut solis, ita aurorae propriumst vocabulum, non appellativum. quid quod timuere satirici ut doctam nimis et graecanicam nominis proprii ergo admittere dihaeresim? — denique christiani, quamquam magistrorum decepti ludibriis et pridem imminuto sensu hiatus, tamen, ne rythmicum carmen viderentur componere, satis diligenter caverunt genus istud licentiae. ceterum considerantibus ea, quae alibi memoravimus, non erit mirum hiatum raro extra heroicum inveniri metrum, in quo ipso incisio penthemimeris longe plus habet veniae quam hephthemimeris vel trithemimeris. in hac tamen admisit Horatius libro epodon [13, 3]:

Threicio Aquilone sonant. rapiamus, amice.

at idem in Saturis et Epistulis omni abstinuit hiatu in arsi facto nec minus in ceteris libris citra locum modo adscriptum et tetrametrum dactylicum in carmine Archytae [I, 28, 24], de quo mox agetur.

Praeterea in syllabis *m* littera terminatis admittere dihaeresin vix ulli auctorum placuit. ita Propertius dixit [III, 7, 1; 30, 45] '*o me felicem, o nox mihi candida et o tu*' '*haec eadem ante illam impune et Lesbia fecit*', Tibullus [I,

5, 33] '*et, tantum venerata virum, hunc sedula curet*'. denique Manilius [I, 795] '*emeritus caelum et Clausi magna propago.* — minus aliquanto certa relicua. nam quod apud Ennium fertur [279] *miscent inter sese inimicitiam agitantes*, in editione nostra positumst *minitantes*; apud Catullum in medio pentametro plerique [66, 48; 67, 44]:

Iuppiter, ut Chalybum omne genus pereat.
speret nec linguam esse nec auriculam.

at ibi rectius, puto, alii *Chalybon* et *speraret*; sicuti alibi [97, 2] ad eandem licentiam tollendam pro *utrum* illud *utrumne*. nec enim aliud exemplum apud classicos invenitur. certe quod Martiali tribuitur [III, 3, 4] *aut aperi faciem aut tunicata lava*', omnino cultissimo auctore indignumst, qui ne in hexametro quidem et longa syllaba admiserit dihaeresin, ut assentiar Schneidewino epigramma, in quo situs est versus, alienum esse a Martiali. nam et abest a parte librorum. at Sammonicum in versibus, qui vulgo feruntur tales [283; 787] '*quod refert clauso versum agitare prolato*' '*parva sabucus item hircino collita fuco*', scripsisse *versatum* atque *itemst* declaratur libro Turicensi. apud Iuvenalem quod legitur [8, 241] *nominis ac tituli, quantum in Leucade, quantum*', omnino falsumst *in*.

Sed Vergilius in arsi accidentem hiatum exemplis circiter XL admisit, ex quibus quae cumulatis syllabis brevibus vel sensus interstitio vel utroque excusantur notabo. sunt autem haec [buc. 7, 53; aen. IV, 667; IX, 477; georg. IV, 343; 463; I, 3; aen. III, 606]:

stant et iuniperi et *castaneae* hirsutae.
lamentis gemituque et *femineo* ululatu.
evolat infelix et *femineo* ululatu.
atque *Ephyre* atque Opis et Asia Deiopea.
atque Getae atque Hebrus et Actias Orithyia.
— ◡◡ — ◡◡ — ◡◡ — qui cultus habendo
sit *pecori, api*bus quanta experientia parcis.
si *pereo, homi*num manibus periisse iuvabit.

porro ita dixit Accius [annal. inc. 1]:

mos traditus illinc
iste, ut cum dominis *famuli epu*lentur ibidem.

contra iure dubitatur, num eadem usus libertate Horatius

admiserit hiatum carmine de Archyta in tetrametro dactylico [I, 28, 24]:

ossibus et capiti inhumato.

ubi etsi non placet, quod invenit Perlcampius, *intumulato* (nam hoc verbum Ovidianaest notae primumque occurrit apud Ovidium), potest altior haerere corruptela. nec enim credibilest penthemimeris in heroico metro libertatem translatam in versum, qui propter brevitatem omni caret caesura. nec vero alibi in lyricis iambicisque invenitur hiatus nisi per interiectionis legitimum cum vocali concursum.

At hercule Valerius, dum imitatur Vergilii illud [aen. IV, 667]: '*lamentis gemituque et femineo ululatu*' quamquam multiplicatis brevibus tamen addidit vocabulum proprium ita [IV, 393]:

cum facibus spirisque et Tartareo ululatu.

ceterum non ratione magis quam numero exemplorum a Vergilio differunt insequentes epicorum. e quibus Ovidius cum asseclis in tot milibus versuum dihaeresis in arsi accidentis exempla habet circiter XXV. quid quod Statii sunt quinque, non plura, et quidem in Thebaide [IV, 227; VI, 563; VIII, 36; IX, 305; X, 889]. ex quibus alterum '*quis Maenaliae Atalantes* in loco invenitur, quem suspectavit Muellerus, quintum non cadit in censum, quoniam *io* interiectio, de qua supra memoravi, numquam eliditur ante vocalem: *fulmen io, ubi fulmen? ait.* Silii sunt quattuor [I, 627; X, 599; XII, 514; XIV, 515], unum [IV, 393] Valerii. ac Silius quidem hactenus suum observavit Vergilium, ut semel [XIV, 515] in uno versu duplicem admitteret vocalium sine elisione concursum ita:

et Cyane et Anapus et Ortygie Arethusa.

at e ceteris abstinuere hiatu in arsi adhibendo Tullius, Lucretius, Cato, Horatius praeter unum epodon versum [13, 3] et illum [c. I, 28, 24], de quo supra disputavi, scriptores Nucis et Aetnae ac Priapeorum, Lygdamus, Sulpicia, auctor ad Messallam, Calpurnius, laudator Pisonis, Lucanus, Martialis, Columella, Petronius, Palladius, Claudianus, Namatianus, Sammonicus, Avianus, Prudentius, Arator, Avienus, Priscianus, Eugenius, denique Sedulius extra elegiam, quae epana-

lepsis habet schema. in qua post caesuram pentametri ante rediens e versu priore hemistichion habes figuram, de qua agitur, vv. 4, 28, 62, 106. namque alibi apud eundem scribendum [c. p. III, 285] '*quid quod et Helian et clarum sidere Mosen*' non '*Heliam*'. — ceterorum plerique admisere hiatum, sed rarissimis fere exemplis et plurima quae immunirentur venia. satis frequenter equidem eo Porfyrius usus in penthemimeri hexametri, semel etiam vocali minuenda brevi, praeterea quarto loco in monosyllabo [5, 23; 22, 23]. sed huius singulares esse rationes supra memoravi.

VI.

LIBER QVINTVS.

DE VI CONSONARVM COEVNTIVM ET DE PRODVCTIS VEL CORREPTIS FINALIBVS.

Postquam de vocalium concursu egimus, apte iam exponetur, coeuntibus quid fiat vocali praecedenti consonis. quod ut exsequamur propositum, retinentes prioris libri viam primum de mediis, mox de ultimis verborum dicemus syllabis.

Igitur antiquissimi auctores artis quod vel longam vel communem voluerunt fieri brevem sequentibus binis non minus consonis, id sine dubio ab illis non ludibrio quodam metrico institutumst, sed quod vulgari pronuntiatione correpta syllaba addito, quod memoravi, augmento re vera longae pondus sustinere videretur. quare in Homerico carmine ne muta quidem cum liquida sequente saepe corripitur vocalis praecedens. verum saeculorum cursu et optorpescente lingua non potuit fieri, quin quod vivido prius sensu esset cultum plerumque auctoritate sola iam retineretur. unde comici vetustiores Graeci, ne alienas vulgi aures offenderent, timuere positione illa, quam debilem vocant, producere brevem, excepto quod *γλ*, *βλ* plerumque, *γν*, *γμ*, *δν*, *δμ* semper eam facit longam [cf. Porson. praef. Eur. Hecub. pg. 59; Christ. metr. pg. 14]. propius ad Homerum accesserunt poetae tragici.

Longe etiam aliter habuit res apud Romanos, quorum sermo cum multa per saecula incultus iacuisset, ubi vix

tandem artes agresti percrebuere Latio, facile licuit scaenicis positionum plerasque leges neglegere.

Ceterum apparet maiorem esse vim consonarum duarum vel plurium, si in eodem sint positae vocabulo quam si sequentis efficiant initium, quia per pausam, quae sequitur finem verbi, retardatur vis iuncturae litterarum succedentium. qua re effectumst, ut apud Romanos, ex quo Ennius imitatus est morem dactylicorum Graecorum contemptis Romanorum scaenicis, rarissime produceretur consonarum in principio verbi collocatarum vi praegressa finalis.

Praeterea numquam correptionist locus, quando ad diversas syllabas pertinent consonae, ut semper fit in liquida cum muta. tali enim pacto non magis potest breviari paenultima quam in illis *ac res, latus pes, per te,* similibus.

Igitur dactylici Romani quamquam remiserunt nonnihil de severitate Graecorum, semper certe produxere brevem subiunctis in eadem orationis parte binis consonis, quae non essent muta cum liquida. nam et ut firmitate scripturae positionis vis intenderetur, auctor fuit Ennius geminandi consonas. — itaque non feremus, quod vulgo credunt Martialem semel [V, 11, 1] *zmaragdos* et Terentianum bis [430; 475] *diphthongos* dixisse brevi *a* vel *i,* similes eorum, quibus probatur in Homeri carminibus hoc [Il. XVI, 857] *λιποῦσ᾽ ἀνδρότητα καὶ ἥβην.* et apud illum quidem ab Heinsio repositum *zmaragos,* nisi potius scribetur *zmargdos* vel *zmarctos.* nam haec forma videtur adseri Varronis quodam loco apud Nonium s. l. margaritum [pg. 213], ubi legitur *simargdos.* Terentiano restituendum *diphonos.* neque enim illud obstabit, quod haec vox alibi apud grammaticos Latinos non invenitur, cum eidem Terentiano etiam dicatur *heptameres* [1957], quae ceteris *hephthemimeres.* contra quod Venantius [I, 10, 1; IX, 6, 5 al.] servavit brevem ut:

culmina conspicui radiant veneranda Nazari,

admisit id deceptus a magistris, qui communem voluere fieri brevem addita consona zeta. nam et similia ultima aetate inveniuntur apud Graeculos. sed quod Beda pg. 2355 iam a Iuvenco [3, 499] eandem adhibitam narrat licentiam hoc versu:

et gaza distabat rerum possessio fulgens,

hic, ut alias, lectione falsa lapsus est. recte enim ibi repositum a doctis *et gaza stabat.*

Sane fatendum vetustissimis Latinorum pariter atque recentissimis vix aliud sonuisse videri litteram istam quam sibilam valde acutam. unde et Plautus pro *trapezita* dixit *trapesitam,* quod postea duplicata scriberetur *s,* et Pacuvius *Setum* pro *Zetho,* porro omnes *Saguntum.* at diverso usi modulo loco eius *di* posuere alii, ut *Medientium* scriberent pro *Mezentio.* sic et apud Licinianum invenitur *Ariobardianem* [19, 20 ed. P.], apud Commodianum [pg. 159] *iudaeidiant.* contra idem *zabolicam* pro *diabolicam* [158, 23], sicut Osci *zicolom* pro *dieculo.* atque ita a christianis adhibita illa *zabolus, zaconus,* ubicumque inveniuntur trisyllaba [cf. Paulin. 24, 597; Paulin. Petric. I, 187; II, 71 al.].

Praeterea a s. IV haud pauci, metricorum praestigiis decepti, produxere interdum breves in consonam exeuntes, quas sequeretur *h,* ut consona, quidam vocales correptas succedente *qu.* cuius prima perversitatis exempla leguntur apud Porfyrium 20, 20 *votaque iam theatris;* 21, 1 *pauca quidem cecini fors frivola. his quoque iungam.* nam hiatus in *frivola* admissus declarat ab eo *h* pro consona adhibitam. itaque inversa quantitate inveniuntur apud christianos ut puta haec: *adhuc* [Venant. V, 17, pg. 201], *inhabilis* [I, 21, 86], *inhabitare* [Iuvenc. I, 336; Venant. VIII, 6, 268], *Agathe* [Ven. VIII, 6, 267], *catholicus* [ita multi], *methodicus* [Luxor. 313, 6], *sophisma* [Lux. 372, 3], *Stephanus* [Dracont. satisf. 171; Corippus ioh. VII, 435 ed. Petsch.], *alternaque* [Cor. ioh. V, 56 P.], *Aquila* [Arat. a. ap. II, 511], *claraque* [Victor aleth. III, 658], *fractaque* [Paul. Petric. VI, 93], *iussaque* [auct. lib. in genes. 549], *loquax* [Mart. IX, 997, 6], *liteque* [Eugen. 18, 3], *menteque* [verb. Achill. in parth. 71], *neque* [Ven. I, 19, 6; ed. L.; verb. Ach. 12], *nequire* [auct. lib. in genes. 615], *piceaque* [Eugen. 30, 17], *plenaque* [Paulin. Petric. VI, 442], *quoque* [Dracont. 8, 637; 10, 439], *sopitaque* [auct. lib. in genes. 586]. sane longe maxima pars exemplorum appositorum accidit in *que* particula. itaque nescio an haec potius evenerint propter perversam grammaticorum doctrinam, qui ante encliticas *que, ve, ne* acuendam existimarunt syllabam. dicetur de his l. VI, ubi etiam Prudentii et

Ausonii similia adlata exempla. — atque talia plerumque per errorem sublata ab editoribus carminum christianorum, cum alia non ferenda, veluti hiatus in Prudentio, aequissimo tolerarent animo. — ab illa autem licentia longe diversum, quod *liquidum* communi prima ad Phaedri usque usurpatumst aetatem, velut tale apud Lucretium extat metrum [IV, 1251] '*crassaque conveniant liquidis et liquida crassis*' et apud Laevium: *lux liquida haedo redditur.*

At si vocalem brevem cum muta tenui sive aspirata sequitur liquida — quibus accedunt iuncturis *br, dr, gr* —, utique communis fit syllaba, idem ut verbum uno versu possit pariter produci et corripi. quare quod homines docti statuerunt, *colubrum* vel *colubram* plerumque correpta, at *librum, rubrum, pigrum, migro, vafrum, veprem* producta potius efferri vocali paenultima, ut omittam eos aliena quaedam fugisse exempla, parvist illud momenti vel potius nullius. neque enim poetae veteres grammaticorum imperitiam ut levarent sua scripsere, sed libero ingressu qui ultro evenirent assumpsere numeros. sane pleraque in his metrorum pedumque temperantur necessitate. veluti quid mirum quod in numeris dactylicis ea, quae sunt *arbitrium, genetrix, meretrix,* correpta potius quam porrecta inveniuntur altera? legitur tamen apud Furium [7]:

Osce senex Catinaeque puer, Cumana meretrix;

atque ita Horatius [Ep. I, 18, 3]:

ut matrona meretrici dispar erit atque.

contra *arbitrum* vel *arbitrium* nusquam producta *i* reperire me memini. nam ne apud Paulinum quidem recte habet illud [21, 490]:

si placet, arbitris sibimet componite iustis;

ubi scribendum *arbitriis*; atque ita in Orestis tragoedia restituendum [940]:

mos erat, arbitrii quo dispar calculus iret,

ubi libri *arbitri quos* vel *arbitrii quod.* attamen ne ea quidem, quae ab illo *arbitror* descendunt, longa efferuntur altera, nisi quod adnotatumst apud Dracontium de deo II, 725 prostare *arbitratur i* producta. sed cum in verbo *vitreus* extendatur *i,* cur non in *arbitro* et similibus eadem usurpari

possit quantitate, haud facile intellegas; nec magis, cur *genetrix* sive *meretrix* refugiat vim positionis, quam saepe admisit *e* in *pharetra*.

Ceterum haud absurde Schneiderus gr. lat. I, 681 dixit, quod in Graecis nonnullis, ut *Codrus, Daphnis, Cecrops*, vel numquam vel rarissime inveniatur correpta vocalis ante consonas duas, id posse videri epicorum Graecorum antiquissimorum imitatione factum, apud quos muta cum liquida tantum non semper producatur littera praecedens.

Contra *latrandi* vocabulum, de quo primus recte iudicavit Bentleius [comm. in Phaedr. V, 10, 7], non positione, sed natura longam habere *a* cum declaretur versu Plauti [mil. glor. 681] '*set nolo mi oblatratricem in aedis intromittere*' — quippe debilis positionis nulla vis est apud scaenicos —, quod Avienus cum plerisque poetarum christianorum corripit eius vocabuli primam, errore factum esse putabimus, licet alioquin illi sat fideliter quantitates serventur in Latinis. nam et *involucrum, lavacrum, salubris* [Prudent. c. Symm. I praef. 54; Venant. miscell. V, 5, p. 189; anthol. 184, 8 R.] per aetatem extremam imperii Romani correpta inveniuntur syllaba paenultima. quod plerumque adducor ut credam eo errore evenisse, quo nunc imperitissimi puerorum statuunt posse non modo produci breves, sed etiam corripi longas, si muta sequatur cum liquida.

At syncope orta *supra* et *disciplina* sicut communi usurpantur prima vel secunda, Sammonico *nucleum* brevi *u* adhibitum [404] firmatur libro Turicensi. est autem versus hic:

Persicus huic potum e nucleo dabit interiore.

contra Ennium scito invento et probabili emendatione usus Vahlenus persuasit mihi in dactylico metro dixisse potius '*reddere opis pretium*' quam '*oprae*'. neque satis certumst *oprimentum* an *opermentum* posuerit Prudentius versu illo [psych. 462]:

velat oprimento. velox nam dextra rapinas.

at in *maniplo* semper a dactylicis intenditur paenultima, cum a scaenicis corripiatur [Plaut. mostell. 312]. denique *publicus* ab utrisque semper longa effertur *u*; item *Publius*, adeoque iam in epitaphio quodam Scipionum [5, 7]:

terra, Publi, prognatum Publio, Corneli.

tamen apud Eugenium Toletanum, qui floruit saec. p. Chr. medio VII, talem habes hendecasyllabum [7, 18]:

Optatus Publius Cecilianus.

porro *caliclos* pro *caliculis* Paulinus dixit producta media [19, 416]. semper autem porrigitur a dactylicis correpta vocalis, si sequatur *gn*, contra addita *gl* vel *bl* eadem apud Christianos interdum reperitur integra, veluti Prudentius *reglutinare* brevi dixit prima [peri st. 10, 874], atque ita Drepanius [LXI, 1089] *tablas*. at non credibilest auctorem pervigilii Veneris posuisse *perviglanda* pro ditrochaeo [46], sed unice amplectemur quod habes libro Salmasiano *perviclanda*, sicuti *cycnum* et *Procnen* dixere poetae, ubicumque voluerunt brevem esse priorem.

Iam finem verbi excipientibus binis consonis paullulum diversae fiunt rationes. de quibus dixere cum alii passim tum Zinzerlingius in Promulsidis criticorum iuvenilium extrema diatriba [Lugd. 1610] et Lennepius in commentario Santenii ad Terentianum [p. 411]. sed horum neuter aut ampla satis diligentia usus poetarum anquisivit placita — nam ne eorum quidem, ad Augusti qui mortem floruere, nedum posteriorum plene tractaverunt usum — aut ea fuit ingenii sollertia, rem difficilem multis modis et impeditam ad liquidum ut perduceret. quare ego non sum gravatus denuo omnibus retractatis auctoribus inde a Q. Ennio usque ad initia medii aevi et barbariae, hoc est per annos ferme DCCC, intendere hanc quaestionem, quam iam ad finem me spero esse adducturum.

Itaque muta tenui vel adspirata sequente cum liquida integra manet vocalis brevis, nec magis mutatur eadem succedentibus *bl, gl, br, gr, dr.* contra *gn* subdita longam efficit priorem. quare etsi *gnatum* saepe dixere auctores Latini — quibus non perinde placuit *gnarus* et *gnavus* —, tamen intellegitur semper illos usos esse breviore forma, ubi vellent corripi vocalem praegressam, excepto quidem Horatio [cf. comm. in sat. I, 1, 83], sicut eadem sub condicione *Cnosus* dicitur et *Cnidus*. quare vix adsentior Bedae [p. 2356], quippe et alioqui corruptis auctorum decepto codicibus, scripsisse Prosperum '*nec tamen hos toto depellit foedere gnaros*'. nam quod Terentianus, ubi affert nomi-

natim *Gnaeum* et *gnatum* [894; 903], legem positionis neglexit. exemplorum libertate illud excusabitur.

Sed spretae vocalium positionis exempla ut iam persequar, prius monebo ad contemnendam huius vim longe validissimam esse in versu heroico quintam sedem ob naturam proprie dactylicam nec aliter in relicuis metris eas, quibus brevis utique comparanda sit thesis. ceterum cum longiore vocis intervallo disiungantur interse pedes quam partes pedum, apparet molliorem utique evenire neglectam positionem tertio dactyli loco quam secundo, licet aliter videatur Santenio ac Lennepio [p. 419]. — porro exempla ut proferam, in Latinis verbis contempto consonantium duriore concursu dixit Lucilius [lib. VII, 20; IX, 15; X, 8; XXVIII, 39] in fine hexametri '*segetem immutasse statumque*'; '*accurrere scribas*'; '*deducere scalis*'; '*pro statura Acciu' status*'. in quibus tamen primo loco recte videtur a Dousa restitutum illud '*satumque*'. itaque Lucretius sive primo versu sive ultimo [I, 372; V, 47; 79; VI, 1186; IV, 473; 770; 846; VI, 195; 943] '*cedere squamigeris*'; '*quidve superbia spurcitia*'; '*libera sponte*'; '*tenuia sputa*'; '*unde sciat*'; '*inde statu*'; '*mollia strata*'; '*pendentibu' structas*'; '*manantibu' stillent*'. porro noviens Horatius in saturis [I, 2, 30; 71; 3, 44; 5, 35; 10, 72; II, 2, 36; 3, 43; 296; 5, 28] et quinquiens Propertius [IV, 10, 53; 67; V, 1, 41; 4, 48; 5, 17] admisere similia, et ipsi plerumque primo pede seu paenultimo, praeterea semel Maro notissimo illo [aen. XI, 308] '*spem siquam adscitis Aetolum habuistis in armis, ponite. spes sibi quisque*', in quibus neglecta positio et geminato vocabulo *spei* excusatur et ut recte docet Victorinus [2517] eo, quod sequentia alium incohant sensum. nam miris illud ab aliis grammaticis erroribus exagitatum exemplum. denique circa idem tempus auctori Culicis etiam prima sede numeri migrata elegantia hoc versu [195] '*horrida squamosi volventia membra draconis*'. verum post hanc aetatem Latinis verbis coiugatis ea licentia adhiberi plane desitast, quam legem perraris exemplis librarii, innumeris violarunt critici. veluti pessime habet quod dedit in carmine de Maevio Meierus [821, 5] '*nec licuit non nosse scelus*' pro vero '*non nosse nefas*', nec melius quod Iacobus in Manilii libro primo

[277] '*unoque in vertice scandunt in diversa*'. ubi scribendumst *unoque a vertice tendunt.* apud Petronium [Mey. 172] in opusculo de saga muliere quamquam plerique probavere '*florida tellus, cum volo, spissatis arescit languida sucis*', tamen pridem intellectumst unice sententiae convenire *siccatis.* contra in Arateis Germanici [405] si recte scripsit Grotius *spissentur* pro *siccentur,* in eis, quae sunt *tunc mihi spissentur,* aut cogendum illud *mihi* aut verba loco mutanda sic *spissentur mihi tunc.* apud Calpurnium non recte Schenkelius [6, 59] *iudice Mnasyllo.* porro in Sulpiciae satura cum miretur Carolus Fridericus Hermannus noluisse Wernsdorfium proclivi, quam vocat, emendatione usum ponere [55] '*ast ubi spes secura redit*' — traditum '*ast ubi apes*' —, ego multo magis miror quod creticum pro dactylo admisit, scribendumquest aperta veritate '*ast ubi res secura redit*', sicut dixit Vergilius [aen. I, 563] '*res dura et regni novitas me talia cogunt*'. huius apud aequalem Statium quod quidam probavere [silv. IV, 3, 81] '*sed grates ago strictus atque tantist*' pro unice apto '*servitusque tantist*', ne fingi quidem cogitarique potest magis barbarum. at eiusdem Achilleide cum feratur [I, 348] '*sparsosque studet componere crines*' (at illud *timet* legitur in Puteaneo), nos potius libro Gronovii non contemnendo, ut ait ille, obsecuti ponemus '*sparsosque tumet*', quod ut paullo inflatius egregie convenit Statio [cf. Heins. ad Claud. bell. Gild. 330]. denique in Octavia etsi numquam credidi recte habere quod fertur nullo teste [152] '*iuvenis infandi ingeni capaxque scelerum, dira cui genetrix facem accendit*', sed scribendum esse '*scelerum capaxque*', tamen, ne aequo audacior esset ea mutatio, animus angebatur. postea cognitumst in libro Turonensi esse '*scelerum capax*' neque in aliis desse corruptelae signum. qua re aucta coniecturae nostrae fides. nam ab Octaviae scriptore non enclitica modo [361], etiam illud *atque* traicitur [165; 474]. ceterum quod iambici poetae ubi non referret, longane an brevis esset thesis, copularunt cum correpta finali verba, quae haberent *sp, sc,* similia, nequis regulam ea re dicat everti, parum veremur. — porro ne christiani quidem facile auctores in Latinis vocibus positionum normam migrarunt. ita tamen semel Prudentius [peri st. 10,

688] '*tristem suae magistra spectet impia*' et Sedulius [c. p. V, 403] '*Christus adest panis, sanctus quoque spiritus ignis*', ubi alii *sanctusque*. et Priscianus initio metri [perieg. 594] '*aurea spectetur*'. nam et similia Corippus [ioh. III, 30; IV, 13], item magis cultus poeta Sidonius [burg. Leontii 122; ad Consent. 338]. denique Lindinus in hendecasyllabo [anthol. 28, 7 R.]:

quinquaginta velim diserta scribas.

At hercule non eadem abstinentia in Graecis vocabulis usi poetae, quamvis etiam in his licentiam plerumque modulo sonorum et certa temperarent necessitate.

Ac primum quidem aliquando positionem neglexerunt in verbis a *zeta* incipientibus, quippe quae pronuntiatione vulgari apud Latinos pariter atque Graecos plerumque aequaret sibilam. ceterum similiter *x* prioris partis substantiam cum exuisset [cf. Terentian. 1154 sqq.], unde et apud Commodianum [pg. 158, 21] legitur *xancta* pro *sancta*, eandem traxit libertatem, nisi paucitate verborum in sermonem Latinum receptorum ad nihilum res redigeretur. itaque a metricis ficti videntur versus [Terentian. 1160 sq.]:

pontibus instratis coniunxit litora Xerxes.
sanguine turbatus miscebat litora Xanthus.

habes tamen Sidonii hendecasyllabo [ad Magn. Felic. 38]:

inflatum numerositate Xerxen.

ita *ps* simillima cum sit natura praedita, haud raro vim duplicis consonae exuit in *psalmo, psallendo* [Beda 2353].

Minus placet neglecta positio, prior verbi secundi consona si sit sibila [cf. Terent. 1056—1061; 1164]. quare licentia corripiendi substitit ferme in verbis paucissimis et quae aliter inepta essent metro, parum ut probaretur Propertii exemplum tale [IV, 18, 21] '*tuque o Minoa venundata Scylla figura*' vel poetae item Augusto aequalis [Mey. 844, 1] '*uni Crassitio se credere Zmyrna probavit*' aut Avieni illud [descr. orb. terr. 1346] '*in medioque Sabae sunt cespite; gens quoque Scodri*' sive Ausonii mavis [prof. burd. 8, 2] '*anne Sperchei pariterque nati*' [cf. ib. 22, 5; Maximian. 5, 126]. — iam singula ut expediam, ne in Graecis quidem verbis violare positionem sustinuerunt Horatius, Persius, Grattius,

Valerius, Homerus Latinus, Boethius, Arator, Corippus in laudibus Iustini, qui *scholam* ut ad versum aptaret longa priore efferre maluit [IV, 188; cf. III, 158]. a quibus paullum diversi, quamquam et ipsi sunt cautissimi, in finem versus dactylici admisere Catullus [64, 357] *Scamandrum* — quem *Xanthum* potius ut dicerent Vergilium, Lucanum, Priscianum, alios acrior metrorum quam deorum adegit reverentia —, *smaragdum* (vel potius *zmaragdum*) Lucretius [II, 805; IV, 1118] et secuti eum Sammonicus [953], Tibullus [I, 1, 51; II, 4, 27], Propertius [III, 8, 43], Lucanus [X, 121], Statius [theb. II, 276], Claudianus [8, 586; 10, 88; 22, 89; 28, 563; 70, 7; 73, 8], auctor Phoenicis [135]. itaque habet Vergilius [aen. III, 270] '*nemorosa Zacynthos*', Ovidius [heroid. 1, 87] '*alta Zacynthos*' idemque [am. II, 6, 21; met. II, 24] '*hebetare smaragdos*'; '*lucente smaragdis*', denique in halieuticis [120] '*lamyrosque smarisque*'. Vergilio obsecutus Silius, cuius sunt haec [I, 275; 290; II, 603] '*colle Zacynthos*'; '*regna Zacynthos*'; '*portata Zacyntho*'. item si membranae optimae fides, et quidem de Hispanica urbe ubi agitur, Iuvenalis [15, 114] '*maior clade Zacynthos*'. porro in sola *z* ausi sunt neglegere positionem, versibus quidem pariter omnes rarissimis, Manilius, Columella, Seneca, Iuvenalis, Nemesianus. denique a Terentiano in exemplis memorandis etiam aliquando solita normae severitas mittitur.

Iam ut intendatur sequentium consonarum vi vocalis praecedens, propter causam manifestam in arsi potius quam in thesi evenire verumst. praeterea intellegitur illas eo minus esse efficaces ad producendam brevem, quo facilius poterit additis isdem anteuntis syllabae servari quantitas. quamquam quod asserit Terentianus [1192 sq.; cf. Bed. 2353] collocatis in capite verbi muta cum liquida omnino integram manere vocalem priorem, egregie fallitur. quippe non in arsi modo, etiam in thesi potest produci. ita enim dixit Ausonius metro heroico [de clar. urb. X, 6] '*versa Graia manus centum se effudit in urbes*', et Prudentius alcaico [peri steph. 14, 9] '*mortis deinde gloria liberae*', tum Sidonius phalaecio [ad Consent. 277] '*sive prandia quis refert Thyestae*'. et ita Anthologiae quidam auctor [117, 11 R.]: *sanguineis ornans aestiva prandia moris.*

Sane classicorum plerique, potiores secuti rationes, qualicumque positione producere breves timuerunt. quorum in numero fuerunt Lucretius, Horatius, Maro, Propertius, Ovidius, Manilius, Persius, Valerius, Homerus Latinus, Columella, Calpurnius, laudator Pisonis, Nemesianus, Rutilius, Claudianus, Avianus, auctores Nucis et pervigilii Veneris. e quibus Manilius, pridem correcta ut silentio transeam, non scripsit [V, 135]:

hinc fidae mentes tremebundaque corda creantur,
suspensa strepitus,

scripsit '*at strepitus*', sicut dixit Tacitus [ann. XIV, 57] *erectas ad nomen dictatorium Gallias.* at ex relicuis plerique cum sustinuerint producere positionis vi brevem, non tamen, ut visumst Drakenborchio [ad Sil. IX, 575], infinitis exemplis, sed rarissimis id admiserunt. itaque primum antiquissimus auctor artis Ennius habet [93] '*stabilita scamna solumque*' atque item [269] '*populea frus*'. deinde Catullus admisit idem cum in metris nuper repertis haud ita raro [4, 9; 18; 17, 24; 22, 12; 29, 4; 44, 18; 63, 53], tum semel in hexametris geminato verbo eodem [64, 186] '*nulla fuga ratio, nulla spes. omnia muta*', itaque auctor Lydiae [53] '*ausus ego primus*', porro Tibullus [I, 5, 28; I, 6, 34] '*pro segete spicas*'; '*servare, frustra*', tum Grattius [142; 259] '*generosa stirpibus arbor*'; '*vulpina species*'. quid quod ne epici quidem auctores saeculi p. Chr. n. primi productas positione finales a maiestate carminis duxerunt alienas? ita enim dixit Lucanus [V, 118] '*quippe stimulis ictuque*' et Silius [IX, 575; XVII, 547] '*immane stridens*'; '*diversa spatio*', nec non Statius in Thebaide [VI, 551] '*agile studium*', ut in Silvis [I, 6, 10] '*iam bellaria adorea pluebant*'. nam et ita in tragoediis Senecae reperitur fine trimetri [Herc. fur. 950; Hippol. 1026] '*frigida spatio refert*'; '*undique scopuli adstrepunt*'. ubi tamen recte, nisi fallor, Withofius: *fulgidum spatio refert* et Schmidtius: *adstrepunt scopuli undique.* Martialis sunt haec [lib. spect. 28, 10; epigr. I, 115, 1; II, 66, 8; V, 69, 3] '*Caesarea praestitit*': '*invide* (alii imperativum perhibent) *Procille*'; '*digna speculo*'; '*Romana stringis in ora*', quae satirica licentia excusantur, ut illud Iuvenalis [8, 107] '*occulta spolia*'. ceterum his si addideris Sam-

monici [31] tale '*inducta prosunt*'. habes exempla brevium iure positionis productarum quotquot inveniuntur apud classicos, ut puto, omnia. at e christianis qui saepius utuntur licentia eadem, decepti ut plurimum doctrina grammaticorum de communibus syllabis prolata. maxime autem placuit Prudentio et Venantio modulus iste extentae brevis, neque inusitatus fuit idem Sidonio, Paulino, Iuvenco. ceteris longe rarius adhibetur.

Iam ad productionem arsis vi effectam progressuris etiam hic notandum finalem brevem et in consonam exeuntem, si proxime sequatur spiritus, non licentia quadam, sed lege positionis produci credi a christianis. quare et monosyllaba extendere sustinuerunt addita *h,* quae quidem iure arsis non magis ipsi quam classici umquam producerent. itaque sic dixit Sedulius [c. p. III, 296]:

vir humilis maesto deiectus lumina vultu

neque aliter Corippus [laud. Iust. I, 268]:

dicite, quis hominum

et Arator [a. a. II, 973]:

bis habitum, quem culpa creat.

ita in hymno Venantii scribendum adiecta aspiratione [II, 2, 19] '*hic acetum, fel, harundo, sputa, clavi, lancea*', ubi pars librorum habet *arundo.* nam *fel,* sicut *mel* [Ovid. ep. ex P. IV, 2, 9; Appul. apolog. c. 9], non potest non habere *e* brevem. minus probatur in thesi qualiscumque verbi finalem positione ista produci, ut tamen dixerit Venantius [I, 21, 7] '*te famulans intrat, sed hunc tua regna refrenant*' [cf. de vita Martini I, 430 al.] et qui Didus epistulam hexametris conscripsit [Mey. 1610, 98] '*corda ligavit amor. quis tantum in hospite vellet*' atque item [119] '*numquam damna volo. vel hoc mihi, perfide, redde*'; [132] *sed quod hospes eras.* ceterum modulum illum communis syllabae frequenter adhibuere Sedulius et magis Fortunatus, raro admodum cum Paulino Prudentius, Arator, Ausonius, Sidonius, numquam omnino Terentianus, Boethius, Priscianus, Avianus, Maximianus.

Porro singularis quaedam invenitur ratio producendi encliticam *que,* quod genus licentiae, Graecorum aemulatione

ortum, severissima continetur norma. secutis quippe speciem Homerico carmine non quidem semper, sed saepius aliis usurpatam observatur Romanis primum, ut aut quinta aut potius secunda arsi fiat productio — unde Homerus Latinus versum istum exemplaris sui [Il. II, 495] *Ἀρκεσίλαός τε Προθοήνωρ τε Κλονίος τε* sic maluit reddere [168] '*Arcesilaus atrox Prothoenorque Cloniusque*' —, tum, ut subsequatur statim repetita enclitica et ut e verbis, quibus cingitur illa, quae producitur, prius ne minus quattuor expleat moris, posterius anapaestum impleat vel spondeum, sicut habes in his '*sideraque ventique*', '*Noemonaque Prytanimque*'. iam ludibrii illius, quod numquam extra continuatos adhibitumst hexametros, primus auctor fuit Accius hoc versu [Fest. p. 146]:

calones famulique metallique caculaeque.

id Vergilius cupide arreptum ita adornavit, ut numquam nisi aut binis consonis aut liquida vel sibila subsequente encliticam intendisse eum observarit Wagnerus. qua diligentia illum alioquin aemulatus Ovidius non aequat. sed post hos apud classicos auctores non inveni exempla producti illius *que* praeter singulos versus Grattii [130], Germanici [262], Silii [VII, 618], Homeri Latini [168], quos quidem adscribam:

taxique pinusque Altinatesque genestae.
Electra Alcyoneque Celaenoque Meropeque.
Sullaeque Crassique simul iunctusque Metello.
Arcesilaus atrox Prothoenorque Cloniusque.

neque magis christianis placuit iste modulus, quamquam habes apud Corippum [laud. Iustin. III, 177]:

laevaque dextraque acies adstare videres.

ubi etiam notanda elisio in altero *que* commissa. at Avienus ubi imitatur Germanici locum supra adscriptum [cf. et Cic. arat. 35 sq.], sic maluit scribere [580]:

Electra Alcyoneque Celaeno Taygeteque
et Sterope Meropeque simul famosaque Maia
prole deo.

Sed missis ludibriis grammaticorum aut grammaticis similium poetarum cetera ut persequar, productionem finalium arsis sola vi effectam statuit Lachmannus non admitti a plerisque nisi aut in caesura legitima aut sequente voca-

bulo Graeco. quae quamquam non omnino habent recte, tamen longe sunt potiora commentis ceteris, cum plerique nimium potentiae, quidam parum tribuerint ictui rythmico. horum quidem secutus numerum quod Ritschelius in prolegomenis Trinummi [p. 185] negavit ullam habuisse vim ad producendum arsin in veteri Latinorum poesi universa, equidem non possum satis mirari. quid enim? non putabimus Ennium ea licentia usum, quam apud Homerum ducem propriae viae innumeris erat videre exemplis? et abhorret a vero in tanta egestate sermoniis patrii et rudi etiamtum arte huic admissum, quod nec Graeci ante illum in tanta facilitate explendi metri nec post Romani in tanta severitate temperandae artis sunt aspernati?

Verum his, quae ante annos multos sunt conscripta, nunc addenda quaedam video.

Itaque apud Graecos cum in heroico metro inde ab antiquissimo tempore usurpata esset frequenter productio finalium in consonam exeuntium sequente vocali, aliquanto rarius etiam vocali finitarum succedente consona, contra eadem licentia prohiberetur ab iambico metro ac trochaico, in libro de Saturnio versu [pg. 67 sqq.] demonstrare conati sumus a Romanis in hoc ex iambicis trochaicisque numeris mixto diuque solo metro Latino porrectas finales breves quaslibet verborum plusquam monosyllaborum in prima, secunda, quinta arsi, ut:

> dein*de* pollens sagittis inclu*tus* arquitenens.
> Run*cus* at*que* Purpureus, filii Terras.

quod si recte statuimus, apparet eandem in hexametro dactylico libertatem non extrinsecus adscitam, sed repertam domi.

Neque tamen dubitari potest, quin Homeri potissimum exemplo inductus sit Ennius ad illam usurpandam, qui quantum abhorruerit a versibus, quos olim Fauni vatesque canebant, nemini ignotum.

Iam gnarum plerisque saepe apud Homerum dubium videri, producta in exitu verbi finalis utrum a licentia poetica, de qua agitur, sit repetenda an potius explicanda ea re, quod sequens verbum olim habuerit sive digamma aeolicum ante vocalem (quo recepto etiam hiatus multa

exempla, quae olim ferebantur, iam sublata) sive duas in principio consonas pro una. de quo dixit Hermannus [elem. doct. metr. pg. 48], Hartelius [stud. Homer.], Christius [metricae Graecae Latinaeque 195 sq.], dixere alii multi. nihil tamen hoc ad disputationem nostram. nec enim antiquissima Iliadis et Odysseae forma respicienda, sed ea, quae, a Pisistrati aetate litteris propagata, insequentium temporum epicis Graecis, denique grammaticis Alexandrinis causam praebuit eas producendae finalis leges sequi, quas in libris eorum legimus. ab Alexandrinorum autem potissimum disciplina pependisse Ennium in Homeri arte interpretanda quis dubitat?

Sed ut recte pleneque iudicetur arsis de potestate in versu Latino, primum omnium hiatus rationes proximo libro expeditas comparabimus. itaque cum duplex licentia sive hiantis finalis seu productae oriatur ab arsi, apparet illam duriorem audacioremque esse posteriore. nam admissa dihaeresi vocalis omnino eximenda metro servatur plerumque plena. at si extendetur correpta, una tantum mora adicitur syllabae, non quidem sufficienti ad ictum metricum, sed integram moram explenti. unde et minus frequenter usi hiatus modulo poetae quam productionis, et ubicumque ille admittitur tuto, haec poterit adhiberi, non tamen ut inverti liceat rationem. porro sicut hiare brevem paene caret exemplo apud Romanos, haud sane potuit in vocalem exiens finalis perinde, quam quae consonam haberet additam, extendi [cf. Serv. ad aen. III, 464], primum quod plus accedit firmitatis syllabae producendae eodem verbo continuata quam vocum intervallo dirempta consona, deinde quod paullo tardius percipitur animo lectoris admissa licentia.

Hinc apud classicos producta in arsi vocalis brevis vix invenitur. quae toleranda videtur in exemplo Ennii tali [149]:

et densis *aquila* pinnis obnixa volabat.

nam potuit ille Homeri imitatione ductus admittere eam. Ennium autem secutus videbitur Vergilius, si scripsit [aen. III, 464]:

dona dehinc auro *gravia* sectoque elephanto;

ubi Lachmannus per coniecturam *gravia a sectoque elephanto*, Schaperus *gravia ac secto elephanto* admisso per aemulationem Homeri in quinta arsi hiatu, ut qui dixerit [Od. XVIII, 196; XIX, 564] *πριστοῦ ἐλέφαντος*. contra non dubitatur, quin alibi [aen. XII, 648] legendum sit *sancta ad vos anima atque istius nescia culpae*, ubi libri boni *inscia*. nam vel hiatum vel trochaeum hic quis toleret? at nec Horatio *io bacche* [s. I, 3, 7] nec Propertio *ossa* [V, 5, 64] nec Rutilio *reportanda* [I, 630] longa efferuntur ultima, qualia librariorum aut criticorum tribuuntur eis socordia. neque hercule christiani faciles ad istam licentiam, qua omnino abstinuere Boethius, Luxorius, Priscianus, Sidonius, Maximianus, Avianus, Arator, Priscianus, denique Sedulius, cui male adscripsere quidam [c. p. I, 268] '*libertatis ope radians ubi regia fulvis*'. contra usi eadem deteriorum haud pauci, ut Venantius et Corippus saec. VI, sed modice. etiam minus aliquanto quod Prudentio placuit, non erit mirum. itaque notanda apud eum ut eximia exempla talia [c. Symm. I, 92; 395]:

iura resignasse sursum revolantibus umbris;
incassum arguere iam Taurica regna solemus.

at ab Ausonio omnino illam abiudicandam existimo figuram. certe unum producta in caesura vocali hexametrum in editione priore notaveram [epist. 5, 37]:

rescisso disce componere nomine versum;

ubi Heinsius *disces* vel *disce en*. — non pertinet ad rem, quod in sapphico metro [prof. Burdig. 8, 7] legitur '*sed quia nostro docuere in aevo*'. nam illud *quia* apud christianos aliquando iambum explere infra docebitur. cetera duo documenta eiusdem exceptionis, quae Schenkelii adferuntur Indice, coniecturis sunt reperta nec, ut puto, toleranda. nam Idyll. 3, 7 recte vulgo *nunc labor et curae mea sunt,* non *cura;* Parental. praef. 4 sqq. sic interpungendi:

sufficit inferiis, exequialis honos,
nenia, funereis satis officiosa querellis,
annua ne tacitus munera praetereas,

ubi male Brandesius *tacita*. neque a Claudio Victore in arsi positum existimem [aleth. I, 181] *dira* neutro genere, ubi libri *dirum*. fortasse scribendum: *haec quoque lux illast, mirum! qua Tartara Christus solvit*. et alibi apud eundem [III, 670] recte Gagneius *arcanum pandente deo causamque docente adventus*, pro *arcana*.

Iam universo producendae finalis modo omnino convenit cum hiantis.

Scilicet nec in thesi constantes umquam extenduntur vocales breves (sed christianorum ultimos loco auctores non magis curo quam inscriptiones) nec in ictu positae monosyllabae. itaque recte docti apud Martianum [II, 116, 4]:

cum nitet, aurato cum fulgit Phosphorus astro;

ubi male quidam *aurato fit et* (libri *aurato et cum fit* vel *sit*). in Paulini carmine de orantibus [v. 19] scribendum:

caecus, clodus, inops, furiosus, saucius, aeger;

ubi libri: *furiosus, anxius;* et apud Claudium Victorem [aleth. III, 762]:

horrificoque malo stupefactus iam ingreditur Loth.

Nemo autem adsentietur Servio adfirmanti [comm. in aen. III, 91] monosyllaba ad artem non pertinere et poni indifferenter.

Tenendum tamen vocalium vel brevium notiones in versu semper usurpari longas, velut dixit Terentianus [331]:

ε vel ο Graecum putetur ne Latinorum e vel o;

et Ausonius [idyll. 12, de litteris]:

ἦτα quod Aeolidum quodque ε valet, hoc Latiare e.

Praeterea ab Ennio usque ad Vergilium qui licentius admisere hiatum, cum isdem condicionibus quattuor extendi voluissent brevem, h. e. aut in caesura legitima, et maxime quidem in penthemimeri versus heroici, aut iniecto nomine proprio sive Graeco, quod adeo sufficit sequens, aut duabus antecedentibus brevibus vel addito sensus interstitio, relicui classicorum illud non probarunt nisi aut in caesura aut addito nomine proprio vel Graeco, ut tamen satirici priore tantum uterentur genere libertatis.

Nam nec Manilius scripsit [IV, 920] '*ipse vocat animos nostros ad sidera mundus*', scripsit '*nostros animos*' nec Sammonicus [15] '*tum poteris alacrem capitis reparare vigorem*' sed potius '*tunc alacrem poteris*'. apud eundem alibi cum feratur [511]:

est qui praevalidum frixo sale miscet acetum
atque olei suco refricat albentia membra,

reponendum esse '*refricat qui*' docetur eo, quod libro Turicensi fertur illud *refricatque.* at poterit videri eximendus normae severitati Valerius Flaccus, apud quem aliena feruntur haec [V, 164; 591; VI, 152]:

fit fragor, aetherias ceu Iuppiter arduus arces
impulerit, imas manus aut Neptunia terras.
croceos sic illius omnis odores
iactat eques. unctis sic est coma culta maniplis.
omnibus in superos saevus honor, omnibus artes
monstrificae.

haec igitur quam recte habeant iudicandum relinquo aliis, ut moneam tamen primo exemplo reponi posse *manus aut imas,* secundi melius convenire sententiae *cunctis* quam *unctis* (pro quo Vaticanus habet liber *iunctis*). in tertio dubito plerumque an sit reponendum *ferus est honor.* nam productam a Valerio ideo finalem in *saevus,* quod *h* vice consonae fungi posse existimaret, nemo sanus putabit.

Huic autem, de qua agitur, licentiae, ut plerisque, aptissimum longe metrum heroicum. nam e ceteris numeris qui certa carent caesura ne potuere quidem eam recipere. — at e christianis poetis etsi haud pauci similem classicorum et ipsi tenuere modestiam, tamen alii, quibus fraudi fuere grammaticorum ludibria, hexametri arsibus secunda tertiaque et quarta vel aliquando quinta, praeterea priore parte pentametri pro communibus adhibuere breves, a ceteris et ipsi arcentes plurimum versibus.

His expeditis nihil iam erat impedimenti, quin exempla diversa metrorum persequeremur, nisi prius mihi essent impugnanda, quae de communi ad Augusti usque aetatem finalium quarundarum quantitate sunt prolata a Ritschelio. qui cum in prolegomenis Trinummi dixisset [pg. 174 sqq.] posse adeo Vergilii usu confirmari nomina in *or* exeuntia,

quae haberent genetivo longam *o*, etiam nominativo productam habere finalem, intendit id Fleckeisenus in annalibus philologicis et paedagogicis [LXI, 17 sqq.] ita, ut assereret et a Vergilio et ab aequalibus eius haud incertis exemplis terminationes verborum, quae sunt *ar, er, or, at, et, it, tur, mur, mus*, cum nominum quibusdam servata quantitate pristina produci. eandemque opinionem acerrime tutatus est Corssenus libro de pronuntiatione Latina [II, 436 sqq.]. horum auctoritate freti qualia imitatorum servum genus quibus scriptoribus tribuerit, afferre non vacat. sed ne illis quidem, quorum nomina apposui, satis recte rem difficillimam tractatam esse statuo. debuit enim, nisi fallor, primum omnium quaeri, numquod istius usus vestigium apud Lucilium Lucretiumque et Catullum inveniretur. quod si secus se haberet, qui potuit fieri, ut Vergilius et Augusto aequalis auctor hanc Aboriginum, mox Plauti et Ennii insolentiam renovaret post CL non minus annos? nonne omnes huius temporis poetae odium contemptumque veterum dactylicorum, nedum scaenicorum, prae se ferunt? nonne ridiculus extitisset Vergilius aequalium non inimicis modo, sed fautoribus? ego vero sicut concedo pleraque Ritschelii et Fleckeiseni Corssenique placita Plautinis recte adhiberi libris, ita numquam patiar eadem promiscue dactylicorum admitti carminibus.

Quippe certum firmumque constat animo non ullam finalem ex illis, quae vulgato optimorum temporum usu breviantur, pristinam apud hos retinuisse quantitatem nisi *is* coniunctivi perfecti sive futuri secundi. nam haec sane in arsi omni tempore invenitur ut brevis, ita longa. quare quod in thesi rarissime extenditur, ut apud Catullum [66. 91] *siris* et apud auctorem heptastichon de VII sapientibus [pg. 248 Sch.] *faxis*, ubi tamen Schenkelius cum parte librorum *fac sis*, id vero non vi arsis provenit, sed quod plerumque hae formae dactylicis metris minus conveniunt. certe ne vulgari quidem pronuntiatione *is* illud pariter atque *imus, itis* breviari solita prioribus Caesarum saeculis inde conficitur, quod in Vergiliano [aen. VI, 513]:

namque ut supremam falsa inter gaudia noctem
egerimus, nosti. et nimium meminisse necessest

egerimus cogente metro correpta *i* elatum asserit auctor incertus de ultimis syllabis [gr. Lat. IV, 259] nec minus Avitus in epistula ad Viventiolum rhetorem [pg. 86 ed. Peip.]. — praeterea illa quae sunt *iit* et *petiit* cum compositis ad Martialem usque habuisse *i* longam quod comprobavit Lachmannus [207], cuius praeceperant animis inventi notionem quandam cum Gronovio [ad Stat. theb. VI, 664] Heinsius [ad Ov. met. I, 114], huius usus satis mirifici causam cum non addiderit ille, apte inde repetere videor, quod, cum vulgato usu in verbis istis eiecta *v* praeteriti temporis fieret contractio vocalium parium, ubi sequeretur *s*, in tertia persona numeri singularis, Romani, ne committerent pares eiusdem quantitatis vocales, quod quidem longest iniucundissimum, pristinam maluerunt retinere mensuram. certe illud *repetivit* brevi finali extat apud auctorem Culicis [392]. — ceterum Silio [XIII, 166] Sulpiciaeque [23] formas illas correpta potuisse efferri ultima in hexametri exitu ita '*transiit ictu*', '*exiit arces*' christianorum poetarum non efficitur auctoritate, qui easdem formas breviarunt, veluti his versibus Sidonius [burg. Leont. 28; paneg. Maior. 191]:

> sumpserat hoc nascens primum, cum transiit olim.
> stridula Pelidae per Troilon exiit ornus,

sive Aratoris males uti exemplo [a. ap. II, 1185]:

> virus abest, oculis cum squamens exiit horror.

contra antiquam quantitatem a. 494 retinuit Asterius in epigrammate notissimo Vergilii Florentini:

> siqua minus vacuus praeteriit animus.

ubi tamen ultima praeter *pra* legi iam non possunt. porro *sanguis* haud ita paucis locis producitur a poetis usque ad finem saeculi p. Chr. I, longe cum saepius corripiatur. cui similem in eo, quod est *pulvis*, quantitatem finalis videtur adserere Maronis metrum tale [aen. I, 477]:

> huic cervixque comaeque trahuntur
> per terram et versa pulvis inscribitur hasta.

fatendum tamen causam tam mirae prosodiae minime apparere. ceterum quod legitur apud Victorinum [2464] illud *Samnis*, licet per omnes casus *i* longam custodiat, tamen nominativo correpta *i* efferendum, ut *sanguis*, *pulvis*, suspicor

huic proferri male perceptam vetustiorum grammaticorum doctrinam, qui contraria ipsi tradidissent. denique *nihil* producta posteriore unus inter dactylicos ternis quidem exemplis dixit Ovidius [met. VII, 644; trist. V, 14, 41; ex Pont. III, 1, 113]. eandem rationem mensurae qui servarint in illis *nihili, nihilum, nihilo*, non invenio, cum haud raro eadem ponantur breviata aperte secunda [Cat. 28, 12; 61, 193; Ter. Maur. 209; Auson. idyll. 3, 12; 12, 16]. denique quod Beda [2359] asserit *ar* tertiae declinationis per apocopen ortum produci, egregie fallitur. nam et auctoritate poetarum et grammaticorum refellitur testimoniis [cf. gr. lat. VI, 232].

Iam *at, et, it* finales propter principalem quantitatem haud dubie produxit Ennius versibus his [287; 81; 417; 484]:

noenum rumores ponebat ante salutem.
omnibu' cura viris, uter esset induperator.
infit: o cives, quae me fortuna ferocem.
it eques et plausu cava concutit ungula terram.

praeterea nec illud dubiumst, etiam perfectorum coniunctivi terminationem *it* potuisse produci ab eodem nec magis, ubicumque finales eaedem in arsi inveniantur sitae sequente vocali, non licentia quadam id evenisse. sed eodem modo formarum quales sunt *dicit, amavit* produci ab Ennio exitum non potest probari exemplis. nam quae leguntur apud eundem porrectae [567; 374; 501]:

multa foro ponit et agoea longa repletur.
— ∪∪ — si forte feras ea nare sagaci
sensit, voce sua nictit ululatque ibi acute.
qua murum fieri voluit, urguentur in unum,

eae vero caesura legitima potuere extendi. multo etiam minus finales in *ar* vel *or* vel *us* exeuntes apud eundem propria natura producuntur versibus his [170; 94; 489; 117; 34; 85; 254]:

cum nil horridius umquam lex ulla iuberet.
interea fugit albu' iubar Hyperioni' currum.
imbricitor aquiloque suo cum flamine contra.
o pater, o genitor, o sanguen dis oriundum.
postilla, germana soror, errare videbar.
sic expectabat populus atque ora tenebat.
— ∪∪ — tergus igitur sagu' pinguis opertat.

eximendum putavi illud quod legitur apud Nonium pg. 120 s. l. 'Hora':

Quirine pater, veneror Horamque Quirini.

nam ibi cum non Iuventas dea significetur, ut vult Nonius, sed coniux Romuli inter deas recepta, cuius nomen corripitur ab Ovidio Metam. XIV, 851, qui haud dubie Ennii secutus est exemplum:

mutat Horamque vocat, quae nunc dea iuncta Quirinost,

scribendum potius:

teque, Quirine pater, veneror bene Horamque Quirini

vel:

— ◡◡ teque, Quirine pater, bene Horamque Quirini.

sed quod ad cetera, pudet paene dicere incisione legitima et finiti ordinis metrici iure ista provenisse omnia. porro feruntur apud eundem Ennium talia [487; 472; cf. 473]:

tollitur in caelum *clamor* exortus utrimque.
clamor ad caelum volvendu' per aethera vagit.

verum enimvero scribendum in his, quod Lachmanno placuit, *clamos* satis aperte potest ostendi. etenim cum finales eas, quae apud Plautum producuntur, iam plerumque vacillante usu breviatas secunda parte saeculi a. u. c. VI haud paucis Ennii comprobetur locis, plane caret probabilitate maluisse illum uti ambiguae quantitatis terminatione quam ea, quae omni tempore mansit producta. certe non digni mentione, qui in tanta obscuritate veteris artis dactylicae binorum exemplorum singulis argutantes litteris aliena pleraque errore malunt corrumpere quam probatas alioqui rationes et facillimam omnium sequi coniecturam. praeterea quod Vahlenus quasi uno et continuo metro nexa dedit [367] '*horitatur induperator*', proprio ipsius factum periculo. nos vero haec dirempta fuisse aut versibus aut verbis statuimus. verum post Ennium non in *t* magis quam in *r* vel *s* exeuntes flexiones quisquam produxit propter quantitatem principalem. ac primum quidem monebo diversae sententiae ab auctoribus frustra iri provocatum ad Lucilii haec [XVII, 5; IX, 42; 14; XXX, 58; XXIX, 50]:

cetera *contemnit* et in usura omnia ponit.
crisabit, ut si frumentum clunibu' vannat.

⏑⏑ – ⏑⏑ – si plura haec feceri' pila,
quae *iacimus,* addes e, peila ut pleniu' fiat.
– ⏑⏑ – quandoque *pudor* ex pectore cessit.
deierat enim se scripse et post non scripturum. redi.

quibus accedit exemplis tale [V, 38]:

– ⏑⏑ nam omnibus unu' *dolor* est captu' labosque,

nisi ibi scribendum *dolos.* — sed eorum, quae apposui, metrorum primum et quartum cum sexto caesura legitima, secundum ac tertium interstitio sensus excusantur. contra in quinto illud *deierat* non potest dubitari quin sit temporis praeteriti. iam Lucretius et Catullus libertate quantitatum ipsis a Ritschelio et Fleckeiseno concessa adeo timuerunt uti, alter nullo plane pacto, alter non nisi sequente vocabulo Graeco ut extenderet syllabas prisco tempore longas, at ipsorum aetate breves. sed age iam Vergilii, quem nimium putarunt plerique producendis syllabis, expendamus placita. e cuius exemplis numero ferme L praeteribimus merito ea, quae caesuris legitimis aut propriis Graecisve nominibus defenduntur, ut puta haec:

ipse, ubi tempus *erit,* omnes in fonte lavabo.
nam duo sunt genera. hic *melior,* insignis et ore
et rutilis clarus squamis.
qui teneant, nam inculta *videt,* hominesne feraene.
tum sic Mercurium *alloquitur* ac talia mandat.
invalidus etiamque tremens, etiam inscius aevi.
Pleiadas, Hyadas claramque Lycaonis Arcton.
ille comam mollis iam *tondebat* hyacinthi.

quibus omissis remanent aliena talia [g. II, 4; aen. IV, 64; IX, 610; XI, 110; XII, 421; 549]:

tuis hic omnia plena
muneribus, tibi pampineo *gravidus* autumno
floret ager.
pectoribus inhians spirantia consulit exta.
terga *fatigamus* hasta nec tarda senectus
debilitat vires.
pacem me exanimis et Martis sorte peremptis
oratis? equidem et vivis concedere vellem.
subitoque omnis de corpore fugit
quippe *dolor,* omnis stetit imo volnere sanguis.
Mnestheus acerque Serestus
et Messapus equum *domitor* et fortis Asilas.

quae cuncta praeter locum tertium vel eadem. qua Luciliana supra adscripta, excusantur norma vel admisso similibus condicionibus hiatu. quamquam, ut mos est poetis Latinis, non una pleraque defenduntur venia. quippe primum exemplum et quintum repetito simili vel pari vocabulo, i. e. *tibi: omnis*, sive oratoria concitatione, quartum antitheto, sextum enumeratione nominum emolliuntur, ut omittam in tribus produci finalem verborum tribracho conclusorum.

Verum istis qui sustinuerit Ritschelii ac Fleckeiseni comprobare placita, credat, si dis placet, idem Vergilio illud *gravia* et encliticam *que* longa pronuntiari finali vel ignorari *Pleiadas* apud Graecos brevem habere ultimam. restat unum illud '*terga fatigamus hasta nec tarda senectus debilitat vires*'. in quo neque, quod vetusto tempore asseveratumst, propter sequens *h* producitur finalis *mus*, et multo minus, quod nostro, propter naturalem quantitatem, sed quod penthemimeri usus est Vergilius. etenim quamquam interstitio sensus facto in quarta arsi hephthemimeris fere optinet in hexametro, tamen licet, ubi libebit, incisionem quinti adhiberi semipedis propter insignem huius nobilitatem. unde et Manilius eadem condicione non quartae, sed praecedentis arsis extendit brevem ita [II, 494]:

> Cancer et adverso Capricorum conditus astro
> vertitur in semet oculis, in mutua tendunt
> auribus.

contra corruptum, quod legitur altero loco [II, 371]:

> transversos igitur fugiunt subeuntia visus,
> quod nimis inclinat acne limisque videntur;

ubi alii alia, Bentleius illud: *quod nimis inclinant aciem.* porro sic Homerus Latinus [966]:

> nec sufferre valet ultra sortemque supremam
> horruit instantem defessis viribus Hector.

at pessime habet, quod Fleckeisenus obsequente Ladvigio tribuit Maroni talia [aen. V, 167; 480]:

> cum clamore Gyas revocabat. ecce Cloanthum
> respicit.
> arduus effractoque inlisit ossa cerebro.

qui cur unius codicis Romani testimonio posthabuerit ceteris libris firmata '*et ecce*', '*in ossa*', equidem minime intellego,

nisi forte displicebit in priore versu copula. sed dixerunt *et ecce* Seneca [Agam. 769], Valerius [IV. 392], Paulinus [24, 689], Ausonius [ephem. parecbas. 19]. iam quo demonstraretur ab Horatio in finali *et* pristinam servatam quantitatem, his usus est metris eiusdem Fleckeisenus [c. III. 5. 17; II, 13, 14]:

si non periret immiserabilis
captiva pubes.
navita Bosporum
Thynus perhorrescit neque ultra
caeca timet aliunde fata.

e quibus priore loco positum exemplum iam attigimus libro II. porro in illo '*caeca timet aliunde fata*' quamvis primae partis libertate possit excusari quadamtenus producta brevis — certe minus asper versus hic quam quem supra attuli '*ossibus et capiti inhumato*' —, tamen omnino amplectendum censeo quod repperit Lachmannus *timetve*. namque minime, quod visum plerisque, ratione solum metrica, etiam sensus pravitate versus ille laborat, quo significatur aperte a nauta Bithyno, simul atque emenso angustias Bospori liberum patescat mare, non aut tempore ullo aut loco iam timeri periculum. quae apte ut exprimantur non potest omitti particula disiunctiva.

Verum etiam alia ratione Ritschelius et Fleckeisenus poterunt convinci erroris. quid enim? insecuti Ennium si revera *at, et, it* finales cum aliis plerisque vulgo breviatas produxerunt, id vel auctoritate illius vel vivido etiamtum aequalium usu fecisse sunt existimandi. iam Lucilii Catullique et Vergilii tempore si etiam sonarent longum terminationes, de quibus dicitur, cur in tanta frequentia usus nec umquam in thesin et raro nec nisi ea condicione, qua hiatus, receptae sunt in arsin sequente vocali? at difficilius etiam ad credendumst antiquissimorum aemulatione aetatis Augustae auctoribus eas esse adhibitas quantitatum rationes, quae ignotae lectoribus, nisi metri legitima excusarentur libertate, viderentur stare non posse, ut omittam, quam sit alienum a probabilitate poetis posterioribus fuisse perspectas prosodiae veteris normas, quas ne grammaticorum quidem doctissimi recte iudicarunt.

Quae cum ita sint, confutata Ritschelii et Fleckeiseni sententia videor comprobasse exceptis exemplis, quae supra posui, nullam finalium in *r* vel *s* vel *t* exeuntium, quae posteriore tempore fuerit correpta, a dactylicis aliam ob causam quam licentia metri produci. quodsi erunt, qui malent auctoritate quam ratione hanc rem confici, provoco ad Bentleii opinionem, qui ne Terentio quidem concedit producta ultima illud *augeat* [cf. adelph. 25].

Superest ut expediam, singulorum auctorum quinam fuerit usus producendis legitima condicione brevibus. igitur cum Ennius ac Lucilius rudes arte haud ita raris exemplis admisissent hanc licentiam ut pariter epici carminis gravitati et satirici neglegentiae convenientem, Vergilius Graeci simul et Romani Homeri inductus imitatione idem tenuit, non tamen ut res probaretur ceteris. nam Catullus ter, non saepius [62, 4; 64, 20; 66, 11], adhibuit brevem productam, semper in quinta arsi hexametri et sequente vocabulo *hymenaei*. Horatius numquam in Epodis vel Epistulis porrexit correptam, sed in melicis quinquies [I, 3, 36; 13, 6; 2, 6, 14; III, 16, 26; 24, 5], septies in Saturis [I, 4, 82; 5, 90; II, 1, 82; 2, 47; 3, 1; 187; 260], in his tantum per caesuram semiquinariam vel semiseptenariam, quod alter modus nimis videretur graecanicus. ceterum praeter unum exemplum omnia in *at*, *et*, *it* finalibus evenere. idem semel [s. II, 3, 1] *si raro scribis, ut toto non quater anno*, ubi quidam docti *toto non ut*. alibi autem [s. I, 7, 7] recte plures *confidens tumidusque, adeo*, ubi pars librorum *tumidus*. porro quater Tibullus [I, 4, 27; 10, 13; II, 2, 5; IV, 2, 3], ubique in caesura hexametri semiquinaria, produxit finalem, decies Ovidius cum suis, et ipse numquam extra metrum heroicum. nam ut mittam, quae pridem sunt persanata, aliena quaedam Tibulli [Tib. I, 4, 44; II, 1, 58; 3, 17; 4, 38], quod fertur in epistula Sapphus [15, 182] '*et sub ea versus unus et alter erit*', potius est quod Sarraviano prostat libro *erunt*, neque dignumst memoria in epistulis ex Ponto distichi alioqui suspecti pentametrum haberi talem [IV, 3, 44] '*indigus effectus omnibus ipse magis*'. tamen ne numquam credas in medio pentametro brevem porrigi, his Propertii et Martialis vetaris exemplis, qui alias vel in hexa-

metros rarissime [Prop. III, 24, 29; V. 1, 17; Mart. VII, 44, 1; X, 89, 1] similem admittunt licentiam [Prop. II, 8, 8; Mart. IX, 101, 4; XIV, 77, 2]:

vinceris aut vincis. haec in amore rotast.
disce. Libyn domuit, aurea poma tulit.
Lesbia plorabat, hic habitare potest.

adde Marsi tale [Mey. 123, 5]:

sed postquam alterius mulier communis utrique
nupsit, deposuit alter amicitiam

et porro eius qui de Maevio carmen composuit [Mey. 821, 15]:

eripuit virtus pietatem, reddere virtus
debet. qua rapuit, hac reparanda viast.

praeterea uno loco Homerus Latinus extendisse videtur correptam ita [966]:

nec sufferre valet ultra sortemque supremam.

dubia res in Lucano, cuius in primo [v. 642] libri habent plures:

aut hic errat ait nulla sine lege per aevum;

idque ipsum affirmat Priscianus [pg. 1194], ubi de duplicata agit negatione. at in aliis legitur *ulla sine* vel *nulla cum;* idque receptum ab Hosio. — porro bis Persius hisce versibus [5, 57; 6, 26]:

hic campo indulget, hunc alea decoquit, ille.
emole. quid metuis? occa, et seges altera in herbast.

bis Iuvenalis [3, 174; 6, 340]:

maiestas tandemque redit ad pulpita notum.
intulerit, ubi velari pictura iubetur.

at apud Claudianum invenitur hoc [21, 155]:

mixtis hic Colchus Hiberis,
hic mitra velatus Arabs, hic crine decorus
Armenius, hic picta Saces fucataque Medus,
hic gemmata niger tentoria fixerat Indus;
hic Rhodani procera cohors, hic miles alumnus
Oceani.

ubi vides productae in illo *Armenius* ultimae non tantum caesura semiternaria, sed etiam multiplicatis nominibus propriis et adverbio *hic* parari veniam. cetera incerta. nam alibi [22, 141] Ieepius cum parte bona librorum:

illius ut magno Sol limine constitit antri,

ubi alii *ut Phoebus ad limen.* idem in carmine de hystrice [45, 13] recte cum Barthio:

alba subit radix alternantesque colorum,

ubi pro corrupta codicum scriptura dittographia haec fertur: *altera succrescit.* etiam magis dubia res in epigrammatis duobus. ex quibus alterum tale habet distichon [79, 3 sq.]:

claudicat hic versus, haec, inquit, syllaba nutat,
atque nihil prorsus stare putat podager.

at ibi legendum videtur:

claudicat haec versus, haec, inquit, syllaba nutat.

ubi per *claudicandi* verbum vitiosa versus pars, per *nutandi* suspecta propter nimiam communis sive, ut nos dicimus, ancipitis syllabae libertatem, de qua initio prohoemii memoravi, videtur significari. ceterum vix intellegas, quomodo hoc crimen vel illud cadere potuerit in Claudianum, poetam longe elegantissimum, ut suspicio oriatur alterius hoc carmen esse auctoris. neque magis illi tribuerim versiculos de sepulcro speciosae, quorum in fine legitur hic pentameter [91, 4]:

egregiumque decus invidiamque tulit.

nam longe rarissimam productionem brevis in caesura versus huius supra dictumst. — atque in his longius substitimus, ut ostenderemus, quanta vel labante imperio Romana eorum, qui in metrica antiquam sunt secuti disciplinam, fuerit severitas artis et constantia.

Sed ut cetera expediamus, ne Silius quidem, simia Vergilii, licentiam, de qua agitur, accuratissimo quoque auctore admisit frequentius. nam binis et ipse locis, nisi quid me fugit, extendit correptam [III, 405; IX, 545]:

Palladio Baetis umbratus cornua ramo.
contundet Tyrios iuvenis ac nomina gentis
induet.

ubi Bothius '*contundet iuvenis Tyrios*'. — bis etiam Statius nec extra Thebaidem [III, 544; VI, 351]. nam quod in priore editione posueramus tertium exemplum tale [I, 384]:

laevus habet, hinc Herculeo signata vapore,

recte iam Muellerus ex parte librorum restituit illud *habens*. Silvarum autem in versu [V, 1, 258] *sic manes Priscilla subit.*

ubi supplice dextra praeteriti temporis est verbum. — denique praeter exempla supra memorata quater Valerius legitima condicione adhibuit productionem [II, 225; 322; VII, 633; VIII, 259], itaque bis Manilius [I, 10; 876]. apud quem non recte fertur [IV, 280]:

et pontum caelo vincit. et noverit orbem,

cum sensu ipso requiratur '*vinxit, set*'.

Abstinuere productione brevium Lucretius [Lachm. p. 75], Grattius, auctores Aetnae et elegiarum de Maecenate, laudator Pisonis, Calpurnius, Seneca, Palladius, Namatianus, Merobaudes, scriptor pervigilii Veneris, Terentianus, Avianus, alii. quamquam interdum in his turbatum vel librariorum culpa vel grammaticorum. apud Calpurnium 7, 43 recte docti:

en ego iam *tremulus, iam* vertice canus et ista
factus in urbe senex stupeo tamen omnia certe.

ubi liber optimus *tam* habet pro *iam*, ceteri *et*. apud eundem 2, 100 in illis:

et decor et *cantus* et amor sociavit et aetas

cantus est pluralis numeri, sicut dixit Martialis [VI, 61, 2]:

meque *sinus* omnes, me manus omnis habet.

At e christianis perraro et ipsi hac licentia usi Boethius, Martianus, Sedulius, Sidonius, Arator, Priscianus, Luxorius, Maximianus, neque immodice Ausonius, saepius aliquanto Prudentius et Paulinus, sed et ipsi ferme in hexametris aut priore parte pentametri. quae ut recte aestimarentur, subieci exempla. igitur Prisciano bis producta brevis ita [661; 1031]:

hi Tanain habitant fluvium prope Sauromatarum.
et radios solis (oculis *cdd.*) et sacra mente retractant;

bis Aratori [a. ap. II, 334; 885]:

officium, cum tuta venit. en sancta quod, inquit.
additur in pelagus oculis via raptaque flabris;

ter Sedulio [c. p. I, 306; IV, 46; 107]:

rursus 'ego atque pater unum sumus'. Arrius unum.
frondea ficus erat, cuius in robore nullum.
procumbens oculis, cuius in lumina Christus.

apud Sidonium sex a me observata exempla [praef. paneg. Anthem. 21; paneg. Av. 444; praef. epithal. Ruric. et Iber.

17; burg. Leont. 79; ad Consent. 272; epist. IX, 16, 43]. ex quibus unum in phalaecio fuit metro:

sive Aeetias et suus Iason;

unum in sapphico:

unde pars maior utinam taceri.

similia extra heroicum numerum ter admisit Prudentius [cath. 4, 33; 5, 3; peri st. 13, 66]:

hic pastus animaest saporque verus,
merso sole chaos ingruit horridum.
neu sciat invidia mitescere, gloriam negare.

nam alibi [peri st. 10, 628] cum vulgetur '*non destiterunt pingere formam crucis*', verissimumst illud quod dedit Giselinus '*formam crucis non destiterunt pingere*'. denique Eugenius Toletanus, qui vixit in Hispania LX annis ante Arabum incursionem, saepe in quolibet metro sola vi arsis seu vocali sive consona exeuntes producit finales.

Iam praeter finales in *l* vel *r* excurrentes aliarum etiam terminationum subinde immutata quantitas. eius rei principium ortum correptis particulis quibusdam iambicis, quae assuetudine quotidiani usus detritae quasi fuere et concisae. quippe minime inde ista licentia venit, quia magis iambicorum verborum exitus ad correptionem sunt proni quam relicuorum, quod longe habet secus. sed cum lege velut sacrosancta vetetur, ne monosyllaba, quorum maximast frequentia, corripiantur, ad iambica, vix minore quae vigent usu, corripiendae finalis concessit licentia. igitur dactylicorum usu breves fere evenerunt voculae tales '*ita, quia, bene, male, here, nisi, quasi, duo, cito, modo, ego*'. illud *heri* apud dactylicos non invenitur, praeterquam ubi finalis ambigua esset metro, velut Ov. Fast. II, 76, excepto Catulli hymenaeo priore [61, 132 sqq.]:

sordebant tibi vilicae,
concubine, hodie atque heri:
nunc tuum cinerarius.

ibi enim propter synaphiam exclusast in exitu versus anceps. — at communis *i* in *mihi, tibi, sibi, ibi, ubi,* ut tamen horum quicumque extenderunt finalem non vividum vulgi usum, sed rationem potius et auctoritatem priorum secuti esse videan-

tur. quid quod ex voculis istis adverbia *bene*, *male*, quae numquam non explerunt pyrrichium, aliquando in compositis sonum perdidere finalem, id quod et Graecorum usu, qui *Βενούεντον* dixere, firmatur et nummo quodam antiquissimo, in quost *Benventod*. atque ita, quod vix credibile existimarem, nisi nostris vidissem oculis, in codice Lugdunensi anonymi Nilantiani apud Phaedrum priore locorum, quos adferam, legitur *benfitium*. itaque inveniuntur apud Plautum Terentiumque et in Phaedri fabulis, quae non possint stare salva ratione musica nisi per illud *ben*, *mal* [Ter. Phorm. 394; Phaed. I, 22, 8; III epil. 18; Ritsch. op. II, 716, qui plura adfert ex scaenicis]: '*di tibi male faciant*'. — '*primus esses memoriter*'; '*noli imputare vanum beneficium mihi*'; '*cum iam desierit esse beneficium utile*'. — contra *uti*, id quod bene perspexerunt cum Vossio [de art. gramm. II, 26] Ritschelius [prol. Trin. p. 169] et Lachmannus [p. 106], semper longa finalist. nam ne ab Ausonio quidem in proceleusmatico metro [parent. 27, 3] admissum existimo id, quod dedit Schenkelius:

cinis, uti placidula ea supera viguit;

ubi Vossianus liber *cinis ut placidulus operta vigeat*. fortasse reponendum:

placidula supera ut ea viguit, anima
loca tacita celeripes adeat Erebi.

nam illud *cinis* videtur ortum ex praecedente *recino*. — *supera* autem dicta Veneria noto usu pro *viva*. — ac ne apud Victorem quidem, qui aliquanto gravius Ausonio peccat in quantitates, tantum concedendum existimo unico, de quo constat, codici, ut recte ferri credam [aleth. III, 192]:

manibus inferias, uti nunc testantur Alani.

pro quo scribendum videtur *ut*. quamquam in poeta christiano talem licentiam non dixerim ita mirabilem. — praeterea sicut a scaenicis, qui alias licentiam breviandi iambica latius intenderunt, communi adhibentur vocali *nisi*, *quasi*, *ego*, *modo*, *cito* [cf. Ritsch. prol. trin. p. 169; Fleckeisen. ann. Iahn. LXI, 46], certe *modo* ad Lucretium usque semel atque iterum in dactylico metro invenitur iambicum [Lachm. p. 140]. at hercule neque Horatio [ep. II, 2, 199] tuto adscribetur tale '*pauperies immunda modo procul absit. ego utrum*',

neque ab auctore Octaviae in anapaestico hoc [273] '*quae fama modo venit ad aures*' propter principalem quantitatem productast eiusdem verbi finalis, sed ut in fine monometri. contra *ego* et *duo* numquam aliam quam pyrrichiacam naturam habuere, ut et cetera, quae aliena sunt ab hac norma, recte iam sublata videantur nec tribuendum sit Valerio tale [VIII, 158] '*sed quid ego quemquam immeritis incuso querellis*'. nempe una littera geminata ponendum: *sed quid ego o.* nam eodem in amoribus Ovidii [III. 7, 55] adhibito artificio scribendumst '*sed, puto, non blanda a, non optima perdidit in me oscula?*' ita quippe interiectione usi per interrogationem cum alii, tum ipse altero Transformationum [279] '*si placet hoc meruique, quid o tua fulmina cessant*', porro causali sive condicionali sensu Luxorius, puto, [354, 1] '*accusas proprios cur longo ex tempore canos, cum sis phoenicis grandior a senio?*' et Horatius [c. II, 17, 5] '*a, te meae si partem animae rapit maturior vis, quid moror altera*', nec minus Seneca [Med. 1009] '*si posset una caede satiari a manus, nullam petisset*'. neque enim illud veremur, nequis increpet importune et similes eorum, qui ubique Graecis carminibus ad metrum fulciendum intrudant γὲ vel ἄν, addidisse nos voculas istas. quin usi occasione oblata primum notabimus Ovidium epistula Medeae [91] non scripsisse '*vidi etiam lacrimas. an pars est fraudis in illis*', scripsisse '*ah pars est fraudis*', nec non restituendum esse Martiano [II, 126, 6] '*a cuius esse divi tibi contigit maritam*' pro eo quod vulgo fertur *ac* vel *at*. praeterea non tolerabimus Silii tale [XVII, 5]:

> advectum exciperet numen, qui lectus ab omni
> concilio patrum praesentis degeret aevi
> optimus, heu nomen melius maiusque triumphis.

in quibus versibus pro illo *heu*, quod sensu caret, scribendum *en*. atque ita in Paulini [35, 385] et Sedulii [c. p. V, 94] his quae sunt '*heu mihi, quam stultumst oculis se credere vanis*' '*heu mihi, quantis impedior lacrimis*', reponendumst illud *hei* vel potius *ei*, quam testatur scripturam Beda [2351] in hoc versu Aratoris '*ei mihi, iam video subitis lapsura ruinis*'.

Iam hoc memorandum, auctores christianos relapsos, ut plerumque, ad imitationem antiquissimorum ex vocibus, quae

breviari solent extra scaenam. in *a*, *o*, *i* exeuntes ambigua rursus adhibuisse quantitate. sic igitur produxere *quia* [Aus. prof. Burd. 8, 7; Paulin. 32. 22], *quasi* [Avien. phaen. 555; 567; progn. 142; 331; Paulin. 15. 133; 18. 384; 424; 20. 351; 24. 656], *nisi* [Orient. II, 308], *cito* [Orient. I. 340], *modo* [Drepan. ep. ad Moduin. LXI p. 1088; v. 8], *duo* [Iuvenc. IV, 669; Avian. 29. 22; Prudent. peri st. 11, 89; Paulin. 3. 1; alibi], *ego* [Auson. III. 35; cf. 39; ed. Sch.; Maximian. 2. 55]. hinc autem evenit, quod Consentius [gr. l. V, 403] in exemplis elisae inter consonam et vocalem vocalis refert Vergilianum [g. I, 232] '*per duodena regit mundi sol aureus astra*'. et in eo, quod est *ego*, extendi posse *o* affirmat is qui scripsit de ultimis syllabis ad Caelestinum [gr. l. IV. 232]. praeterea e compositis illud *ibidem* antiquissimi pariter atque recentissimi auctores communi voluerunt esse paenultima, cum medii tempore porrigant. qui sane, quod parum convenit sermoni poetico, adhibent perraro. namque ita habes Trinummo Plauti [203] '*atque egomet me adeo cum illis una ibidem traho*' ac Livii Odyssea [11]: '*ibidémque vir súmmus ádprimus Pátroclus*'. nec aliter apud Iuvencum [hist. ev. II, 604; III, 80]:

oblatusque ibidem, quem daemonis horrida virtus.
ille iubet cunctis ibidem convivia poni.

porro '*utique*' quod dicit Lachmannus [pg. 250] apud nullum poetarum sibi esse lectum, fallitur ille. prostat quippe apud Terentianum [592], brevi quidem paenultima. cuius non est testimonium cur spernamus.

Ab his autem initiis modicis late succrevit licentia correptionum, qua parce auctores classici, aliquanto saepius utuntur christiani, scilicet hi consuetudinem aequalium, illi priorum secuti auctoritatem. quamquam meliores ex christianis nec ubique levitatem vulgi usumque linguae iam ad interitum pronae sunt secuti et siqua a priorum usu aliena novarunt analogiae quodam iure tutati sunt. veluti *is* quartae coniugationis finalis propter tertiae brevitatem correpta, adverbia in *e* exeuntia exemplo eorum, quae sunt *bene*, *male*, *inferne*, *superne*, attenuata in Graecis autem plerumque perversa Graecorum aetatis ultimae pronuntiatio causam dedit peccandi.

Igitur primum omnium simili frequentia usus nominum ac verborum formae in *o* exeuntes iambicae inde ab antiquissima aetate usque ad initia Vergilii sive correptae aperte seu, quod idem valet, elisae in brevi inveniuntur apud dactylicos hae, quae sunt *homo* [Lucr. VI, 652], *bibo* [Luc. VIII, 2] — nam fuere Romani multibibi —, *volo* [Cat. 6, 16], *dabo* [Cat. 13, 11], *puto*, quod plerumque adverbiist instar [Octavianus in epigrammate ante bellum Perusinum scripto, Mey. 80, 4]. praeterea longe dignissimum memoria illud, quod in *nescio*, si pronominis indefiniti accedant formae monosyllabae, ut *nescio quis*, *nescio quid*, semper corripitur *o* apud dactylicos pariter atque scaenicos, ita quidem ut utraque pars coalescat et accentus sit in antepaenultima: *nesciŏquis*, *nesciŏquid*. sed hic usus ne insolentior videatur, cum iambicorum tantum corripi nonnumquam finalem modo sit notatum, neque cum dactylicis in unum coeant in Latino sermone encliticae, tenendum pronuntiandi modulum talem ortum illo tempore, quo *ne* particula nondum erat iuncta verbo insequenti. namque huius propria vis et seiuncta a parte compositionis altera ne Caesarum quidem aetate latuit. cuius reist documentum, quod Tacitus dixit Ann. XII, 64 *quae filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat*. de quo usu dixit Gronovius Observat. IV, 2. — simplex autem *scio* casu quodam primum apud Vergilium invenitur pyrrichiacum [buc. 8, 43; aen. III, 602; X, 904].

Sed ut redeam in viam, proprii nominis usus libertate illud *Cato* pyrrichiacum extulit Varro Atacinus in epigrammate (modo sit ipsius, quod non potest fieri, si Licinus ille, qui sub Augusto Gallias spoliavit, sit intellegendus; est tamen temporis certe augustei) hoc versu '*marmoreo Licinus tumulo iacet, at Cato parvo*', quem imitando comprobavit doctissimus poetarum posteriorum Claudianus ita [in Eutr. I, 457] '*qui sub iure negasti vivere Caesareo, parvo procede sepulcro, Eutropium passure Cato*'. vides quam fuerint parci illi veteres corripiendis verborum nominumque in *o* exeuntium formis. quamquam minime credibilest omnino istis voculis licentiam esse coercitam, quando simili frequentia usus vigentes aliae, velut *amo*, *nego*, *veto*, eodem haud dubie fruuntur iure breviandi finalem. at certissime cum constet illos

vel iambicis vocabulis imminuendis fuisse perparcos. haud sane erit credibile etiam alia diversae mensurae potuisse corripi. veluti quod statuerunt homines docti a Iuvenale ex Lucilii libris assumpta esse verba haec [dub. 12] '*cuius non audeo dicere nomen? quid refert, dictis ignoscat Mucius an non?*' haec si recte habet opinio, putabimus tamen priorem particulam, ut conveniret sententiae sive emolliendis numeris, esse immutatam a Iuvenale. nam illud *audeo* ut dactylice poneretur initio saeculi ab u. c. VII nullo potuit pacto fieri. praeterea quod fuere qui verba in epistulis Ciceronis ad Atticum [II, 18, 3] posita haec: *displiceo mihi nec sine summo scribo dolore* dicerent ἔνρυθμα adeoque tribuerent Lucilio, quantum fefellerit hos sententia, editionis Lucilianae p. 170 adnotatumst. neque rectius testimonio advocabitur servatum a Quintiliano [VIII, 6, 73] eiusdem epigramma hoc:

> fundum Vetto vocat, quem possit mittere funda,
> ni tamen exciderit, qua cava funda patet.

in quo corruptum nomen proprium arguitur ea re, quod apud Calpurnium, saec. XV grammaticum non spernendum, qui item utitur versibus istis [ad Ter. Hautont. I, 1, 16], legitur pro eo *vero*, ut probabile sit potius latere nomen in *us* finitum, quod labem traxerit. ceterum nihil ad rationes modo expositas pertinet, quod breviantur adverbia primitiva *endo* (sive *indu*) et *immo*. ex quibus quamquam hoc apud dactylicos non invenitur correptum ante Senecam, cum productum prostet hoc Catulli versu [77, 2; cf. et Phaedr. append. 15, 8] *frustra? immo magno cum pretio atque malo*, tamen apud scaenicos vetustissimos communi habetur ultima. denique ab Oscis petitum illud *sollo* i. e. *omnino* trochaicum ponitur a Lucilio [l. inc. 73].

Iam ab Augusti aetate qui fuerit progressus infringenda *o* ut perspiciatur, singulorum auctorem cum cura rimandus usus. qua in re non distinguam, ubi correptam eam declaratur elisionis modulo in longa finali non usitato, velut in Vergilii exemplis, quae iam afferam, omnibus.

Igitur a Marone brevi finali efferuntur nove haec: *Pollio* [ecl. 3, 84; 86; 88; 4, 12], *nuntio* [aen. I, 391], *audeo* [XI, 503], porro ab Horatio in Saturis et Epistulis *eo* [sat. I, 6, 119], *rogo* [epist. I, 1, 11], *veto* [sat. I, 1, 104], *dixero*

[sat. I. 4. 104], *obsecro* [epist. I. 7. 95]. *quomodo* [sat. I. 9. 43]. *mentio* [sat. I. 4, 93]. *Pollio* [I. 10, 42; 85]. quod et in melicis corripuit nomen, a quibus alioquin istam arceret licentiam. item Maecenas in hendecasyllabis ad Horatium datis:

ni te visceribus meis, Horati,
plus iam *diligo*, tu tuum sodalem
inulo videas strigosiorem.

Praeterea ut Tibullo *desino* [II. 6. 41], ita Propertio *caedito* [V. 5. 77] dictum dactylice. sed hic longe maiore grassatus audacia etiam *findo* posuit trochaice [IV. 8. 35]. at Ovidio in distichis semper imminuuntur *Sulmo* et *Naso*. praeterea haud ita raris exemplis haec '*amo, cano, nego, peto, rogo, leo, confero, desino, odero, Curio, Gallio, Scipio, esto, credo, tollo, rependo, nemo, ergo*' [her. 5, 59; trist I. 1. 87]. sed eidem qui statuerunt gerundii ablativum breviari hoc versu epistulae Deianirae [heroid. 9. 126] '*fortunam vultu fassa tegendo suam*', fraudis convincuntur vel ea re, quod libro Puteaneo, cuius longe maximast auctoritas, habetur '*fassa tegente*'. quare videndum an aptius sit Nasoni metrum tale:

fortunam vultu fassa latente suam.

nam nec a Lygdamo [6. 3] venisse '*aufer et ipse meum pariter medicando dolore*', venisse '*patera medicante*' praestantissimus quisque criticorum intellexere. sed idem Naso in Transformationum libris et continuis hexametris corripiendae *o* qualemcunque curate vitavit licentiam. nam quod ibidem *peto* [VI. 352] et *puto* [II, 566; XI. 425] extant pyrrichiaca, id vero antiquissimi moduli aemulatione admissum. quare quod fertur in libro XV [599] '*quamvis coniunctior illo nemo mihist*', necessario cogendumst *mihi*, ut tamen scribatur *mi nemost*.

Neque vero insequente saeculo pariter apud omnes correpta *o* finalis optinuit, sed potius pro ingenio ac studiis diversi auctores optinuere diversa, quamquam nullum horum credibilest dubitasse de breviandis iambicis. ac primum quidem apud Grattium non prostat exemplum novae licentiae. nam rectissime fertur apud eum *reponite* pro eo, quod plerisque placuit, *reponito* in hisce [55]:

illa vel ad flatus Helices oppande serenae,
vel caligineo laxanda reponite fumo.

in quibus quod promiscue adhibentur *oppande* et *reponite*, minus utique durumst illud quam quod legitur in Priapeis [48, 1, 3; cf. Hor. ep. I, 2, 71; Prop. V, 5, 77 sq.; Ov. met. XV, 677, 8] '*quod partem madidam mei videtis — non est ros, mihi crede, nec pruina*'. neque vero a Calpurnio quidquam in *o* finali admissum, quod Vergilio improbaretur. porro Petronius *o* cum saepe producat, non corripit extra iambica nisi in his quae sunt *homuncio* [153, 1 Mey.], *Curio* [de b. c. 289]. nam in carmine illo [183 M.]:

candida sidereis ardescunt lumina flammis

quod leguntur *langueo* et *aestuo* correpta finali exemplis talibus [20 sq.]:

langueo, deficio, marcesco, punior, uror,
aestuo, suspiro, pereo, divellor, anhelo,

verissimi fuere, qui versus istos incongruos sanitati Petronii et magis Sidonii vel Venantii aequali quam Lucani sive Senecae existimarunt aptos. tum a Persio nomina equidem cretica aut spondiaca, sed non perinde verba corripiuntur, qui non recte existimatur dixisse [6, 55] '*accedo Bovillas*', pro quo vere habet quod libris Montepessulano ac Vaticano traditur *accede*. huius plane secutus rationes Lucanus. a quo praeterea semel breviatur *ergo* [IX, 256]. at apud eundem quod placuit [VIII, 183] plerisque '*pergo sinistra*', tuto spernetur pro eo, quod pluribus asseritur testibus: *perge*. similem vero paremque optinuit normam Silius. a quo cum saepe nomina maxime propria brevientur, verba non corripiuntur praeter *nuntio* [VIII, 239; XI, 507] et *quaeso* [XV, 747]. e quibus illud metri necessitate, hoc frequentia usus aptum fuit ad imminuendum. sed a particulis haud dubie idem procul abstinuit licentiam istam, nec a metro satis ut recte habeat locus, qui in codicibus exhibetur fere talis [IX, 193]:

mihi magna satis, sat vero superque
bellandi merces sit gloria.

quamquam ne illud quidem probumst, quod vulgo circumfertur '*sat vera*'. venit a Silio '*sat clara*' et '*fit*'. Manilius cum haud dubie imminuat nomina, praeterea illa *octo*

[V, 340], *ergo* [II, 788; III, 169; 328; 378], *quando* [I, 641], quid in verbis probarit plane incertumst, quia miro quodam casu non inveniuntur apud eum, quibus id perspici possit, certa exempla [cf. Iacob. ad II, 109]. iam ut mittam Columellam et auctorem Aetnae brevitate carminum subobscuros, licentiam intendere Seneca, Martialis, Iuvenalis, Statius, ceteri classicorum, qui et verborum ac nominum formas promiscue nec raro corripuere adverbia, velut *ideo*, *ilico*, *intro*, *porro*, *sero*, *subito* ac numeralia, puta *ambo*, *octo*. adeoque dixerunt brevi finali Seneca [Troad. 264; Herc. Oet. 1862] *vincendo*; *lugendo*; Iuvenalis [3, 232] *vigilando*; Nemesianus [1, 53; 2, 80] *mulcendo*; *laudando*, qualia numquam admisere epici. denique a christianis omnino et indubie *o* finalis eis, quas modo enumeravi, condicionibus habita pro communi.

Ceterum etiam atque etiam monendum numquam dativos gerundiorum posse corripi, non ut a metro melius habeat quam a sensu, quod scribi voluit Grotius '*solvendo non es*' in Senecae hisce [Oed. 942]:

> solvenda non est illa quae leges ratas
> natura in uno vertit Oedipoda.

in quibus *solvenda* quam recte habeat, declarant sequentia, ubi ponendum punctum post *partus*. scilicet hoc dicit Oedipus, ut antea natura nova facta esset, ad nova et inaudita scelera eum impellendo, ita novum excogitandum supplicium, quo semper pariter et vivo sit similis et mortuo. ac ne in ultimae quidem notae carmine de Perdica [p. l. m. V, 118 v. 121] illud *miserando* dativus est, sed ablativus pro participio praesentis et idem quod *miserendo*. nec magis alieni corripiuntur ablativi praeter unum illud *quomodo*, quod sive uno seu duobus continebitur verbis potest breviare finalem [cf. Mart. X, 16, 8; Fleckeis. ann. phil. et paed. LXI, 45].

Ceterum vix est quod dicam numquam monosyllaba, qualia sunt *do*, *flo*, *sto*, breviari [cf. gramm. lat. VI, 236]. quorum tamen composita ne imminuantur nil obstat. — porro in Graecis, quae habent *ων*, *ονος*, Latinam finalem *o* primi corripuere Seneca [Agam. 514] et Statius [achill. I, 553]. at quae servant illorum sermone per omnes casus *o* longam, numquam breviantur nisi paucissimis exemplis chri-

stianorum [cf. Auson. idyll. 10, 303; Venantius VII, 12, 25 '*Archyta, Pythagoras, Aratus, Cato, Plato, Chrysippus*']. denique talia, qualia sunt *Sappho, echo, Alecto,* correpta *o* legere me non memini, excepto quod apud Dracontium fertur [8, 203] *quem Clotho, quem Lachesis, quem vindicat Atropos ingens.* nam versum monachi nescio cuius [anthol. 792, 2 ed. R.] *Clotho colum baiulat, Lachesis trahit, Atropos occat* non moror.

Grammatici autem veteres diversa admodum tradunt de finalis *o* quantitate. qui tamen quantum a vero aberrarint vel illud docet, quod fuere qui in Vergilianis *nunc scio quid sit amor; scio me Danais e classibus unum* putarent pronuntiandum *sco* [Diom. 430; Char. 5].

Sed ad *e* finalem ut transeamus, mira prorsus res et quam explicare non possim, quod adverbia *inferne, superne* inde a Lucretio usque ad finem litterarum latinarum habent *e* correptam et quidem semper. certe productae nullum mihi innotuit exemplum. et Lucretius quidem usus utroque vocabulo; apud Horatium in stropha spuria, ut puto, sed proximo post illum saeculo adscribenda invenitur [II, 20, 11] *supernĕ.* verum eadem quantitate posuit et Porfyrius saec. IV [13, 6]:

votis favente domini supernĕ dextra;
dextra supernĕ domini favente votis;

atque item eodem tempore Tiberianus [p. lat. m. III, 264 v. 3] et mox Prudentius [cathem. 3, 20; peri steph. 12, 39].

Porro a classicis breviatur saepe admodum imperativus *cave,* maxime, quando sequitur coniunctivus omisso *ne,* ut apud Horatium *cavĕ te roget.* ita *vide* a Lucilio [XVII, 1], Phaedro [III, 6, 3; fab. Perott. 10, 14], Persio [1, 108], Catone distichorum moralium auctore [IV, 25, 2] adeoque a Valerio epico [V, 594] ponitur pro pyrrichio. quamquam in Luciliano:

tute vide atque disyllabon elige quodvis

potest locum habere tmesis alterum genus, de qua proximo libro exponetur. — etiam *ave* pyrrichium explesse saeculo p. Chr. n. primo demonstrat Phaedrus eliso in acuta vocali *e* [fab. Per. 21, 10]:

ave usque ingessit.

ac firmatur testimonio Quintiliani [I, 6, 21] vulgo ita tum pronuntiatum. verum incerta res in Catulli hemistichio [101, 10]:

frater ave atque vale,

cum is in sequente *atque* etiam iambicum eliserit *ioco* [12, 2].

Contra illud *vale* numquam a dactylicis pyrrichiace elatum iam significavit Ioannes Schraderus [emend. p. 206]. apud Ovidium Trist. I, 8, 21 legendum cum Hauptio:

idque quod ignoti faciunt 'vae' dicere saltem.

Multo autem minus tolerandum, quod Schneidevinus Martialis libro XI [108, 4] intulit trochaicum *salve* pro eo, quod recte habet, *solve*.

At intenderunt utramque licentiam christiani. apud quos inveniuntur imminuta adverbia *fere* [Auson. epigr. 105, 5, quod tamen sola Vgoleti stat fide], *pie* [Venant. miscell. IV, 2 p. 153], *cautissime* [Columban. monost. 170], *certissime* [ib. 50], *impie* [Venant. X, 13 p. 340], *interne* [Auson. de nob. urb. XIV, 15; epist. 5, 21], *mature* [Venant. VI, 2 p. 206], *valde* [Coripp. iohann. VI, 524]; item imperativi *time* [auct. lib. in genes. 456], *dimove* [auct. lib. in genes. 360], *praecave* [Eug. 2, 5], *arce* [Cor. iohann. V, 413], *extorque* [Prud. peri steph. 5, 60], *percense* [Prud. hamartig. 623]. denique ab isdem interdum *e* breviatur in ablativis primae declinationis graecanicis veluti in his: *harpe* [Sidon. ad Cons. 297], *Leucate* [Auson. idyll. 6, 24], *Mytilene* [Sidon. epithalam. Polem. et Aran. 49].

Deinceps *puta* seu particulae sive verbi fungens vice pyrrichiace positum invenitur in Priapeis [37, 6] et Persium apud [4, 9] ac Martialem [II, 44, 2; IX, 95, 5; XI, 95, 2 al.]. at non perinde certumst, illud *eia* vel *heia* an communem habeat finalem. quam tamen iam corripuisse videtur Ennius. nam quod affert Servius ad Aen. IX, 38 *heia machaeras*, quin ex Annalibus sit petitum et finem hexametri impleat, vix potest dubitari. atque item per trochaeum *eia* posuit Valerius Flaccus [VIII, 109]:

qua se arduus heros
ferret ad aurigerae caput arboris: 'eia, per ipsum
scande age',

nec minus auctor incertus, serus tamen, qui de celeumate

nautico composuit carmen a nobis inventum [p. lat. min. III. 167], quater in principio hexametri habet '*heia, viri*'. praeterea ex eis, quae priore libro sunt exposita, apparet breviari eandem quinta sede elisam sequente brevi a Columella et Nemesiano metris talibus [Colum. 68; Nemes. 87]:

durior aeternusque vocat labor. eia age, segnes.
Latonae Phoebe magnum decus, eia age, suetos.

nam et ita *aleluia* corripitur a Sidonio [epist. II, 10, 26]. sed enim huic ipsi *eia* effertur spondiacum hendecasyllabo hoc [praef. epithal Polem. et Aran. 6]:

eia, Calliope, nitente palma.

et qui de ultimis scripsit syllabis (Probi circumfertur nomine) p. 1421 *a* longam, 1430 plerumque brevem affirmat. igitur eam nos vocem trochaicam potius esse statuemus.

Iam a christianis haud dubie corripiuntur adverbia in *a* exeuntia longum; cuius usus auctorem fuisse quidam volunt Ennium, apud quem haec feruntur tradita [fab. 428; 444]:

quis pater aut cognatu' volet nos contra tueri?
contra carinantes verba aeque obscena profatus.

sed alterum exemplum vitiosum evincitur ea re, quod *carinandi* verbum secundam habet brevem. prius traiectis modice verbis septenarii trochaici recipit formam, quamquam eiusdem metri forma sine ulla mutatione partium potest constitui in hunc modum:

. . . . quis pater aut cognatus volet
nos contra tueri?

nec rectius *frustra* trochaicum a non nullis adscriptum Iuvenali [3, 210]. neque apud Manilium [II, 253] *contra* eadem mensura traditum libris omnibus toleravit Bentleius. denique in Germanici versu [phaen. 568] '*Lanigeri et Tauri, Geminorum, postea Cancri*' diducendum esse illud *postea* firmatur, si tamen testimonio opus, codice Basiliensi.

At extitere novissimo tempore, qui ea, quae sunt *contra, frustra,* aliaque huius generis a Plauto correpta efferri crederent finali. quorum etiam in numero fuerunt Bergkius [Beitr. p. 82] et Spengelius [T. Macc. Pl. p. 62]. mihi tamen nondum haec res persuaderi potuit, eoque minus, quod pro ablativis olim habita adverbia illa docet *d* in senatus consulto de Bacchanalibus ad *extra* et *supra* additum. quod-

siquis probarit eam, manifestum etiam hic, ut alibi, christianos ad antiquissimam redisse prosodiam. qui quod *antea* [Paul. Nol. 36, 237; Sedul. c. p. I, 158 al.; Arat. a. apost. I, 762; 884 al.] et *postea* [Paul. Nol. 36, 97] persaepe corripuere adverbia, hactenus poterunt videri excusati, quod pro accusativo habuerunt *ea.* sed idem imminuta ultima adhibuere *contra* [Prud. p. st. 5, 145; Auson. II, 16 Sch.], *frustra* [Prud. p. st. 1, 13; Aus. XXI, 2, 15 Sch.; Martian. I, 92, 21], *supra* [Iuv. h. eu. I, 717, ubi tamen libri variant].

Simili autem parique licentia fruuntur apud eosdem numeralia, velut *triginta* [Iuvenc. IV, 640], *quadraginta* [id. II, 171], *sexaginta* [Prisc. de pond. et mens. 38], *nonaginta* [Auson. de rat. dier. a. vert. 1; 16; cf. et Schenkel. pg. 294].

Denique dignum memoria ablativos primae saepe corripi ab homine saeculi V vel potius VI (Cyprianum vulgo nominant), qui Mosis libros et alia pleraque ex vetere testamento hexametris reddidit, velut hoc versu [lib. in genes. 44]:

Adamus donata sibi prudentia sollers.

idem error aliquotiens invenitur in Paulini Pellaei Eucharistico, veluti v. 197; 306, et, ut notat Vossius, in carmine non multo antiquiore auctoris incerti adversus Marcionitas [cf. de arte gramm. II, 39]. ab eodem etiam quartae ablativum aliquando tradit ille breviatum. — magis mirum quod Victor, qui etsi in prohoemio Alethias ipse excusat quaedam rei metricae minus eleganter tractata, tamen ut plurimum satis elegantibus decurrit numeris, ablativum in *a* exeuntem corripuit exemplis quae sunt *unica, prima, dissimulata* [prec. 123; aleth. III, 436; 712]. accedit, quod facilius toleres, *una* adverbium [I, 387; II, 450].

Porro haud occultam ob causam composita, quae descendunt ab illis *pes* et *par,* a poetis christianis saepe corripiuntur, veluti ab Ausonio in versu hoc [idyll. 11, 54]:

tres primus par impar habet mediumque; sed ipse

et porro [ib. 39]:

qui bipes et quadrupes foret et tripes, omnia solus.

idem alibi [epist. 21, 40]:

spondeus illi lentipes ibat comes.

et asserit Probus ex illo quod est *pes* figurata corripere ultimam [1470]. contra *cor* cum haud dubie brevietur a

classicis [cf. Heins. ad Ov. heroid. 15, 79] — quae res firmatur Ausonii epigrammatis eis [48; 49], quibus irridetur qui *reminisco* dixerit pro *reminiscor* —, videtur produci ab Aratore [a. ap. I, 383]:

> ecce tot egregiis unum cor esse catervis
> incipit.

quamquam minime displicet poni, quod Barthius protulit '*cor inesse*'.

Iam cum non fere breviarentur in *es* exeuntes terminationes verborum, nisi quod *viden*, quod ortumst ex *videsne*, semper adhibitum per pyrrichium [cf. Serv. ad aen. VI, 779], quo tamen plurimi longe poetae abstinuerunt, item in *is* excurrentes quaedam, denique produceretur *us* in nominibus, quando genetivus cresceret syllaba *u* manente longa (nempe ab Horatio illud *palus* correptum [ep. II, 3, 65] vetus quidem, sed falsast fides) et plurali numero, a Paulini Nolani aetate imminui sunt coeptae eaedem. nam quod iam a poeta vulgari prioris s. III partis pyrrichiace positum *vides* in hendecasyllabis ita [Ael. Lampr. Alex. Sev. 38]:

> pulchrum quod vides esse nostrum regem,
> quem pulchrum tetulit Syrum propago,

non magis me movet, quam quod Alexandri Severi in responso ex Graecis verso eadem quantitate adhibitum *putas*. igitur attenuata leguntur finali haec: *servitus* [Paulin. 25, 149], *sexus* [Sedul. c. p. III, 266], *spiritus* [Sed. c. p. II, 239], *tellus* [Martian. VI, 584, 12; Victor aleth. II, 23; 442], *senectus* [Dracont. satisf. 224; Maximian. 1, 246], *transitus* [Cor. l. Iust. III, 55], *vagitus* [Sed. c. p. II, 120], *cerneres* [Mart. VI, 585, 18], *distribuisses* [Ven. XI, 5 p. 352], *nites* [Ven. III, 19 p. 140], *posceres* [Ar. ep. ad Parth. 22], *advenis* [Ar. ep. ad Vigil. 4], *custodis* [Ar. a. ap. I, 411], *esuris* [Ar. a. ap. II, 1007], *nescis* [Orient. Comm. II, 36; Ar. a. ap. I, 241], *pervenis* [Sed. c. pasch. V, 280], *praeteris* [Sidon. paneg. Maior. 576], *quamvis* [Lux. 305, 1], *transis* [Sid. ad Cons. 404], *possis* [Luxor. 347, 4], *velis* [Avian. 23, 10; Ven. V, 15 p. 200 al.]. sed a Iuvenco non scriptum [IV, 586]:

> egressusque dehinc ploratus habebat amaros,

verum:

> egressumque dehinc ploratus habebat amarus.

quem non magis recte putant produxisse *a* in monosyllabo *an* III, 326; IV, 529; sed scribendum utrobique *anne.*

Paullo prius Paulino correpta *es* in vocabulis Graecis. nam ita apud Avienum [or. mar. 372] legitur *Damastes* pro amphibracho positum. porro exempla in adversaria nostra relata breviatae finalis eiusdem haec: *Helles* [Sidon. ad Magn. Felic. 41], *lyristes* [Sid. ep. VIII, 11, 25], *Thersites* [auct. verb. Achillis 70]. hinc Martianus, qui vixit post Romam ab Alarico captam, l. III [279] testatur illud *Anchises* finali esse brevi. at aliast ratio nominum tertiae, quae etiam extenuantur, ut *Vlixes* [Maxim. 5, 20]. in Sedulii hymno altero [29] libri habent: *hostis Herodes impie,* quod recepit Huemerus, priore iam, non posteriore *e* contra fas correpta et finali in *hostis* producta propter insequentem *h.* vulgo legitur *Herodes, hostis impie.* sed in his, quae sunt *Vlixes, Herodes,* pariter atque in appellativis *fames, proles, torques, rates, volpes,* similibus posterioris temporis usu plerumque optinuit *is* finalis. de qua re dicetur l. VII. igitur longe certioris est exempli, quod a Boethio [III, 1, 4] *Ceres* et a Paulino Petricordiensi [v. Martini II, 685] *fides* i. e. *πίστις* usurpatur iambice. sed peius utroque trochaice positum *heres* apud Victorem et Aratorem et Corippum [aleth. III, 620; act. apost. I, 587; iohann. III, 366], item ultimae nec memoria dignae tribuendum barbariae, sicubi *es* in plurali tertiae invenitur correptum praeter nomina Graeca. at *foris* a Venantio correptum [v. Martini IV, 119 al.] mitigatur eo, quod haec vox pridem nominis natura abiecta accessit adverbiis. quamquam a paraphrasta veteris testamenti supra memorato etiam *is* in plurali nominum subinde correpta, qui et adverbia numeralia in *es* exeuntia saepe corripuit, veluti [in genes. 221]:

septies hic centum vixit septemque per annos.

Porro *os* producitur in verbis Latinis praeter *os, ossis, exos, compos, impos.* per soloecismum idem breviatur in *pronepos* a Sidonio et Avito [epithal. Ruric. et Iber. 133; C. I, 177; IV, 175]. et sic *heros* a Prudentio aliisque ponitur trochaicum.

Contra *as* in Latinis numquam corripitur (nam *anas* qua finali sit incertumst. de quo dictum Summ. orthogr.

et prosod. Lat. pg. 37), nisi quod *nefas* indeclinabile pro pyrrichio adhibetur a Paulino Petricordiensi [vit. Mart. II, 47; III, 45; 51; 382]. et ita Claudius Victor [aleth. I, 452]:

sed verum nefas est pavidos fraudare latebra.

contra in dimetro Martiani tali [VI, 704, 6]: *voluptas inquit anxia* aut spondeum admissum dicemus loco secundo aut potius traiectione usi initio versus collocabimus *inquit.* nam et ita in praecedentibus [4] reponendum *magisque lassa pulchrior* pro *magis quod.* Probae tamen poetriae condonandum dactylicum *iusseras* [praef. 5]. at ne Dracontius quidem scripsit de Venere [10, 53]:

blanda, potens, mitis, fecunda, venustas amoris;

ubi verissime Schenkelius: *venusta, suavis.* sed praeterea reponendum *facunda.* — quo minus debuit tolerari apud Iuvencum accuratiorem multo versificatorem metrum tale [IV, 424]:

Iudas et ad proceres tali cum voce cucurrit;

ubi traiectis verbis opus erat ita:

Iudas et tali ad proceres cum voce cucurrit.

nam et alibi apud eundem longae fit in penthemimeri elisio, ut II, 395; 432; IV, 770. ne apud Avitum quidem temere spreverim, quod legitur [VI, 404] in uno codice '*quod Iudas Iacobusque docent, quod Petrus et ipse qui conspecta refert caeli secreta Iohannes*', ubi ceteri: *quod Petrus Iacobusque docent, quod Iudas.* neque credibilest *Helias* potius quam *Helia* venisse ab Ausonio in hisce [ephem. or. 42]:

Helias et solido cum corpore praevius Enoch,

cum praesertim contraria ratione probata producantur a Martiano *Arcas* [I, 24, 13] et *heptas* [VI, 567, 9]. tamen *Melas* a Prisciano ponitur pyrrichiace [perieges. 413].

Denique in *en* vel *on* longam exeuntia apud Graecos communia habentur ultimis temporibus, brevi ut inveniantur finali *Alciden* [Sid. praef. paneg. Av. 11], *Ammon* [Mart. II, 192, 26], *chalcedon* [Prud. psychom. 857], *daemon* [Prud. c. S. II, 889; Paulin. 35, 76], *Lacedaemon* [Prud. c. Symm. II, 247; Sidon. paneg. Maior. 44], *Marcion* [Prud. ham. praef. 36], *Simon* [Arat. a. ap. I, 630]. — item *Tharan* accusativum correpta *an* posuit Victor [aleth. III, 321].

His non inepte addemus de eis verbis, quae *c* littera terminantur, disputatiunculam. — itaque primum pronominis formae *hic* et *hoc* apud scaenicos cum ambigua sint mensura, sed plerumque brevia, apud dactylicos longe id evenit aliter. et neutrius quidem generis nominativus ubi corripiatur horum libris non invenio nisi singulis locis apud Senecam [Phoen. 550] et in Priapeis [51, 28]:

totus hoc exercitus,
hoc utrimque populus omnis, hoc vidit soror.
et vos hoc ipsum, quod minamur, invitat.

verum in priore exemplo illud *hoc utr. pop. omnis* Gronoviist inventum; nam in codice optimo legitur: *et populus omnis utramque,* in ceteris *et populus omnis et utraque.* restituendum *hoc* (sive *et*) *populus utrimque omnis;* et porro in hipponacteo *vos hoc* (sive *hoc vos*) *et ipsum.* nam nec masculinum, quod longe tenuiorem habet sonum, prostat in dactylicorum libris correptum nisi rarissime, licet durius de eo iudicarit Probus [1433]. apud auctores, quos legerim, memini inveniri breve exemplis potissimum Lucretii tribus, binis Vergilii, singulis Tibulli, Sammonici, Claudiani, Paulini, eius qui carmen de Hercule conscripsit [Lucret. II, 387; 1066; VI, 9; Verg. aen. IV, 22; VI, 791; Tib. I, 10, 39; Samm. 726; Claud. 24, 39; Paul. 25, 210; auct. laud. Herc. 64]. ceterum ut tanto haberent odio brevem in istis formis vocalem dactylici, non evenit mutata quantitate naturali — nam *hic* corripi testatur Donatus [1753] nec minus et *hic* et *hoc* brevi habitum vocali indicant grammatici, cum dicunt, ubi ea producatur, duplicandum *c* —, sed potius quod crassius quiddam et optunsius sonat in eis *c* quasi gemina. sed ab hac ambiguitate progressi ultimis imperii temporibus grammatici statuerunt etiam alia, quae *c* littera terminarentur, esse communia. unde Servius Honoratus, qui fertur, in libello de finalibus [gr. lat. IV, 454] praecepta Vossii [de arte gramm. II, 29] Heinsiique [ad Ov. heroid. 2, 98] opinione affirmat *fac* longa esse vocali, cui certatim sunt obsecuti placito poetae christiani [Prud. peri steph. 10, 655; Sidon. paneg. Av. 344; Severus de virt. cruc. 4; Orient. common. I, 218; Maximian. 3, 63 al.]. itaque vanissimo quidam commento, ubicumque *fac* inveniretur breve, ut solet fieri apud

antiquiores, pro eo *face* substituendum existimarunt. — iam illud *ac* non ponitur ante vocalem nisi apud auctores deterrimos neque umquam fere ita, ut condicionem possis dispicere vocalis. de cuius quantitate quamvis dubitetur a plerisque, haud timeo dicere illam veterum ore produci primum ad resarciendum damnum interceptae inter *a* et *c* litterae *d*, deinde quia, nisi prosodiae diversitatem statueris, minime apparet, cur plerique illud *ac* non iugarint cum sequente gutturali, cum qua ab isdem haud paucis exemplis copuletur *nec*. denique longius propagata errorum serie quidam *nec* produxere, ut Paulinus Pellaeus [487] et Avitus [I, 113; III, 261] et Venantius [I, 11, 21]. ab eodem et illud *donec* positum spondiacum [IX, 2, 65]:

donec adventu domini caro mortua vivat.

et ex Paulino ad eandem mensuram probandam hunc adfert versum Beda [2355]:

donec adspirante deo conatibus aegris.

at contrario delicto adverbium *sic* a Prudentio corripi non satis certumst, cum in metro tali [c. Symm. II, 45]:

sic unum sectantur iter, *sic* inania rerum

pars librorum haud spernenda exhibeat: *sic cassa figuris*. Paulini tamen Pellaei, duri admodum poetae, Eucharistico legitur [v. 81]:

quae doctrina duplex *sicut* est potioribus apta.

ubi Barthius: *sicut potioribus apta est*. — praeterea illud *lac* quali fuerit vocali cum a plerisque dubitetur, brevis syllaba ea re videtur adseri, quod ante vocalem, ubi opus esset longa, *lacte* dixerunt Ennius [365] et Sammonicus [1079]. idque ipsum confirmatur Venantio, cuius hic est versus [XI, 22 a, 2] *omnia sumendo, lac, holus, ova, butyr*; ubi *h* consonae instar est. tamen in parte librorum legitur *olus*. — contra *lac* pariter atque *allec*, de quo etiam ambigitur, longa esse vocali adfirmat Servius de finalibus pg. 1812.

Vides ne finalium quidem in mensura mutanda sine modestia aut ratione grassari christianos plerosque, sed fere, ut solent, ludibriis aequalium grammaticorum deceptos aut poetarum vetustissimorum imitatione.

Iam vero correptas vulgi usu aut versus necessitate finales postquam enarravi, quasi pro appendice de abiecta agemus sigma. de qua ita refert Tullius in Oratore [45, 153] '*sine vocalibus saepe brevitatis causa contrahebant (nostri), ut ita dicerent: multi modis, vas argenteis; palm et crinibus; tecti fractis*'. idem paullo post [48, 161] '*quin etiam, quod iam subrusticum videtur, olim autem politius, eorum verborum, quorum eaedem erant postremae duae litterae, quae sunt in 'optumus', postremam litteram detrahebant, nisi vocalis insequebatur. ita non erat ea offensio in versibus, quam nunc fugiunt poetae novi. ita enim loquebamur: quist omnibu' princeps, non: omnibus princeps, et: vita illa dignu' locoque, non: dignus*'.

Ex quibus priore loco memorata quantum fidei haberent declaravi in vita Ennii [pg. 238 sq.]. nam praeter illud *multimodis,* cum quo comparari potest *omnimodis,* cetera ab omni aliena exemplo. quae vel librariorum errore (quippe corruptos admodum libros Latinos ferri aetate sua ipse testatur [ad Q. fr. III, 5, 6] Cicero) vel alio casu fraudi fuisse ei satis constat.

Contra non videtur posse negari *us* et *is* finales breves interdum non modo *s* littera truncatas, sed totas omissas. nam aliter Ennii Lucretiique [ann. 337; III, 1033] *famul infimus,* eiusdem Ennii [341] *debil homo* quomodo explicari possint non video. quibus accedit apud comicos identidem recurrens *simil.* alia quaedam magis plebeia omitto [cf. Bergk. opusc. I, 279].

At quae altero loco promuntur Oratoris, habent rectissime, excepto quod neglegentia quadam lapsus in *us* correptam exeuntibus verbis solis tribuit Tullius libertatem, quae pertinet etiam ad brevem finalem *is.* quid quod Lucilius *os* Graecorum in nominativo secundae mutilare sustinuit? cuius sunt illa [XXX, 85; inc. 33; cf. et VII, 2] *scorpio' cauda; ne rhetoricotero' tu sis.*

Igitur usi apocope ista, quae, cum alias significaretur scriptura, plerumque solost expressa sono, Ennius, Lucilius, Aedituus [Gell. XIX, 9, 12], Catulus [ib. 14], Lucretius, Varro, denique semel Catullus versu operum omnium ultimo,

praeterea identidem auctor de figuris orationis, homo provincialis, qui vanitate ingenii ac stultitia vetustissimorum poetarum omnino normam sequitur. ceterum, quod longe magis mirumst, Marius Victorinus affert sotadeum, incertum an ab ipso inventum ad Lucretii exemplar [III, 11], qui non stabit nisi *s* paenultimae voci suptraxeris [2538]:

o mel, quod apes omnibus e floribus libant.

cui similis est insolentia dimeter Paulini [24, 820] '*sic mixtus, ut non mixtus sit*'. contra non scripsit Corippus [laud. Iustin. II, 254], quod ineptumst, *omnibus sufficiunt;* ac ne ultimae quidem barbariae homo qui circa a. 394 christianam fidem versibus adseruit pessimis [anthol. lat. 4, 110 sq. R.] *artibus seu; donatus sepulcro,* verum *artibus heu* (sic Riesius); *donate sepulcro.* apud eundem alibi scribendum [26] *qui* (cd. *quem*) *Iovis ad solium raptus mactatus abyssost* (cd. *tractatus abisset*). — denique vix memoria dignum, quod statuere Diomedes [436], Charisius [249], Consentius [6; 7; 35] dixisse Vergilium *magi* — nam et Diomedem tribuere eidem formam talem agnoscet, qui verba illius legerit —, cum et testimoniis amplissimis et ratione facillima id refellatur.

Praeterea quod coiugatum per contractionem cum correptis *is* vel *us* verbi substantivi illud *est* putat Lachmannus in hexametris non inveniri ultra Ennium, cuius sunt *dictust, datust, paratust,* nimis artis id circumscribit temporum finibus. quamquam quod iubet Victorinus pronuntiari [p. 2467] *audiendust, scribendust, mutandust,* id vel indoctissimo vulgi usu vel potius exemplo antiquissimorum commendasse putandus est, sicut binis saeculis ante illum Gellius, et ipse pronus in imitationem veterum, aliquotiens usurpavit similia. sed videtur Lucilius usus esse illa synchysi ita [inc. l. 98] '*a me auxiliatust*' pro quo libro octavo [791] Prisciani legitur *auxiliatus si est* et undecimo [927] *auxiliatus* vel *auxiliatus et.* nec minus certumst exemplum admissae contractionis in versu ludicro circa finem saeculi a. u. c. VII composito auctoris nescio cuius:

postquam Crassus carbo factust, Carbo crassus factus est,

quem in Analectis grammaticis ab Endlichero editis latentem,

in quibus bis fertur '*factus est*', olim indicavit Hauptius. alium autem versum popularem eodem metro conscriptum et quidem talem:

habeat scabiem, quisquis ad me venerit novissimus

elicuimus ante annos fere XXV ex Porphyrionis verbis, quae adscripta sunt ad Horatii illa [ep. II, 3, 417] '*occupet extremum scabies*'. — denique antiquissimorum imitatione auctor de figuris habet [165] '*dictust Aiax*'. praeterea si recte putabimus Ritschelium tribuisse Plauto illa *rest, virtust, mercest*, non videtur incredibile eundem illum dixisse [137] '*meritost ultus*' pro tali '*meritos est ultus*', quamvis facile adducare, ut scribendum videatur '*meritos ultust*'.

VII.

LIBER SEXTVS.

DE MVTATIS ALIOQVI QVANTITATIBVS SYLLABARVM ET DE VERBORVM TMESI ET ENCLISI.

Iam sicut in ultimis verbis, ita in mediis cum cura illud decuit vitari ab auctoribus Latinis, ne eversis modulis syllabarum pedes permutarentur neve pro iambo trochaeus aut pro dactylo poneretur amphibrachus. et illi quidem doctrinae ubertate et ingenita tuti indole. nos vero plerisque veterum monumentis pridem perditis aut imminutis haerere aliquando et errare in quantitate vocum non est quod mireris.

Veluti non satis constare puto, longane an brevi prima fuerit *gabalus,* deficiente quippe auctoritate. eius primam produxit imperator Macrinus versu tali [Iul. Capitol. 11, 6] '*qualis Latinus gabalus iste fuit*'. sed huius testimonium cum sit minime amplum, maioris poterit videri momenti illud, quod saeculi p. Chr. n. tertii poeta in nomine *Heliogabali* et metro utique dactylico tmesi usus ita '*Helio nam gabalus*' [Pomp. gr. lat. V, 309] aperte corripuit primam verbi istius atque item Sidonius et Venantius in vocabulo Gallicae gentis cognomini sic [propempt. ad lib. 23; miscell. VIII, 3, 161]:

> tum terram Gabalum satis nivosam.
> Privatum Gabalus, Iulianum Arvernus abundans.

conficitur tamen res, si recte Vahlenus, quem secuti sumus, Varronis verba, quae sunt ap. Non. s. v. 'gabalus' [117, 10], redegit in versus. nam prior est talis:

> nos barbari, quod innocentes in gabalum suffigimus.

Praeterea *laser* incertum qua auctoritate in lexicis feratur priore brevi. et in eo quidem, quod est *laserpicium*, *a* producitur haud dubie a Plauto, ut Rudentis v. 630. contra nihil efficitur Catulli loco hoc [7, 4]:

lasarpiciferis iacet Cyrenis.

nam in basi phalaecii perinde iambo locus est et spondeo. — praeterea non satis certum, num a *lasere* descendat vox illa. *laser* autem in libris bonis legere me non memini. contra apud Eucheriam, aetatis incertae, sed serae auctorem, habes [23] *lasera* extenta *a* (ubi codices *lausera*), at apud Marcellinum, eiusdem fere temporis eiusdemque notae scriptorem [54] *laser* explet pyrrichium.

Quodsi alterum ex his vitio saeculi lapsum peccasse in quantitate probabilest, id eo magis condonabitur, quoniam satis constat vel Fridericum Ritschelium, virum doctissimum, aliosque, qui nunc scaenicorum libris student, de quorundam verborum quantitate minus recto uti iudicio. statuunt quippe in illis, quae sunt *diutius, diutissime, diutinus*, longam esse secundam syllabam, quae quidem plerumque cum praecedente per synizesim coalescat. quod quomodo defendatur non video. nam brevem esse *u* primum declaratur eo, quod in *diuturno* — passim id vocabulum apud dactylicos reperitur auctores [ut Ov. trist. III, 3, 78; IV, 6, 50; Germ. progn. II, 54] — eadem semper corripitur. deinde idem declaratur non quidem usu frequenti, sed silentio sane arguto poetarum, qui omnino extra metra iambica abstinuere illis, quae sunt *diutius, diutinus*. sed quid multa? vera res aperte comprobatur exemplis Phaedri hisce [I, 2, 16; III epil. 14]:

sic mersum limo cum lateret diutius.
fruar diutius, si celerius coepero.

quare quod dixere longa secunda *diutinum* Prudentius [peri st. 2, 397; 10, 1116], *diutius* Paulinus [16, 115], haud sane id prudentes rerum nostris anteponent rationibus. quae cum ita sint, Bentleii potius secuti sententiam — qui breviari secundam in verbis, de quibus quaeritur, statuit — damnabimus iam quod legitur in Milite Plauti [502]:

nisi mihi supplicium virgarum de te datur
longum diutinumque a mane ad vesperum.

est autem scribendum:

longumque diutinumque.

in quo praeterquam quod Plautum vitio metrico liberavi, id ipsum placebit, quod geminavi encliticam. nam et est Plautinissimum. ita enim dixit idem in Trinummo [825] '*nam te omnes saevomque severumque atque avidis moribu' commemorant*' et ibidem [876] '*cui ego liberosque bonaque commendavi, Calliclem*'. — aliter autem paullo habet res in verbi quod est *statim* priore, quam qui produxisse videtur Avienus hoc versu [phaen. 398]:

tum succisa Ceres statim cum mergite culmi,

vetustissimorum sequitur exemplum [cf. comm. in Non. 393, 7], sicut et *status* pro *statura* positum per trochaeum effertur a Lucilio [XXVIII, 39]. de qua re dixit Ritschelius [opusc. IV, 271 sqq.]. quamquam apud Avienum in bonis libris est *Cere statio mergite,* nec ineleganter Heinsius: *strati cum mergite.* alibi a dactylicis semper corripitur *a.* nam Venantium, qui et *statim* et *statum* longa dixit priore [cf. Leonis ed. pg. 426], non moror. quod cum ita sit, apud hos non facile invenitur illa vox extra iambica metra et logaoedica. haec quomodo potuerit oriri ambiguitas principali forma supini, quod est *statum,* adhibita demonstravit Ritschelius [l. m. 273]. atque parili ratione factum, quod *itum,* cum corripiat primam litteram vulgato usu, producit eandem aliquando apud christianos, veluti hoc metro Boethii [IV, 6. 40]:

nam nisi rectos revocans itus

et Aratoris [a. ap. I, 836]:

corpusque itura per omne,

seu Sedulii mavis [hymn. 1, 21]:

reppulit ille famem venitus crimine fratrum.

In quo exemplo nequis illud culpet, quod participium praeteriti a verbo activo et intransitivo deductum non videatur posse stare, communi usu poetarum Latinorum pariter antiquissimorum et recentissimorum refellitur. ita enim Lucilius [II, 19] '*sole occaso obductoque tenebris*' ac Laevius '*cupidius miserulo obito*'; mox Paulinus [19, 160] '*ex obitis mortalibus*', et alibi [27, 568] '*ergo probant obiti, quod damnavere magistri*'. ceterum simili audacia usi antiquiores

pariter ac recentiores ut Varro [d. r. r. II, 1, 4], Lucretius [VI, 397], Horatius [s. I, 4, 105; ubi v. comm. nostrum], Corippus [iohann. VI, 253; 484] et quae a *suescendi* exemplo descendunt verba ponunt transitive nec minus ea, quae sunt *piget, pudet, paenitet,* personaliter, tali quidem pacto, ut aut pro accusativo aut pro genetivo adhibeatur casus nominandi. namque ita dixit Pacuvius [Non. 475, 18]: '*proloqui non paenitebunt libere ingrato ex loco?*' item, ut puto, auctor sotadei in Pompeium Magnum iacti [gr. lat. VI, 462] '*qui* (v. *quem*) *non pudet et rubet, non est homo, sed ropio*' et Paulinus [6, 262] '*quicumque hominum vitae commissa prioris paenitet*' et porro [21, 826] '*nunc nova paenituisti*'. idem alio loco [20, 229] '*salva salus homini redeat commissa pigenti*'. contra habes apud auctorem aetatis etiam serae, Octavianum [anth. lat. R. 20, 12]: '*quid placeat nobis, si Venus ipsa piget*' nec minus apud Corippum [iohann. V, 89] '*didicerunt corda dolores impia paenituitque malum*', denique apud Columbanum [monost. 21] '*ne tua paeniteat caveas victoria temet*'.

Sed ut redeam, unde sum digressus, longa priore constat *ratum* tali in versu Merobaudis [paneg. 131]:

> rata fides, validis quod dux premat impiger armis.

et sic semel Porfyrio [16, 27], qui ceteris locis legitimam servat quantitatem. nec minus habes *daturum, datum, futurum* porrecto principio apud auctorem haud sane doctum carminis in genesin [878; 1316; 1345; 1351]:

> promittit decimos daturum se fore fructus.
> quod numerata prius sestertia dataque vati.
> occulitur datum sueto iam more talentum.
> futurum increpitant, quem nectant crimine, servum.

atque ita vix melior scriptor carminis de aegritudine Perdicae [p. L. min. V, 117 v. 107]:

> suspirat numquam requiem daturus amori.

contra *abluta* et *sputa* Sedulius [c. p. IV, 269; V, 102], *elutam* Prudentius [peri steph. 5, 362] correpta posuere paenultima.

Non diversa venit ratione, quod in *subus* communis est prior, cum plenioris formae syllaba altera et cogi possit

cum priore nec minus eadem abici. itaque pyrrichiace illud dixit Lucretius [VI, 974; 977]:

unguentum. nam saetigeris subus acre venenumst.
spurcities, eadem subus haec iucunda videtur.

at idem alibi [V, 966]:

saetigerisque pares subus silvestria membra
nuda dabant terrae;

neque aliter Varro [Eumen. 18]:

an colubrae an volvae de Albuci subus Athenis.

verum ita num prior in eo, quod est *bobus* sive *bubus*, possit breviari parum constat. nam quod de Myronis bucula legitur in epigrammate quasi Ausonii [62, 2; cf. ed. Schenkel. pg. 260]:

aes veluti spirans cum bobus exagites,

id incertum quanam auctoritate a Thadaeo Vgoleto, qui primus protulit, huic sit additum poetae.

Sed singula priusquam exequar, quae tractanda sumpsi hoc libro, refutandum quod creditur errore perversissimo auctores christianos quantitatum cura fuisse vel nulla vel nulli simillima. a qua adeo illi alieni fuerunt pravitate, ut ne propriorum quidem nominum, quae inde ab antiquissimis temporibus liberius sunt habita, temere migrarent rationes metricas. unde haec ponit Sidonius de sanctis quibusdam viris [epist. IX, 16, 81]:

singulos quos nunc pia nuncupatim
non valent versu cohibere verba.
quos tamen cordae nequeunt sonare,
corda sonabunt.

quid quod in fine litterarum Latinarum constanti Eugenio numerorum potius aequabilitatem quam syllabarum quantitatem iniectis nominibus propriis placuit turbari. cuius sunt haec [7, 13]:

sed quia cuncta simul metrum non suscipit unum,
accipe diversis haec variata metris.
Quintilianus adest, Euotius atque Cassianus,
Felix, Lupercus Ianuariusque,
Iulius, Urbanus, Apodemius, inde Primitivus,
Optatus, Publius, Cecilianus.
hic Successus inest, hic Matutinus habetur.
ecce Faustus, ecce Fronto postque Martialis est.

neque aliter Ausonius anapaestico carmini propter *Herculani* nomen senarium iambicum admiscuit [parent. 17], plane ut Critias VIII saeculis ante elegiacis numeris propter *Alcibiadis* [cf. et Terentian. 1561 sqq.]. adeoque Priscianus, ut *Mesopotamiae* vocabulum ineptum metro heroico vitaret, maluit [perieg. 917] *Medamnam* proprio fingere periculo. porro alibi corrupta nominum mensura confitendi ingenuitate mitigatur. veluti scienti sibi admissum quantitatis errorem hisce indicat verbis Prudentius [peri steph. 4, 161]:

quattuor post hinc superest virorum
nomen extolli renuente metro,
quos Saturninos memorat vocatos
prisca vetustas.
carminis leges amor aureorum
nominum parvi facit

et similibus usus ambagibus Terentianus [1368]:

tertium detrecto nomen. lege nam metri vetor.
παρίαμβον namque dicunt, si probatis ἔκτασιν.

Quid quod vel medii aevi poetas minime fuisse faciles ad legitimas, quas putarent ipsi, verborum quantitates invertendas multis constat exemplis?

Verum ut redeam in viam, mutari paullatim et corrumpi pleraque sermonis Latini necesse fuit propter causas diversissimas. e quibus gravis admodum fuit utique immensa ista differentia dictionum ac numerorum, quae per ultima imperii saecula optinuit inter cultos homines et non cultos. nam cum vulgus quantitatum plurimarum sensum pridem exuisset, eis qui metrica carmina componerent — quae quidem et ipsa studiose ut colerentur severitate scholicae disciplinae et tanta veteris artis reverentiast effectum — syllabarum mensurae non vivido elegantiae sensu, sed extrinsecus adscita temperari coeptae sunt doctrina, plane ut illorum tantum non omnibus, qui nunc pangunt versus Latinos. tali modo perceptae prosodiae quam saepe opinandi pravitate seu memoriae errore potuerint perverti facile apparet. ceterum Afros, ut abundant vitiis, etiam quantitatum legibus spernendis insignes fuisse auctor est Consentius [14], quod firmatur exemplis poetarum et Nonii apparet autem sermonem Romanum eo magis fuisse pronum ad corruptelas.

quod non, sicut apud Graecos factum, ullius vocalis diversae quantitates diversitate figurarum sunt indicatae. qua quidem unice ratione evenit, ut ab his, pridem indifferenter habita relicuarum vocalium mensura, tamen *e* et *o* recto efferrentur modulo. nam nec aut Claudius imperator huic incommodo litteraturae Latinae iit obviam aut magni fuit momenti, quod ultimo tempore Chilpericus, rex Francorum, homo plane indoctus, sed qui speciem affectaret eruditionis, cum aliis litteris et *o mega* Graecorum sermoni Romano addidit misitque in universas regni sui civitates epistulas, ut sic pueri docerentur ac libri antiquitus scripti planati pumice rescriberentur [Greg. Turon. V, 45].

Sed iam ad rem propositam enarrandam ut accingar, sicut in ultimis verbis, ita in mediis duplicem ob causam potuit inverti vera quantitas sive necessitate versus seu vulgi ore mutata mensura legitima. unde plurimae sunt exortae rationes eius depravandae.

Ac primum quidem omnium, cum a metro dactylico sint alieni pedes creticus et tribrachus, apparet verba talem mensuram continentia ipsa natura faciliora fuisse ad mutandam prosodiam. porro qualicumque numero proniores erunt ad corruptionem quantitates ineptae.

Eadem res causa fuit adeoque frequentior Graecis (nam Romani optimo tempore intra nomina propria potissimum substiterunt) invertendi modulos. ac sane ex Graecis quae iam enumerabo, paene omnia etiam in Graecis carminibus inveniuntur simili libertate. quaedam a Dorica repetenda dialecto, ut producta prima *Polydamas, polypus, Monychos.*

Igitur versibus hexametris in illo *Italia* semper fuit longa prima, quam vulgo elatam brevem grammaticorum constat testimoniis. unde eandem corripuit Lucilius in iambis ita:

detrusus tota vi deiectusque Italia.

simul et evenit, ut vel *Italus* communem haberet *i.* similiter *Sicania* cum semper expleat paeonem primum, *Sicanus* plerumque efficit amphibrachum. ita Maro in bucolico ad Polionem '*Sicelides musae*', at in primo Aeneidos '*sunt et Siculis regionibus urbes*'. praeterea in *Arabia* principalis extenditur, at in *Arabe* comminuitur. itaque dixit in hexa-

metro Ovidius [met. XII, 466] '*Macedoniaque sarissa*', cum *Macedo* et *Macetes* habeant *e* correptam. melius tamen ille consuluit necessitati quam Luxorius et Arator, qui tertiam in eodem vocabulo produxerunt [321, 1; a. ap. II, 319]. tum semper longa prima adhibentur a dactylicis *Phylacides, Priamides, Polydamas, Polydamanteus* [Silius XII, 212], *polypus, polyposus* [Martial. XII, 37, 2], *Monychos.* quorum ad similitudinem choriambice ponuntur a Iuvenale et Rutilio [7, 204; I, 595] illa *Thrasymachi* (at *Tharsymachi* Ritschelius), *Lachanii.* praeterea sicut *Belides* ab omnibus, a Nasone *Lycurgides* porrecta effertur paenultima [Ib. 501]. dixit de utroque Priscianus [pg. 584], qui et alia eiusdem licentiae adfert exempla, quae tamen auctoritate sunt destituta, ut *Codrides, Lagides.*

Contra ut omittam vulgari usu olim correpta illa *quandoquidem, siquidem,* aperte dactylici carminis propter necessitatem breviata ea quae sunt *Paeonius, paeonicus* [Terentian. 1532], *Hipponius* [Grattius 416], *Leucosia* [Ov. met. XV, 708; Sil. VIII, 580], cum communi sint secunda *Sidonius* et *Edonis.* porro *Edonium* si credemus dixisse Romanos pro *Edono,* ne ipsam quidem non statuemus breviari *o.* quamquam res incerta. veluti Statii Thebaidos V [78] cum codices omnes tutentur formam longiorem, item pars eorum in XII [733], in priore loco etiam scholia Bernensia Lucani [ad I, 675], in eodem breviorem testatur Servius [ad aen. XII, 365]. tum communi vulgo sunt prima *Gradivus, Cyrene, Sichaeus.* denique *Asiam* ut innumeris exemplis tribracho aequarunt auctores, ita Homerum suum secutus [il. II, 461] Vergilius per dactylum dixit [georg. I, 383 sq.; aen. VII, 701 sq.; g. IV, 343; cf. et Catull. 61, 22] *Asia — prata; Asia palus; Asia Deiopea,* omnia de regione circa Caystrum, unde nomen accessisse dicitur tertiae parti mundi, quam producta *a Asida terram* vocavit Ovidius [metam. V, 648; IX, 448], ut Aeschylus in Persis [764 ed. Herm.] dimensus est substantivum *Ἀσίδος* per creticum. — tum *palatium* brevi prima vetustiores poetae, at posteriores inde a Statio haud raro posuere producta. contra *rudere,* quod est asinorum, solis Persio et Ausonio dactylum [3. 9; epigr. 76, 3], ceteris explet tribrachum. deinde cum habeant *i* correptam *auricula,*

fasciculus, folliculus, similia, eadem extenta reperiuntur *canicula, clavicula, craticula, cuticula, tegeticula, febriculosus, pediculosus, siticulosus, somniculosus*. iam *Apulus* et *Apulidas* [Lucil. III, 23] cum semper brevient *u, Apulia* eandem intendit. sed enim prima haud perinde variatur, quin semper habeat *a* longam [cf. Lachm. pg. 37]. unde *Apulos* cretici exemplo usurus posuit Terentianus [1430]. alioquin huius licentiae exempla sunt perrara apud scriptores classicos, quamquam statuerunt homines docti a Statio *arietibus* [theb. II, 492] et, quod verius videtur, *glomere* a Lucretio [I, 360] longa poni antepaenultima. invenitur utrumque verbum et alibi quantitate eadem, verum apud auctores pudendos, hoc est Afros balbutientes, ita [anthol. 209, 6; 244, 17 ed. Ries.; Coripp. ioh. II, 400]: *pulveris ut pilula brevis es, ut glomus hic erras* et porro: *non ariete gravi* et: *non ariete cavas*. alia autem propter paucitatem exemplorum incertumst quam sequantur mensuram. sed haec curiose enumerata Indice Summarii orthographiae ac prosodiae Latinae, quod a. 1878 edidi. nunc pauca tetigisse satis erit.

Veluti non constat, *locustae* prima qua fuerit quantitate. quam produxit Phaedrus metro tali [fab. Per. 30, 7] '*grilli, scarabaei, locustarum copia*', nec minus Corippus [iohann. II, 196], non autem Iuvencus, a cuius elegantia alienum versum, qui legitur post I, 324 in parte librorum, *edere locustas* (vel *locustas edere*) *solitus ruralibus arvis* recte putat Maroldus. contra Turnus satura in Neronem de nota venefica [schol. Iuv. 1, 71]:

ex quo Caesareas soboles horrenda Locusta;

et nequis nominis proprii obiciat diversitatem, in appellativo breviarunt *o* Octavianus [v. 58], Prudentius [diptych. 117], Avitus [V, 194], Eugenius [20, 8]. dein *sabucum* longa prima cum adhibuisset Lucilius [Non. 74, 19]:

ardum, miserum, atrum adque infelix lignum sabucum vocant

(et invenitur aliquando in codicibus illud *sambucus*), inminuit eam Sammonicus [787]:

parva sabucus itemst hircino conlita sevo.

nec aliter idem vv. 102; 337; 503. — porro *magalia* Vergilius [aen. I, 421], qui unus hoc vocabulo usus inter dactylicos, producta protulit prima. sed plerumque id confusum

cum *mapalibus*. itaque sic Consentius [gr. lat. V, 386]: *magalia Afrorum casas*. eandem secuti quantitatem in *mapalibus* Ausonius [periocha Od. XVI] et auctor libri in genesin [1010], cum breviarint primam Maro [georg. III, 340] et Silius [XIV, 7; XV, 421]. denique *angarium* brevi tutius [Lucil. VI, 13] quam producta [Arat. a. ap. II, 902] ponemus antepaenultima.

Est etiam ubi vulgi ore mutata sit prosodia propter etymologiam falsam, quae quidem potissimum solet provenire in verbis vel rarioribus vel originis externae. veluti *Amineas vites* cum dixerit Vergilius [georg. II, 97] et secutus hunc Sammonicus [544] prima brevi, secunda ac tertia longa, Annianus tres priores corripuit ita:

umbra necat teneras Amineas;

Ausonius [epist. 18, 31] per choriambum extulit in fine pentametri. sed utriusque auctoris usus facile explicabitur reputantibus fuisse, qui *Amineas* dictas putarent quasi *sine minio,* sicut *apes* quidam tamquam *ἄπους* acceperunt [cf. Serv. in g. l. m.]. ita *charisma* longa ponunt prima christiani.

Licentiam autem priorum multum intenderunt christiani, partim versus necessitate ducti, partim quod vocabula essent rariora et a communi usu aliena. porro in nominibus Graecis praeter reverentiam eorum, quae ad cultus sacra auctoritatemque bibliorum pertinerent, multum peccatum pronuntiationis Reuchlinianae vitio, quod iam apud Graecos ultimorum temporum fuit pervulgatum. igitur *αι* et *ει* vel *η* quod saepe sunt correptae, quid mirum cum illa per *e*, hae per *i* breve plerumque efferrentur. praeterea, quae Graecis obstitit diversitas pro quantitate formarum *e* et *o* sonorum, in Latino sermone non potuit esse impedimento ne promiscue adhiberentur. ac ne *οι* quidem metuerunt corripere recepta per eundem pronuntiandi modulum, de quo supra dictum, *ι*. igitur apud Ausonium et in Anthologia *solicismus* et *Idipus* inveniuntur correpta antepaenultima [epigr. 138, 4; 180, 3 R.].

C e t e r u m non eadem frequentia usi christiani in quantitatibus invertendis. scilicet modesti fuere praeter nomina propria Iuvencus, Avienus, Priscianus, quibus aliquanto sunt minus cauti ceterorum plerique. nos ne nimium lectorum

otio illudamus, Prudentii Ausoniique et Paulini cum Sidonio potissimum enarrabimus vitia in prosodiis constantia, e quibus haud sane pauca etiam aliorum usu sunt comprobata.

Igitur producta ob solam necessitatem metrorum contra ius fasque prima habentur horum libris potissimum haec:

anachoreta [Sid. euch. ad Faust. 97], Araneola [Sid. epithal. P. et A. 147], basilicis [Paul. 28, 37], blateraret [Prud. peri st. 10, 913], charismata [Prud. c. Symm. II, 1046], Danaidum [Paul. 35, 480], Galerio [Prud. peri st. 7, 6], Macharii [Sid. euch. ad Faust. 100], paradisi Paul. 24, 772], Philocteta [Sid. ad Magn. Fel. 153], philosophorum [Sid. epithal. Pol. et Aran. 43], physica [Sid. epithal. Pol. et Aran. 101], pugilibus Prud. c. Symm. II, 518], Quirinus [Prud. peri st. 7, 36], smaragdina [Prud. psych. 862], scaturire [Paul. 21, 849], Thaletica [Sid. epith. Pol. et Aran. 89], trabalibus [Paul. 27, 435], Tricipitine [Sid. propempt. ad lib. 40], Valeriane [Prud. peri st. 11, 2], Valeriorum [Prud. peri st. 4, 80], Vesevi [Paul. 19, 541].

at secunda extenta reperiuntur talia:

Agrigentini [Sid. pan. Anthem. 367], cyanea [Prud. psych. 858], delibuta [Prud. psych. 312], diabolus [Paul. 19, 528], gelasianos [Sidon. ad Cons. 301], Geryone [Sid. XIII, 13], hecatomben [Prud. peri st. 10, 1051], margaritum [Prud. psych. 873; cf. Arat. II, 336], matricida [Auson. de mort. XII Caes. 6; Sidon. V, 290], Nabataeum [Sid. ibid. 284], parricidae [Aus. tetrast. de Caes. 21, 2], Pompiliorum [Prud. peri steph. 10, 403], pupugerat [Prud. peri steph. 9, 59], redimitos [P. psych. 687], regifugium [Auson. de fer. Rom. 13], sacrificiis [Paul. 36, 78], syllogismis [Sid. paneg. Anthem. 175], Tauromenitana [Sid. ad Magn. Felic. 163].

est etiam, ubi in quarta aut tertia a capite inveniatur porrecta vocalis velut in illis:

Araneola [Sid. epithal. P. et A. 147], Hippocratica [Prud. peri steph. 10, 498], Pherecratio [Sid. ep. IX, 13, 10], Philimathiam [Sid. ep. II, 8, 4].

Omissum *Bonifacii* exemplum [Sidon. c. IX, 279], quod in editione priore posueram. nam scribendum *Bonifatium*, ut Graece habetur *Eutyches*, interim demonstratumst a Pottio ac Schmitzio [opusc. 140 sq.].

Iam considerantibus exempla ista facile apparebit, quam vel apud christianos aliarum rerum cura prae metri lege fuerit contempta. quod non minus confirmatur correptis plerumque, ut versui satisfiat, syllabis eis, quae habent accentum grammaticum, sicut fit in his quae sunt:

> Adriani [Prud. c. Symm. I, 274], Archyta [Sid. pan. Anth. 176], Cyprianum [Ven. misc. VIII, 6, 270], detur [Luxorius 337, 6; Dracont. 8, 314; 9, 226], lugubri [Prud. cath. 9, 79], spiritu [Sed. hymn. 1, 110; Paul. 21, 271], tibicines [Sed. c. p. III, 134], triduo [Sed. c. p. V, 244].

quid quod et illud identidem admisere, simul in eadem parte orationis accentu grammatico insignita ut breviarent, at vacua eodem producerent? quale habes hoc versu Luxorii [351, 2] '*inpleret cuncti viscera negotii*' aut Venantii tali [misc. VII, 12, 249] '*arctos, meridies, oriens, occasus honorat*'. quae cum ita sint, non absurde statuetur, quantitatum quae apud christianos inveniuntur a classicorum auctoritate diversa, ea ferme non tam inscitia aut alienis curis quam numerorum gratia provenisse, cui facilius scilicet licentiae indulgeretur, si etiam alia excusatione defenderentur novanda in mensuris. unde quae plerumque falso modulo, alibi ab isdem efferuntur integra. ceterum auctores istos neglegentia potissimum inductos gnaram ipsis omisisse in metris veritatem etiam probatur exemplo sat notabili Martiani, qui in eo, quod est *fio*, priorem cum ipse testetur esse longam [V, 517], tamen haud raro corripit. sane facilem veniam delictorum licuit sperari eis, qui haud dubie nacturi essent auditores lectoresve ipsis multo minus suptiles ad mensuras verborum. itaque ubicumque in mutandis syllabis christiani sua usi sunt ratione, ante omnia perito iudici considerandumst illud, metrorum quaenam fuerit necessitas.

Iam cetera antequam aggrediar, denotandus est error gravissimus eorum, qui accentus propter vim aliquando a poetis classicis correptam vocalem existimarunt produci.

quod ne christiani quidem admiserunt nisi duabus exceptionibus, quae ponentur infra.

Scilicet accentus nullam fuisse facultatem ad syllabam porrigendam vel ea re demonstratur, quod hoc insignitae interdum sunt correptae, velut in illis *amaverĭmus, amaverĭtis, sĭquidem, quandŏquidem, utĭnam, utĭque,* quodque non prohibitum, insignita eo vocalis quin eiceretur, quod vides fieri in *extinxem, traxe, duxti,* similibus.

Contra non potest dubitari absente accentu certe in finalibus si non effectam, certe adiutam correptionem, id quod superioris libri plurimis comprobatum exemplis. et hanc licentiam quin etiam ad eas verborum partes, quae praecedunt vocalem accentu praeditam, traduxisse videantur christiani non intercedo.

Sed ne apud hos quidem ad producendam brevem valuit accentus nisi condicione duplici, primum in eis, quae non ex vulgi usu, sed ratiunculis grammaticorum haberent accentum, ubi non deberent, deinde interdum in Graecis.

Veluti cum grammatici quidam, vel analogiae causa vel ut distinguerent similia sive exemplo ducti Graecorum, adfirmarent in *affatim* acuendam secundam, ut in composito (sicut alii pronuntiarunt *adeo* adverbium media acuta), item in *Valeri* ac similibus, sive genetivus is esset sive vocativus, in *Musăque, utrăque, eădem* aliisque, quae monosyllaba particula finirentur, de qua re dixere multi, ut Gellius VI, 7; XIII, 26; Diomed. pg. 428; Serv. in aen. I, 116, non defuisse videntur, ne florentissima quidem aetate linguae Latinae, has qui pronuntiando repeterent argutias. sed syllabas perperam acutas qui producerent veteremque errorem aggravarent novo, primi extitere christiani. libet exempla apponere. itaque Arator [a. ap. II, 326]:

> suppetit adfatim exemplorum copia, nosque;

Sidonius [paneg. Av. 104]:

> quae quondam regina fui. Capreasque Tiberi;

at idem alibi [pan. Mai. 321]:

> post Capreas Tiberi.

ac rursus [115]:

> Eucherii venientis iter, redeuntis Hilari.

atque ita *eadem* porrecta legitur secunda apud Prudentium [peri st. 1, 3] et Ausonium [XI, 2, 8 ed. Sch.], nec minus *utraque* [cathem. 10, 5; peri st. 3, 80; apotheos. 320; epigr. 95, 2 ed. Sch.; epist. 1, 22], item apud illum *ridendaque* [c. Symm. I, 630]. nec enim hi solent poetae promiscue producere brevem sequente *qu*, de qua licentia pluribus dictum initio l. V.

Iam quod et aliis exemplis quibusdam habentur christianorum in libris productae syllabae accentu insignes, ut in eis, quae sunt *crapula* [Prud. ham. 323], *centurio* [Sed. hymn. 2, 54], *chlamyde* [Mart. IX, 999, 11], *gula* [Lux. 314, 1], *Sardinia* [Prud. c. Symm. II, 946], *spado* [Ar. a. ap. I, 673], *tinea* [Sed. c. p. IV, 21], haec et similia quaedam, ut raris vocabulis vel peregrinis, in his nota libertate, in illis incerta potissimum priorum auctoritate evenisse statuemus, quibus causis etiam alibi plerumque iusta immutatur mensura. porro sunt apud deterrimos christianorum, quae nulla excusatione, sed sola neglegentia evenisse existimem, ut puta Martiano *palam* [I, 91, 13] vel *habitu* [II, 219, 6] posita longa *a*.

Magis videtur optinuisse, ut vocales longae accentus ob defectum breviarentur. ita enim habes correpta prima:

> Darios [Aus. ep. 5, 23], Darii (per anapaestum) [Sed. I, 196], ganeonis [Prud. ham. 321], Nolanus [Prud. p. st. 11, 208], rubigo [Prud. psych. 105], temulentus [Pr. c. Symm. I, 135]

ac secunda:

> Aquitanica [Aus. III, 21 Sch.], Chelidoni [Prud. p. st. 11, 237], controversiarum [Sid. ep. VIII, 11, 29]

sive tertia:

> calceamenta [Prud. p. st. 6, 74], concionaturum [Sid. euch. ad Faust. 125], Papianilla [Sid. prop. ad lib. 37].

At in Graecis vocabulis non omnino negarim accentu ipso grammatico aliquando produci breves. nam ut omittam quaedam non satis certa, qualia sunt *Cragus* [Av. descr. orb. 1013; Prisc. per. 801], *magus* [Ambros. 5, 12; Probae Cent. praef. 8], *sophia* [Prud. c. S. I, 34] trochaei vel amphibrachi instar posita, quod Prudentius *Asclepiadem* [p. st. 10, 42], Sidonius *Asiagenem* [pan. Av. 80] et *Euripidem* [IX, 234],

Priscianus *Pisidam* [perieg. 808], Maximianus *Socratem* [1, 48] dixere extenta paenultima (plura autem multo talia habet, quod non mirere, Venantius), non facile alia ratione quam ipsa vi tonorum potuit evenire. adiuta autem res eo, quod constat non defuisse apud Romanos, qui in Graecis verbis, etiam si Latinis redderentur litteris, accentus servarent externos. — nec vero exemplorum supra positorum vis infringitur eo, quod a Corippo [iohann. II, 400] et auctore quodam Anthologiae [244, 17 R.], ut supra docui, illud *ariete* ponitur producta paenultima. id enim, perinde ut alia quaedam productae contra quantitatum legem exempla paenultimae apud pessimos auctores, metri inevitabili quadam expressum necessitate, quae non adfuit vocabulis modo memoratis. at *Macedo* ab Aratore cum longa adhibeatur *e* [a. ap. II, 313], notandum et apud Graecos inveniri secundam porrectam. porro erit quaerendum, quam ob causam in illo *Salamis* secunda intendatur ab Avieno [descr. orb. 679]. — sed longe saepius accidit in Graecis, ut longas breviarent Latini eas, quae peregrino sermone ante syllabam accentu insignem essent positae. scilicet magis magisque intercidente eruditione liberali quid mirabimur in occidentalibus terris doctores Graecos, si modo ulli essent, non hercule fuisse meliores quam Latinos? nam et in Graecis posteriorum temporum libris plerumque similes paresque carminibus Romanis admittuntur errores quantitatum. quae cum ita sint, non erit mirum quod inveniuntur correpta altera *Euripides* [Sidon. IX, 234], *Pamphylia* [Avien. descr. orb. terr. 1013], *Laestrygones* [Sid. epigr. ad Maior. 19], *Stymphalides* [Aus. id. 19, 5]. sed longe magis ea licentia ad secundam a fine penetravit syllabam earum vocum, quae apud Graecos essent proparoxytonae. ea breviata adhibentur cum alia tum haec *Abydus* [Av. descr. orb. 693], *Acindynos* [Aus. epigr. 41, 1; 3], *allophylus* [Prud. ham. 499], *Aratus* [Sid. ad Cons. 113], *arthrisis* [Prud. p. st. 10, 495], *axioma* [Mart. IV, 327, 4], *azymon* [Prud. apoth. 353], *Corcyra* [Av. descr. orb. 662], *Hellanicus* [Av. or. mar. 43], *Libyphoenices* [Av. or. mar. 421], *Pachynus* [Prisc. perieg. 89], *Serapis* [Prud. c. Symm. II, 532; Paul. 19, 100].

Praeterea longe efficacissimus ad invertendas rationes prosodiacas fuit in Graecis mutatus modulus sonorum, qua causa et in Latinis quaedam sunt correpta. nam apud Romanos diphthongus *ae* iam tempore satis vetusto cum sonuisset ferme simplicem *e* [cf. Varr. VII, 96], sed longam, mox coalito errore eadem breviari coeptast. eius mali prima initia versu Lucilii indicantur, quo unum ex Metellis, quorum erant insignes cum P. Africano inimicitiae, praetorem urbanum factum irridet ob falsam pronuntiationem et muneris proprii et nominis. nam verendum esse, pravo more servato *Cecilius pretor ne rusticu' fiat* [IX, 9; cf. et 10]. mox pedicare pro paedicando dixit auctor Priapei illius [67, 1] '*Penelopes primam Didus fac prima sequatur*', nisi potius statueris Romanos ad vitandum κακέμφατον Penelopen cum diphthongo extulisse sicut *sceptra* et *scenam*. iam corripere *e*, quae posita esset pro *ae*, in Latinis verbis non equidem saepe sustinuerunt poetae christiani. ita tamen habes apud Prudentium, sed cogente metro, *cerimoniam* cum brevi prima [praef. c. Symm. I, 5]. porro imminuta similiter diphthongo dixere *merorem* Flavius Felix [Mey. 295, 17], *quesumus* Luxorius [325, 7], *penitudinem* Octavianus [235]. praeterea Paulinus Petricordiensis pariter cum Venantio haud raro probavere similia. sed longe magis eadem licentia in Graecis vocabulis usurpatur, non quidem Latino potius more quam alienigeno, id quod posteriorum temporum inscriptionibus satis declaratur, unde et *οι* illorum aliquando invenitur attenuatum. igitur habes apud Prudentium Ausoniumque et Paulinum breviata haec:

> Betis [Paul. 10, 236], Citheron [Aus. idyll. 11, 32], Clytemestra [Aus. ep. her. 1, 4], enigma [Pr. apoth. 331], heresis [Pr. ham. 64], romphealis [Pr. cath. 7, 93], solicismus [Aus. epigr. 138, 4], sphera [Prud. apoth. 210].

huius prima vestigia erroris deprenduntur versu Sammonici [799], quem ita scribendum esse existimo '*necte hederam adque adipes vituli simul et chamecissum*', cum Turicensi codice minus bene habeatur '*hedera necte adipes vituli simul camecissum*'. sed ab eodem difficile ad credendumst in *Baeti*, flumine Hispanico, priorem syllabam esse extenuatam ita

[1113] '*sal niveum sumes, Beticum quod nomine dicunt*', cum praesertim vix apte habeat *nomen* positum pro *cognomine*, in quo versu omnino contendimus esse reponendum '*Baetis quod nomine dicunt*'. tamen plurimum licentiae traxerunt apud Romanos η et ω, quippe quae, cum propriam naturam pridem exuissent, non, ut Graecis litteris, etiam Latinis specie ipsa et adspectu ab eiusdem soni brevibus segregarentur. nam et similiter diphthongus ει idem illa aetate quod *i* correptum sonuit. — ac primum quidem frequenti usu breviatur a christianis secunda in *ecclesia*, *mysterio*, *psalterio*, *idolo*, *idolio*, *idolico*, *idololatro*. quibus exemplis similia infracta η vel ω vel ει reperiuntur cum alibi haud pauca tum in verbis hisce:

> beryllus [Prud. psych. 855], Ctesiphon [Sid. ep. IX, 13, 21], diastema [Sid. epithal. Pol. et Aran. 64], ethicus [Prud. ham. 580], eremus [Prud. ps. 371], Euphemia [Sid. pan. Anthem. 482], mathesis [Prud. c. Symm. II, 479], Marcionita [Prud. ham. 128], Phaedone [Sid. pan. Anthem. 178], paracletus [Prud. p. st. 10, 430], Phidias [Aus. epigr. 12, 1], phrenesis [Prud. ham. 124], phonascus [Sid. ep. IV, 11, 13], poesis [Prud. c. Symm. II, 52], Polyclitus [Pr. p. st. 10, 269], tetragonus [Aus. de puerp. 21], trigonus [Aus. idyll. 11, 50].

Praeterea observandum saepe corripi syllabas longas tales, quae post se haberent *i* brevem cum altera vocali, velut in hisce quae sunt

> copiosior [Octav. 64], denarius [Sed. c. p. II, 275], duodenarius [Arat. a. ap. I, 116], Florianus [Ar. ep. ad Flor. 2], inscitia [Boeth. IV, 5, 21], Iulianus [Ven. misc. VIII, 6, 270], Iustinianus [Cor. laud. Iust. I, 251], Maiorianus [Sid. pan. Maior. 104; Mey. 874, 2], meridianus [Paul. 24, 917], Nepotianus [Aus. prof. burd. 16, 4], seplasia [Aus. epigr. 123, 4], suffragium [Paul. 35, 616], Vespasianus [Aus. monost. de XII Caes. 10 ter].

et potuere addi multo plura. in his igitur praeter alias causas credo adiutam correptionem proprietate *i* litterae ante vocalem sitae illa, qua temporibus isdem et parili

condicione *t* et *c* sonum mutaverunt. ceterum similia quaedam supra in classicorum usu notavimus. — porro etiam *i* cum liquida addita aliquando breviatur vocalis praecedens. ita ducta a *mamma mamilla,* a *puso pusillus* primam contra legem corripuerunt. nec minus variant illa '*scribo, scribilitarius, conscribillo; vacca, vacillo*'. ex quibus *scribilitarius* invenitur hoc versu Afranii [161]:

'pistori nubat'. — 'cur non scribilitario?'

non dissimili ratione evenit, quod breviantur *ofella* et *Catillus.* ita *imbecillus* cum a classicis efferatur longa altera, correpta eadem usurpatur a Prudentio [praef. apoth. 31; cath. 11, 99]. a quibus sunt aliena, quae infringuntur derivatione ea, qua producitur insequens syllaba, velut a *Sabo* oriundo *Sabini,* qualia eadem lege mutant primam, ut *notare* vel *mutoniatus.*

Tum in partibus orationis simplicibus si vocalem natura brevem geminata sequitur consona, suptracta altera principalem mensuram rursus optinere verumst. velut *hinnire* et *tinnire* ut ceteri longa prima, ita illud Laevius [frgm. 10], hoc Terentianus [232] posuere brevi. deinde *Porsennam* alii pro antibacchio, quidam adhibuerunt dactylice. praeterea *Allia* quamquam semper invenitur in versu prima longa, tamen quin aliquando tribrachum sonuerit non potest dubitari, cum dicat Servius [ad aen. VII, 717] a Vergilio in ea propter metrum geminari *l,* ut in illo *reliquiae.* — at de Graecis nominibus quae *corallia* Claudiano [10, 169], ceteris dicuntur *curalia* correpta secunda. tum semper breviantur necessitate metri quae descendunt ab illo ῥόος, ut puta *Calliroe, Ocyroe, Alexiroe.* nam et eadem causa *chaerephyllum* choriambice effertur a Columella [110]. — denique in barbaris nominibus *Alamannorum* et *Marcomannorum* pro diversitate principis syllabae variat tertia [Claud. 24, 17; Stat. silv. III, 3, 170]. at *Britannus* et *Britannia,* vocabula a *Brittone* deducta, numquam praeter unum Lucretii versum [VI, 1104] geminata *t* et longa prima adhibentur.

Iam auctores christiani vel hanc libertatem ultra quam decebat cum intendissent, extulere correpta vocali ea, cui duplicata vulgo adderetur consona, talia: *colloco* [auct. carm. in genes. 328], *opportunus* [Paul. 27. 503], *parricida* [Prud.

hamart. 564], *supplex* [Porf. 14, 11; 25], *supplico* [Damas. ap. Daniel. I, 9, 22], praeterea Graeca *ecclesia* [Paul. 15, 117, alibi], *abyssus* [Paul. 19, 651]. — ceterum composita voce in confiniis partium cum meliore utique poetarum usu producatur vocalis praecedens — nam Lucilius et Lucretius quod dixere *coruptum* brevi prima [IX, 2; VI, 1133], migrasse videntur veritatem analogiae quodam studio, sicut alii contraria usi ratiocinatione *conire* dixerunt pro *coire* [Quint. I, 6, 17] vel *conauditum, coninquere* [Paul. diac. 65; 64] —, poterit videri acutius quam verius statuisse Lachmannus [p. 136] Gellii l. II [17, 8; cf. comm. Hertzii], ubi exempla afferuntur productae praepositionis *co,* scribendum esse pro *colligere* — sic enim vulgo fertur — *coiugare.* nam sufficiet puto vocabulo isti alteram eximi *l.* ceterum ut hic *coligare,* dixit *colocare* Porfyrius carmine ad Bassum [21, 11]. sed usi invento Lachmanni in versu comici nescio cuius, cum sit traditus talis [inc. inc. fab. 24]:

sed sibi cum tetulit coronam ob colligandas nuptias,

reponemus illud, quod unice exigitur sensu, *coiugandas.*

Iam incidit tempus de producta seu correpta vocula *red* exponendi. quae ab antiquissimo tempore per compositionem plerumque amissa ante consonam *d* cum breviaretur, tamen haud raris exemplis evenit, ut ipsius finalis servaretur.

Notum etiam in prosa semper dici *reddo.* porro *recidendi* vocabulum, quando corripit secundam, primam apud dactylicos producit assimilata *d* [veluti Ov. metam. VI, 212; X, 18; Iuven. 12, 54; Phaedr. III, 18, 15], excepto quod ultima aetate auctor Orestis tragoediae [v. 757] scripsit:

et super ossa ruam recidens spirantis Egisthi.

quid quod apud Terentium Hecyrae prologo altero [47] in principio senarii Bembinus praebet *reccidere?* ita *reccidit* perfectum apud Plautum habes in Poenulo [1369]. adeoque Menaechmorum [520] versu hoc:

omnes in te istaec recident contumeliae

Studemundius, locupletissimus iudex, testatur in Ambrosiano legi *reccident.* quod tamen metrum non recipit, nisi altior latet corruptela. nec non extenta ubique primore in-

veniuntur perfecta, quae sunt *reperi, repuli, retuli*, ut certum sit debere in his duplicari *p, t* consonas. quod cum ita sit, non intellego, quanam possit stare ratione, quod Ritschelius de coniectura Plauto tribuit metrum tale [Men. 683]:

mihi tu ut dederis pallam et spinter? numquam factum repereris.

quamquam Corippum et ultimorum imperii temporum homines non moror. nam sane ab illo breviatur prima in eo, quod est *retuli* [iohann. V. 460; 596; VI. 153, alibi; cf. et carm. Perdicae p. l. min. V. 124 v. 264]. atque in *retulit* primam aetate sua perinde correptam atque in *reliquiis* et *reducendo* testatur Victorinus pg. 2480. — magis mirum quod Ausonius in eodem disticho et antiquam et novam probavit prosodiam [epigr. 23, 3]:

at qui condiderat, postquam non repperit aurum,
aptavit collo, quem reperit, gladium;

nisi forte praesens tempus voluit esse loco altero. — nec dubito quin etiam *repuli* analogiae iure tum sit elatum per anapaestum, quamquam exempla non suppetunt.

Ceterum cum librariis monachis origo productae in praeteritis istis primae satis esset obscura, plerumque per interpolationem traxere vitium verba ista. ita, ut hoc exemplo utar, restituendumst *retulit* pro eo quod vulgo fertur *detulit* hisce Aratoris [II, 1045]:

fas est modo credere cunctos
corpora de tumulis iam posse resurgere, postquam
detulit inde suum qui condidit omnia Christus.

nam illud quod nos proposuimus et communi poetarum christianorum usu et Lucretii firmatur exemplo dicentis de Epicuro '*totum immensum peragravit mente animoque. unde refert nobis victor, quid possit oriri, quid nequeat*'.

Porro *reliquiae* et *religio* et *religiosus* retinuerunt longam primam. et ita *relicuus* apud Lucretium positum invenitur. quod tamen dactylici numeri necessitate, non vivido vulgi usu evenisse ut existimem, hac causa permoveor, quod grammatici unico consensu asserunt metrica licentia geminari in istis vocabulis *l*, et magis, quod *relicuus* inde a s. p. Chr. I, postquam trisyllabum factumst, numquam non implevit tribrachum [cf. Lchm. pg. 305]. nam et eadem illa semper

in iambicis metris corripiuntur [Ter. ad. 444; Phaedr. I, 22, 6; IV, 11, 4; Sen. Oed. 1021; Prud. p. st. 10, 259]. — praeterea perbona poetarum auctoritate firmatur producta prima praeteritum *retudi* [Phaedr. IV, 25, 22; Claud. 28, 302]. sed hercule neque Phaedrus scripsit *retines* versu hoc [fab. Perot. 10, 12]:

et tu nisi istum tecum adsidue retines,

scripsit *detines*, nec Merobaudes *reppetiere* loco tali [paneg. Aet. 107]:

nec dicere mussant.
reppetiere palam, iam quod sententia mundi
cunctorumque fides nullis auctoribus ambit.

in quibus *reppetiere* per coniecturam positumst a Niburio pro eo, quod est in libro Sangallensi, *repperiere* vel *redpetiere*. displicet praeter metri labem oratio asyndeta. scribendumst '*sed petiere*'.

At quae alioquin apud dactylicos prostant exempla *re* productae aut usque ad Lucretii aetatem aut ultimo provenerunt tempore, qualia minime Vergilio ac Nasoni et perfectae artis tribuas poetis. igitur habes apud Lucretium Luciliumve adaucta prima [I, 228 al.; II, 1001; XXX, 3] *reducere, relatum, relictum.* contra in Lucilii V [38] quod ferebatur olim '*nam omnibus unu' dolor receptu' labosque*', cum traditum esset *dolo recaptus*, in editione nostra iam mutatumst. — antiquissimos autem secutus *relationem* longa principe posuit auctor de figuris [v. 28]. *reducendi* verbum cum saepe apud scriptores optimos inveniatur prima brevi, producta eadem non reperitur nisi binis serorum temporum epigrammatis ita [schol. Pers. I, 86; Mey. 656, 1]:

a, quotiens umbra reduxi brachia mota.
coniugis arte decus patriae reduxit Iason.

quare minus placet, quod in illis Vergilii [aen. V, 428] '*abduxere retro longe capita ardua ab ictu*' legit Victorinus [2481] *reduxere.* similiter quod probatur plerisque apud Horatium [sat. II, 3, 191] '*di tibi dent capta classem reducere Troia*', tuto nos spernemus prae dittographo *deducere.* — denique christianorum poetarum libris productum aliquotiens invenitur *re* propter necessitatem metricam. ita habes longa prima illa: *reperit* [anthol. ed. R. 2?6, 2]. *re-*

perimus [Dan. I. 38, 12]. *reperies* [Paulin. 18, 313]. *reperiens* [Sedul. c. p. V, 142], *reperiare* [Orient. common. II, 160], *repertor* [anthol. Ries. 82, 12], *recolitis* [Martian. I, 93, 49], *recondens* [Paulin. de v. Mart. IV, 344]. sed apud Venantium [II, 4, 35] recte libri: *in cruce rex fixus*, non: *refixus*. ceterum quod tam saepe *reperiendi* in verbo intenditur princeps, perfecti memoria fuit causa.

Tertia autem littera in perfectis *reperi*, *repuli*, *retuli*, item in *recidendo* plerumque a librariis ponitur duplex, idque a grammaticis quibusdam asseritur. in ceteris mirifice variatur. sed error quo vitetur, potius erit, ubicumque *re* producitur, geminari consonam insequentem.

Iam ceteras quantitatum in compositis verbis aut derivatis enarrabimus proprietates, mox flexionum notabilia quaedam persecuturi.

Ac primum quidem incerta de causa praepositio *pro* non per se stans plerumque breviatur. de qua re dixit Servius in libello de finalibus [gr. l. IV, 450]. a dactylicis imminuitur fere exemplis hisce: *procella* (excepto versu aetatis ultimae, quem habes apud Isidorum [I, 35, 13] *nubila, nix, grando, procellae, fulmina, venti*), *profari* (apud Ausonium XIII, 54 recte pars librorum *praefando*), *proficisci, profecto, profugus, protervus* (antiquior tamen forma fuit *propterrus*, quae invenitur apud scaenicos). sed ceterorum pleraque apud classicos auctores et magis apud christianos magna fluctuant diversitate.

Igitur apud illos semper corripiuntur *profanus, profundus, propitius, profanare, profiteri*, cuius tamen primam in tragoedia produxit Ennius [v. 86], *profugere*. quae a christianis aliquando porriguntur [*profanare* Iuvenc. II, 578; *profiteri* Iuv. II, 351; *professio* Arat. a. ap. II, 386; *profugere* Iuv. II, 473; *profundus* Damas. 7, 17; *propitius* Dracont. satisf. 14; *propitiare* Prud. p. steph. 3, 215; *propitiabilis* ibid. 14, 130].

Deinde adnotabo communi ferri prima ea, quae sunt *procurare, propagare, propaginem*, ut tamen saepius multo brevietur. at illud *profundere* cum tribus non amplius exemplis in classicorum libris habeat *o* productam [Catull. 64, 202; Lucan. VII, 159; ubi cdd. plerique *perfudit;* Claud.

47, 14], certatim eadem porrecta a christianis [cf. Avian. 35, 1; Paulin. 14, 68; 30, 72; Priscian. perieg. 974; Drep. epist. ad Vulf. 5; Eugen. 5, 10]. sed *Proserpina* semper exceptis singulis Horatii [c. II, 13, 21] ac Senecae [Herc. fur. 549] versibus adhibetur prima longa, nec minus *propulso* [cf. Ter. Andr. 395; Varro Prom. lib. 1; Orient. de trin. 54] aut *propello* integra efferuntur praepositione, praeterquam quod in fine hexametri bis Lucretius [IV, 193; VI, 1025] habet tale '*provehat atque propellat*'. porro *propudium* cum a scaenicis brevietur, a Rutilio *propudiosus* [I, 388] necessitate numeri dactylici producitur. tum *proficere* cum paeonem aequet primum, brevi principe adhibetur a Symphosio [16, 3]. itaque substantivum ab isto verbo oriundum *profectus* imminuta *o* usurpatur ab Ausonio [idyll. 4, 71] et Paulino Nolano [21, 310], item a Paulino Pellaeo [6; 64; 116]. denique ut *proneptim* Persius [6, 53], sic Ovidius [metam. X, 606; XIII, 142] *pronepotem* brevi dixit prima, quam agnoscit Servius [gr. l. IV, 450], cum servata longa posuerit Sidonius [epithal. Ruric. et Hiber. 133], item Avitus [I, 177; IV, 175]. ita et *profluus* tenuato initio fertur apud Paulinum Petricordiensem [vis. nepot. 6]. praeterea e Schneideri didici libro [I, 578] a deterrimis christianorum etiam in *procreando, proluendo, prosequendo* correptam praepositionem.

Ceterum quaedam propter inopiam scriptorum minus gnara nobis. velut *prosapia* cum ab Orientio ponatur prima longa in Commonitorio [II, 356], ceteris in locis ubicumque invenitur (occurrit autem apud classicos poetas numquam, apud christianos raro admodum), ambiguast eadem. confirmatur tamen Orientii auctoritas versu Prudentii (modo sit huius), quem in Apotheosi post 937 addunt libri quidam:

quid peccatorum prosapia corpore in illo,

omittunt plures et potiores. quamquam nec alienus est ab elocutione Prudentii et potuit facile intercidere propter idem insequentis principium. — porro quod testatur Sergius [gr. lat. IV, 478] correpta *o* inveniri illud *proflare*, nusquam non producta legere me memini.

At e Graecis vocabulis *propola* quibus constat exemplis [Lucil. V, 19; Prud. hamart. 760], porrectam exhibet prae-

positionem, quam communem facit *propino* [cf. Martial. III, 82, 25; 31]. item *proboscis* in epigrammate aetatis ultimae producit *o* [anthol. 195, 3; 196, 1 ed. R.]. porro *prologi* prima cum semper intendatur a scaenicis, ut *prologium* a Pacuvio [Paul. pg. 226], aliter a Rufino adhibetur [2709]:

nam prologos trimetro didicit componere versu.

denique *Procopium* incertum carminis dactylici necessitate an Latini sermonis secutus proprietatem paeonis primi instar posuit Sidonius [pan. Anthem. 68].

Praeterea cum pridem ex memoria abisset hominum *coperire* ortum ex *cooperire* (iam Gellio id ignoratum docet II, 17) et *conectere* dictum pro *cognectere* et *copulare* pro *coapulare*, haec verba non mirum brevi prima adhibita a Venantio [II, 3, 14; 4, 8; VI, 1, 119]:

dum pallas coperit signa gerendo crucis.
carne creata viri dehinc copulatur eidem.
quae duo regna iugo pretiosa conexuit uno.

dubitatur tamen a multis de versu primo. sed enim illud *copulatur* ipsa arte carminis, cuius omnes versus eodem constant numero litterarum, firmatur. quo minus probandum, quod Dunius apud Dracontium 7, 36 scripsit *copletur* pro *copuletur*. itaque *cogere* imminuta *o* dicitur a Luxorio anacreonteo tali [309, 7] '*posuit cogente nullo*'. non dissimili causa evenit ut corriperetur prima in his, quae sunt *denuo* [Prud. p. st. 10, 797], *ebrius* [Eug. 5, 11], *elegans* [Damas. ap. Dan. I, 9, 5], *enervare* [Prudent. cath. 8, 64], *enormis* [Sed. c. p. III, 265], nisi illa *enervare, enormis* statuemus, id quod placuit Salmasio [ad Spart. p. 61], per ultimam imperii Romani aetatem sonuisse initio *i* potius quam *e*, ut falso veriloquio inductos peccasse existimetur christianos. praeterea aliquando breviatast a poetis christianis inseparabilis illa *se*, cuius recta mensura, cum non staret vocula per se ipsa, facile potuit depravari. namque et *socordem* vel *socordiam*, quae vocabula apud antiquiores poetas parum fuere in usu, attenuata prima dixit Prudentius [p. st. 10, 810; apoth. 126] et *sobrium* [3, 6] Eugenius, contra non *separare* [II, 126, 19] Martianus.

Iam composita, quae descendunt a *facio*, quorum prior pars est verbum, syllabam a fine quartam, si praecedens

vocalis longast, producere videntur, licet dixerit Cato *arfacere* pro *arefacere* secunda brevi, ut *rarefacio, candefacio, expergefacio* [Lucr. IV, 992], si brevis, corripiunt, ut *cinefacio* [Lucr. III, 904], *liquefacio, labefacio,* sed ut in nonnullis, ut in *liquefacio, tepefacio,* interdum producatur eadem.

At in derivatis vocabulis magna illud cura anquirendum, an vano etymo decepti poetae veram migraverint quantitatem, id quod saepius accidit christianis, aliquando et classicis. veluti Furius Antias, Marii fere aequalis, *virescere* dixit longa prima [Gell. XVIII, 11], ut a *viribus* deductum; quem secutus est Victor Alethias I [91]. — porro ita cum a Iuvenco *facundia* brevi, *labare* longa ponitur prima [IV, 595; II, 435 M.], ab hoc [II, 385] et Prisciano [1066] *macerare* correpta, credibilest illum *faceti* et *labendi*, utrumque *macri* quantitate deceptum. sic in *iugis* adiectivo prior quod imminuitur christianis, fecere id propter substantivum *iugi*. et *feralem* qui ab iambo incipere voluerunt [Ov. fast. II, 569; Coripp. iohann. VI, 477], haud dubie rettulerunt ad illud *ferre*. porro *morosum* brevi principe adhibens Terentianus [319; 2819] arguitur non a *more* potius quam a *mora* repetisse. minus etiam culpandus Corippus, qui *decorans* ponendo pro bacchio [iohann. III, 300] aperte ab eo derivat, quod est *decor*. item verba *imbecillus* et *abstemius* ac *temulentus* quando inveniuntur correpta *e* apud christianos [ut Prud. apoth. praef. 31; Fulgent. s l. 'abstemius'; Prud. c. Symm. I, 135], ne hic quidem videtur alia fuisse causa quam quod illud a *baculo*, haec a *temere* putarent orta. denique *charisma* vel *carisma* quando producit primam [Prud. c. Symm. II, 1046; peri st. 13, 61; Venant. v. Mart. IV, 416], non respicitur Graecum χάρις, sed Latinum *carus* vel *charus*.

In flexionibus primum notandum communi esse priore perfecti formam plenam '*erunt*', non minutam '*ere*'. id primi cum vivido communis vitae usu optinuissent — quippe et scaenicorum libris et populari carmine [cf. Sueton. v. Caes. c. 80] illius '*erunt*' mensura fuit anceps —, ultimorum temporum homines sola auctoritate antiquorum poetarum, non vulgi ex more servasse eo apparet, quod grammatici inter exempla longae metrica licentia correptae afferunt Vergilianum [aen. II, 774; III, 48] '*opstipui steteruntque comae*'.

nec minus pro necessitate variant finales *erimus, eritis* in perfecto ac futuro, ut tamen pedestri sermone *i* produci auctor sit Probus [1434]. sed illud nove Iuvencus et Paulinus, quod de verbo substantivo formas, quae sunt *erimus, eritis,* longa posuerunt media [Iuv. h. e. IV, 683; Paul. 17, 287; 35, 629], quamquam id minime sua destituitur ratione. — denique *a, e, i* coniugationum, praeterquam ubi illis additur iuncta *v,* non ita raro breviantur a poetis christianis, si neque paenultimo loco sint sitae et habeant longam sequentem, velut exemplis talibus, qualia sunt *calceamentum* [Prud. p. st. 6, 74; Ar. a. ap. I, 1044], *creatura* [Sid. epithal. Pol. et Ar. 92], *palliatarum* [Mart. IV, 424, 5], *pervolaturus* [Mey. 620, 11], *petiturus* [Ar. a. ap. I, 27], *sacramentum* [Venant. spur. 1, 241 L.], *tenebamur* [Ar. ep. ad Parth. 35], *verecundus* [Ar. ep. ad Parth. 6; Luxor. 356, 8], *verecundia* [Max. 3, 23; 5, 55]. non ausim referre inter vitiosa, quod legitur brevi secunda apud Maximianum [5, 97] *feritura,* si modo recte Ieepius noster codice nisus optimo adtribuit idem Claudiano [de raptu Proserp. III, 359]. nam comparari possunt illa *ĭturus, orĭturus.* ceterum exemplis supra memoratis vix effici posse credo, ut defendatur Terentii, qualis vulgo fertur, versus [Phorm. 902]:

quid ad me ibatis? — ridiculum. — verebamini.

Denique in vocabulis externis plerumque permagni refert nativam an assumptam a Latinis adhibeas rationem. ita paenultima longa dixit Ennius *Hectorem* [fab. 157; 158], idem cum Varrone *Hannibalem* [sat. 13; Hercul. tuam fidem 1]. nam et Martiali *Celtiber* effertur dactylice [X, 20, 1], cum Catullo [39, 17] adhibeatur cretice. ceterum non perinde defenditur probabilitate rationum, quod *Tiresia* pro *Tiresias* apud Lucilium traditum antiquitus [frgm. inc. l. 110] longa finali.

Iam vocalium brevium quantitates imminui cum non possint, tamen ipsarum seu cingentium eas consonarum ita plerumque invertitur natura, omnino ut tollantur, quod syncopen vocant grammatici. quae vulgi usu cum plurimum optinuisset, ob id ipsum a poetis praeter opera, quae communi vitae et humilibus affectibus adplicarentur, plerumque vitatast. sed huiuscemodi exceptiones quae in flexionibus

acciderunt, proximo melius addentur libro. nunc cetera quae nec multa sunt nec gravia persequemur.

Itaque ne pedestri quidem a sermone aliena illa, innumeris cum firmentur exemplis poetarum, *hercle, lamna, maniplus, oraclum, periclum, porgo, tegmen, saeclum, vinclum.* quibus accedunt et ipsa amplis auctoribus tuta *gubernaclum, spectaclum, circlus* [cf. Schneid. I, 172], *calfacere, olfacere.* sed ab illo *porgo* num Statius deduxerit id quod est *porxit* Silv. II, 1, 205, iure dubites. nam ibi boni codices habent *prosit,* nec male quidam pro eo: *promsit.* — at a Silio *Asculum* necessitate versus cum esset contractum [VIII, 440], Propertius non Latini sermonis venia rem similem admittere ausus maluit dicere graecanice *Lycmonem* seu *Lygmonem* [V, 1, 29] pro *Lucumone.* — deinceps quae notabo, aut tenui carmine ac ioculari vel satirico aut libris antiquo nimis seu nimis novello tempore compositis provenere. sunt autem haec *amblare* [Florus et Hadrianus anthol. 212, 2; 207, 2], *anglaris* [append. Orientii 2, 6 ed. Ellis.; ibid. pg. 249, 130], *ardus* [Lucil. XXVII, 32], *caldor* [Varro andab. 8], *caldus* [Lucil. VII, 23; Varro περὶ κεραυνοῦ 3], *caliclus* [Paulin. 19, 416], *coplatus* [Lucr. VI, 1086], *famultas* [Laev. 6], *frigdaria* [Lucil. VIII, 10], *fulca* [Furius Ant. ap. Gell. XVIII, 11, 4], *nucleus* [Ser. Samm. 404], *perviclandus* [pervig. Ven. 46], *piaclum* [Prud. peri st. 10, 219], *poclum* [Luc. VIII, 2; Varro Sescul. 5; Prud. cath. 6, 16; Paulin. 26, 346; auct. carm. in genes. 1353], *puertia* [Hor. c. I, 36, 8], *retinaclum* [Prud. c. S. II, 147], *soldus* [Hor. sat. I, 2, 113; Mart. IV, 37, 4], *striglibus* [Iuven. 3, 263], *surpere* [Lucr. II, 314; Hor. c. IV, 13, 20; s. II, 3, 283; Mart. XII, 29, 10], *tabla* [Drepan. LXI, p. 1089], *tomaclum* [Mart. I, 41, 9]. porro quod Horatio in dactylico metro *valdius* [epist. I, 9, 6], idem Phaedro in iambico dicitur *validius* [I, 19, 8]. denique *nomenclatorem* et *asseclam* cum vulgari usu optinuisse constet grammaticorum testimoniis, tamen in versibus Martialis et Iuvenalis principalem formam adhibuere sic [X, 30, 23; 9, 48]:

nomenculator mugilem citat notum.
vos humili adseculae, vos indulgebitis umquam.

nec minus *opseculam* dixit Laevius metro ionico [6].

Tmesis nomine solet dici, si verbum in partes discerpitur duas uno vel aliquando pluribus vocabulis interpositis. quamquam et aliud extat tmesis genus, de quo mox disputabitur.

Illa incommode admodum usus est Ennius ita:

saxo cere comminuit brum.

nam de Ennio auctore etsi non testatur nisi incertus quidam grammatista aetatis ultimae [gr. lat. IV, 565], dubitari tamen nequit. conferenda quae in editione nostra ad Annal. incert. libr. frgm. XLIX sunt notata. iam cum apud Homerum nullum similis licentiae inveniatur exemplum, apparet illum legitimo tmesis modulo, de quo mox dicam, parum decore reverenterque usum, quippe neglecta sermonis Latini condicione. nam et simili inelegantia in illis, quae sunt δῶ, κρῖ, per apocopen orta, imitandis dixit [inc. libr. frgm. L sqq.] '*endo suom do*', '*altisonum cael*', '*laetificum gau*'. — at quod alter affertur a grammaticis nonnullis versus tmesis insolentia insignis [cf. Donat. gramm. lat. IV, 401; Pomp. V, 310]:

Massili portabant iuvenes ad litora tanas

i. e. *Massilitanas lagonas,* ea vero verba neque Ennii sunt neque Lucilii, ut quibusdam visum, sed saec. III vel IV p. Chr. n. poetae. quippe illud *Massilitanus* productam habet a fine tertiam, ut apud Martialem III, 82, 23. nam et eadem longa dicitur *Antipolitanus* [Martial. XIII, 103, 1], *Gaditanus* [III, 63, 5], *Tauromenitanus* [Lucan. IV, 461], *Tomitanus* [Ovid. ep. ex P. I, 1, 1], *Tuditanus* [Enn. 349]. olim correctum, quod ferebatur apud Lucilium l. XIV [15]:

Publiu' Pavu' mihi Tuditanus quaestor Hibera;

ubi recte Bouterwekius *Tuditanus mihi.* contra aetate ultima etiam illa quantitatum ratio neglecta. nam Sedulius [carm. pasch. IV, 222] *Samaritanum,* Sidonius [ad Magnum Felic. 163] *Tauromenitanum* correpta antepaenultima posuere. itaque seri exemplum illud temporis, quod apparet nugatoris nescio cuius ortum lusu, cum facillime posset vitari tmesis scribendo:

portabant iuvenes ad litora Massilitanas,

eadem fere aetate Eliogabali imperatoris nomen discerptum a quodam sic [Pompei.; gramm. lat. V, 309]:

Elio nam gabalus.

simile factum in versu, quem Beda adfert in libello de schematibus et tropis [pg. 614 H.]:

Hiero quem genuit Solymis Davidica proles.

neque medii aevi auctores tales aspernati facetias. velut apud Dicuilum habes [cf. Keil. gr. l. III, 390]:

Prisci canit pueris haec ani cuncta libellus;

et in eodem nomine apud Ebrardum Bethuniensem:

non quod sim Prisci dictis contrarius ani.

Sed haec qualiacumque Lucilii potissimum imitatione provenisse apparet Ausonii loco tali [epist. 5, 36]:

villa Lucani mox potieris aco.
rescisso disces conponere nomine versum.
Lucili vatis sic imitator eris.

a quo profectus Eugenius Toletanus cum toto carmine [23] ineptissime divisisset voces, subiecit haec:

pro tibi uti nostro veniat ex carmine fectus,
instar Lucili cogor disrumpere verba.

Ausonium quidem constat non Lucilii magis quam Ennii integris usum libris, sed excerpta ex eis anthologia. nec vero probabilest paria Ausoniano, quod supra posui, exempla tmesis ab illo usurpata, nisi forte, ut Ennii versum ante memoratum vel, siqua is commisit similia, urbana irrideret insectatione.

In vocabulis compositis, quorum prior pars non est praepositio, primo loco memoranda frequentissima apud poetas ac ne a prosae quidem more aliena tmesis verbi, quod est *quicumque,* vel similiter iunctorum. sed rariora ut tangamus, dixit Lucretius [IV, 28] pro *primordiis ordia prima.* idem alibi [VI, 233; 962] *rareque facit; facit are.* quod imitatus saec. III Commodianus scripsit [I, 25, 13 pg. 150]:

obstupe iam factus iura te credere Christo.

minus audax illud, quod Cicero ponit in Arateis [frgm. 5]:

quas nostri septem soliti vocitare triones;

at audacissimum Vergilianum in Georgicis [III, 381]:

septem subiecta trioni.

quod imitatus est Ovidius in Metamorphoseon primo [64]:

Scythiam septemque trionem;

item Avienus in Arateis [1654]:

septem vicina trioni.

Sed praeter exempla supra memorata, quae paucissima sunt numero, tmesis fere substitit in pronominibus vel particulis, quarum altera pars esset '*cumque*', atque in compositis talibus, quorum priore in loco esset vel praepositio vel negativa *in*.

Idem fuit et Graecorum mos. at ab his ne petitum credas, Festi quodam loco cavetur, qui testatur [pg. 309] in precibus olim poni solitum: '*sub vos placo*'; item in legibus: '*transque dato*'; '*endoque plorato*'.

Igitur antiquissimus auctor artis Ennius dixit [401] '*de me hortatur*'; sed non [518] *deque totondit,* verum *et detondit.* mox Lucilii fuere haec [XXX, 50; 70; 71]: '*deque dicata*'; *deque petigo*'; '*conque tubernalem*'. atque talia eum crebro protulisse affirmant Consentius [gr. lat. V, 391] et Porphyrio [Hor. ep. II, 2, 93]. his similia habet Lucretius haud ita pauca. deinde Maro tribus idem admisit exemplis [buc. 8, 17; aen. X, 794; IX, 288] '*praeque diem veniens*'; '*inque ligatus*'; '*inque salutatam*'. itaque huius imitatione Ovidius in Metamorphoseon libris [XII, 497] '*inque cruentatus*'.

Antiquissimi autem hanc tmesin etiam admisere in vocabulis, quorum pars altera per se non constaret, ut Lucilius, cum scripsit '*conque tubernalem*', vel Lucretius, cuius sunt illa [I, 651; III, 858; IV, 829]: *disiectis disque supatis; inter enim iectast; inter quaecumque pretantur.* ceteri id vitavere.

Ex eis autem quae apposui intelleges tmesin plerumque fieri interposita una parte orationis et quidem potissimum enclitica *que*. praeterea adnotandum ut plurimum praecedere eiusdem compositionis et condicionis vocabulum, ut apud Lucretium: '*disiectis disque supatis*'. recepta autem figura illa in primum maxime et quintum pedem.

At Tibullus, Propertius, Horatius et qui post Nasonem fuere classici eadem figura non sunt usi nisi in praepositionibus eis, quae per se possent constare adverbii modo, et quidem in qualibet versus parte, ut Horatius in prima satura [86]:

miraris, cum tu argento post omnia ponas.

et quidem tantum non semper adhibitae disyllabae, quae potissimum usurpantur ut adverbia, maxime *circum*, ut est apud Horatium [ep. II, 2, 93]:

> quanto molimine circum
> spectemus vacuam Romanis vatibus aedem.

Contra christiani poetae etiam in hac parte aliquando vetustissimorum repetiere licentiam. ita enim dixit Paulinus [35, 406]:

> procurare bonis praeque cavere bonis;

et qui de figuris vel schematibus carmen composuit [139]:

> est conductio conque gregatio, cum adcumulo res.

apud eundem digna memoria inveniuntur haec [181; 10]: '*est autem circum illa locutio*'; '*circuitus, peri quam dicunt odon*'.

Alterum tmesis genus ad aures solum pertinet. nam nullis interiectis vocabulis lege numeri verbum diducitur compositum. eo Graeci usi sunt aliquando, sed citra praepositiones. notus est versus Simonidis:

> ἦ μέγ' Ἀθηναίοισι φόως γένεθ', ἡνίκ' Ἀριστο-
> γείτων Ἵππαρχον κτεῖνε καὶ Ἁρμόδιος.

item Callimachi:

> ἱρὰ νῦν δὲ Διοσκουρίδεω γενεή.

At Romani idem non admiserunt nisi in praepositionibus monosyllabis aut in negativo *in*, et quidem potissimum ut satisfieret caesurae. alia autem vocabula quanto opere refugerint diducere exemplo Simonidis testatur Ovidius, ubi de *Tuticani* nomine, quod ineptum erat metro dactylico, ita dicit [ep. ex P. IV, 12, 7]:

> nam pudet in geminos ita nomen findere versus,
> desinat ut prior hoc incipiatque minor.

Verum et eam figuram, quae praepositionibus et adverbio negativo continetur, ignorarunt grammatici plerique. unde Terentianus v. 1705 sqq. contendit caesura carere Maronis versum illum [aen. XII, 144]:

> magnanimi Iovis ingratum ascendere cubile.

Sed alios vidisse, quid rei esset, satis declarat Servius, qui adscripsit ad eundem locum: *animadvertendum autem versum hunc sine caesura esse; nam hephthemimeres, quam habere creditur, in synaloepham cadit.*

Poetis autem hanc tmesis formam leniorem visam altera inde sequitur, quod et post Augusti mansit tempus. satis tamen duram habitam et ipsam paucitate declaratur exemplorum. unde commode ea usus Horatius, ubi malum poetam vel criticum describit [ep. II, 3, 87; 263]:

> cur ego si nequeo ignoroque poeta salutor?
> non quivis videt inmodulata poemata iudex.

in quibus sonorum asperitate rerum depinxit deformitatem, sicut alibi [ep. II, 3, 55 sqq.], cum de novandis verbis ageret, finxit verbum inauditum '*invideor*'.

Talem igitur admisere tmesin, rarissime quidem omnes, nec praeter caesuram principalem, in hexametris [cf. Lachm. ad Lucr. VI, 1067] Lucilius, Lucretius, Vergilius in Aeneide [XI, 758; XII, 144], Horatius praeter lyrica et iambica [sat. II, 3, 134; 181; ep. II, 3, 87; 263; 377], Propertius [III, 9, 11], Manilius, Statius in Thebaide, Silius, Iuvenalis. Lucilii exempla sunt haec [XI, 10; XXX, 47]:

> Scipiadae magno in|probus obiciebat Asellus.
> in vino esse, ubi qui in|vitavit dapsilius se.

Porro ex ultimorum temporum auctoribus eandem adhibuere licentiam Prudentius [peri steph. 9, 5], Paulinus [11, 9; 19, 238; 36, 207], Arator [act. apost. II, 326], Maximianus [2, 3], Corippus [ioh. VI, 768; VII, 317; 374 ed. P.; l. Iustin. III, 212]. — quae cur intra heroicum modulum coerceretur, nulla fuit causa. itaque eadem in trimetris iambicis Horatius usus sic [ep. I, 19; II, 15; 16, 8]:

> ut adsidens in|plumibus pullis avis.
> quodsi meis in|aestuet praecordiis.
> parentibusque ab|ominatus Hannibal;

nec minus in numero asclepiadeo [II, 12, 25; I, 18, 16]:

> dum flagrantia de|torquet ad oscula.
> arcanique fides prodiga per|lucidior vitro.

ita et Paulinus metro sapphico [17, 210]:

> semper a bello in|domiti negarunt.

Praeterea praepositiones *inter, intra* et coniunctionem *atque* similiter a nonnullis diductas demonstrat ratio musica versu quodam Lucretii [III, 258]:

> nunc ea quo pacto in|ter sese mixta quibusque.

nam aliter nulla aderit caesura. porro Silii exemplo probatur idem [VIII, 75; X, 309]:

attollit mitique manu in|tra limina ducit;
pulchra decus misitque viri in|ter sidera nomen;

et Aratoris [act. ap. I, 1024]:

custodum vallante manu in|ter vincula Petro.

nam etsi potuit in his caesura tertia trochaica habere locum, tamen nisi post quartam arsin discerpitur praepositio, iambica invenientur elisa in syllaba acuta. — omni autem incisione carebit tetrameter Ausonii trochaicus, ab eo si arcueris tmesin illam [prof. Burdigal. 11, 7]:

iam mihi cognata dudum in|ter memoratus nomina;

nec minus Avieni trimeter [373]:

medium fluentum in|ter columnas asserit.

Atque eadem tmesis statuenda in illis Persii et Silii [3, 100; I, 450; II, 321; XII, 536]:

sed tremor in|ter vina subit.
avulsum in|ter tela globo et.
stant prima in|ter signa senes.
haud dignam in|ter tanta moram.

quibus accedit Luxorii sapphicum tale [306, 8]:

dignus in|ter grammaticos vocari.

nec enim solent hi auctores versuum, quos apposui, secundum pedem efficere vocabulo spondiaco.

Eodem pacto in *atque* secernitur *ad* a *que*, ne iambicum elidatur in acuta, apud duriores scilicet poetas. nam ita dixit Lucilius [XXX, 75]:

fimo at|que sucerdis;

et Catullus [12, 2]:

in ioco at|que vino;

alienum a codicibus Ausonii illud [epist. 24, 106]:

quaeque meo at|que tuo;

at Sidonius [epist. IX, 15, 44; ad Cons. 373]:

humo at|que gente;
manu at|que voce.

Apparet igitur in eis, quae sunt *inter*, *intra*, *atque*, suffixa *ter*, *tra* et encliticam *que* tmesi quadam ita separata a parte priore, ut huic constaret accentus gravis, quem habent monosyllaba *in* et *ad*.

Praeterea in exemplis appositis quod plerumque videmus fieri elisionem, eius rei haec fuit causa, quod, cum illa tmesis, ut memoravi, aliquid haberet asperitatis neque oculis se offerret perspicuam, ut altera, synaloephae vinculo placuit artius copulari praepositionem cum eis, ad quae lege metri pertineret. conferenda, quae de elisione in caesura facta diximus l. IV.

Est ubi dubites, utro loco figura, de qua agitur, sit adhibenda, ut in versu Maronis [aen. XII, 144]:

> magnanimi Iovis in|gratum a|scendere cubile

vel Horatii [s. II, 3, 134]:

> an tu reris eum oc|cisa in|sanisse parente?

igitur in quibus utrobique eliditur vocalis, usitatior eligenda caesura. aliter ea tmesis praeferenda, cui elisio sit addita.

Ceterum, ut in aliis plerisque, etiam in hac parte apparet, quam diversi fuerint interse Vergilius et Ovidius, mox ceteri, prout quemque huius vel illius sequendi rationes incessisset libido. duriorem autem quod normam servavit prior, non poterit mirum esse reputantibus eum versificatorem quam poetam fuisse deteriorem. quo magis miror extitisse, in carminibus eius qui tolerarent non poeta solum egregio, sed quovis sano homine indigna.

Quod cum ita sit, adscribam, quae olim super versibus quibusdam Aeneidos II [790—794] protuli in opusculo de Ovidii Amorum libris [philol. XI, 60—91], quo primum auspicati sumus studia haec.

Igitur abeuntis Creusae simulacri mentio postquam iniectast ita:

> haec ubi dicta dedit, lacrimantem et multa volentem
> dicere deseruit tenuesque recessit in auras,

subiecta feruntur talia:

> ter conatus ibi collo dare bracchia circum;
> ter frustra comprensa manus effugit imago,
> par levibus ventis volucrique simillima somno.

iam quis poterit negare monitus et insani esse hominis non modo ter, sed semel conari eum amplecti, a quo sit relictus, nec omnino posse fieri, ut ille manibus comprendat umbram, quae in auras evanuerit. igitur non licet dubitari, quin eximi oporteat libro secundo fraude grammaticorum e sexto

[700—702] illata illa '*ter conatus ibi*' et quae secuntur. ceterum similiter apud Vergilium Graecorum in catalogo Iliadis post ea, quae sunt [II, 867]:

> *Νάστης αὖ Καρῶν ἡγήσατο βαρβαροφώνων,*
> *οἳ Μίλητον ἔχον Φθειρῶν τ' ὄρος ἀκριτόφυλλον*
> *Μαιάνδρου τε ῥοὰς Μυκάλης τ' αἰπεινὰ κάρηνα,*

falso addi interpolatione orta haec:

> *τῶν μὲν ἄρ' Ἀμφίμαχος καὶ Νάστης ἡγησάσθην.*
> *Νάστης Ἀμφίμαχός τε. Νομίονος ἀγλαὰ τέκνα.*

ratiocinandi firmitate et scholiorum testimonio haud obscuro alibi comprobavimus [philol. XI, 175].

Sunt tamen qui existiment et particulam *atque* et praepositiones omnes, quarum prior pars aucta esset illis, quae sunt *ter, tra, fra,* ut *praeter, ultra, infra,* in paenultima habuisse gravem, non acutum. at hoc si statueris, non satis apparet, quomodo illa *me, te, se* mutato accentu potuerint coire in unum cum eis, quae sunt *inter, intra,* similibus. nam monosyllaba inclinanda quamvis facile iungantur cum monosyllabis longis, non perinde cum disyllabis spondiacis copulantur.

Iam quod in altero tmesis genere interdum mutata promeretur forma praepositionis vel *in* negativae, ut in illo:

> cur ego si nequeo i|gnoroque poeta salutor,

non magis fuit offensioni quam quod admitterentur in utroque orationis partes inseparabiles.

Contraria autem sunt tmesi enclisis vel proclisis, quibus uno quasi verbo comprenduntur voces scriptura plerumque seiunctae, et in hac certe maiore paullo quam compositorum partes vocis interstitio diremptae. quae quamquam non substitere quibus vulgo creditur finibus, tamen haud ita amplum hominum urbanorum liberaliterque excultorum in sermone optinuere locum.

Nota res de illis *que, ve, ne,* quibus quam recte grammatici veteres interdum praecedente brevi accentuum modulos a ceteris pronuntiationis Latinae legibus alienos effectos existimarint nunc non quaero. nihil enim accentus grammaticos ad metricam Latinam pertinere l. III comprobatumst.

Illud tamen praeterire nequeo, non rectum mihi videri, quod Gulielmus Meierus in libro de hexametro Graeco et Latino [pg. 1045] statuit in versibus dactylicorum encliticam

que, cum locis plurimis poetarum demonstretur coaluisse in unum cum parte praecedente, aliquando proprii verbi instar et per se constantem poni. quam ad rem probandam quod affert interdum eandem in hexametro imitatione, ut vidimus, Graecorum productam, contrarium potius ea re adseri existimo, cum numquam quisquam in metro Latino monosyllabum produxerit. praeterea quod idem observatione subtilissima demonstrat auctores post Augustum nonnullos, cum alias semper caesurae, quam putat, tertii trochaei adiunxerint semiternariam ac semiseptenariam, laedere hanc regulam, paucissimis quidem exemplis, ita fere, ut secundum pedem cum trochaeo tertii uno verbo contineant, cuius finis esset *que,* id potius inde videtur repetendum, quod haud ita multae extant in Latina lingua formae, quae, ut *omnipotentis, incurata,* vel adonium numerum vel epitritum quartum aequent, quodque, ut l. III expositum, ubi de exitu agebatur hexametri, talia sonora magis voce quam sententia gravia sunt plerumque et ob id ipsum poetis invisa, qui adeo disyllabis verbis vel trisyllabis in caesura positis plerumque amant addere *que,* quo vocabulum, cui iungitur, circuitu quidem augeatur, sed novo simul et a priore parte diverso sensu addito.

Itaque etiam minus erit mirum cur eandem particulam tam saepe verbis tetrasyllabis adhaerere voluerint. neque tamen diversi usus exempla apud poetas desunt. veluti ipse Manilius, cuius quarto in libro semper *que* poni in trochaeo tertio, ubi trithemimeris desit, docet Meierus, in primo hunc habet versum [513]:

saecula dinume*rare* piget, quotiensque recurrens,

in secundo adeo talem [221]:

sunt quibus *esse* di*urna* placet, quae mascula surgunt.

atque tales etiam alibi apud multos inveniuntur versus. itaque observatum a Meiero etsi utilest cognitu neque potest negari persaepe in trochaeo tertio inveniri *que*, quando abest a versu trithemimeris, tamen causam huius rei aliam, atque illi placuit, esse contendo.

Sed encliticarum usum extra inseparabiles *que, ve, ne* particulas constantem ut expediam, satis certumst in libris dactylicorum propter frequentiam usus coire in unum vocu-

las, quae sunt *me, te, se, nos, vos,* cum praepositionibus, quarum pars altera constet suffixo comparativi *ter* vel *tra* sive eo, quod est *fra,* ut *inter, intra, infra,* nec non illud *nescio* cum pronominis indefiniti forma qualibet monosyllaba. quare cum sit lex metri heroici, ut secundus pes ne efficiatur verbo dactylico aut spondiaco, recte habent ab arte velut haec:

attamen *inter nos* medio versantur in usu.
nec tua *praeter te* chartis intexere quisquam.
nam scelus *intra se* tacitum qui cogitat ullum.
spem mihi *nescio quam* vultu promittis amico.

at vitiosa sunt talia:

ast in*ter nos* haec medio versantur in usu.
namque in*tra se* qui tacitum scelus adprobat ullum.

et haec quidem tam arte coaluerunt, melius ut iuncta scribantur quam discerpta. praeterea placuit plerisque inclinari pronominis indefiniti formas non disyllabas nec minus verbi copulativi illud '*est*' et aliquando *sum; es; sunt; sim; sis; sit; sint,* cum praecederet aut monosyllaba vox quaelibet aut plusquam monosyllaba pyrrichio vel trochaeo terminata seu tribracho, cuius tamen finalis synchysi facta maneret brevis. apparet autem iuvari enclisin verbi substantivi, si praecedat huic subiectum vel praedicatum. itaque non recte dicentur degenerare a legibus super exitu numerorum libro tertio propositis metra talia:

suisque magnum monstrat ostentum *si quis.*
carnarius sum, pinguiarius *non sum.*
parum expatravit an parum hellu*atus est?*
manus a muliere abstinere *melius est.*
vobisque *ego sim.*

contra male habent Senecae monometri anapaestici tales [Herc. Oet. 197; Oct. 931]:

sibi *Tantalis est.*
quid *saevior est.*

ceterum, ut obiter hoc moneam, *satis esse* vel *sat esse* pro sufficiendo positum rectius scribetur una voce sicut *potisesse* vel *potesse.* denique ad similitudinem eorum quae sunt '*interse; praeterte*' Ovidius illud *est* ad particulam non simplicem *quamvis* inclinavit hoc versu [ep. e. P. II, 8, 76]:

iustaque *quamvis est,* sit minor ira dei.

quo mollius etiam, ut enclitica praecedente, evenit Martialis exemplum illud [lib. spect. 18, 6]:

postquam *internos est,* plus feritatis habet.

nec aliter Catullus [76, 8]:

aut facere, haec a te dictaque *factaque sunt.*

At vix ullo exemplo poetarum verba proclisi iugantur cum insequentibus proprio accentu omisso. nam quod dicit Quintilianus [I, 5, 27] illa '*ab oris*' et '*circum litora*' dissimulata distinctione unum habere accentum, dactylicorum usu parum confirmatur, qui fere ut divisis omnino vocabulis utuntur praepositione et nomine continuis. quare sub unum non cadunt accentum nisi ea quae mutata plerumque significatione in unum prorsus coaluere verbum, velut *extemplo, inpraesentiarum, tumcum* (vel potius *tuncum*), *potesse, satesse.* sunt quae utroque modo possint efferri, ut *quo modo, quo pacto,* ex quibus hoc raro, illud tantum non semper videtur coniunctas habuisse partes, *in primis, iam iam.*

Non inepte addemus hoc loco de accentus Latini legibus quidquid poetarum lectione nobis exploratum. quas qui curiosius perpenderint, pleraque superioribus libris omissa cogitatione propria supplebunt ultro.

Itaque primum certo constat pronomina et particulas monosyllabas, ut frequentia usus nimia detritas, habuisse accentum gravem exceptis, ut in Graeco sermone, interrogativis *quis* et *qui* [cf. Gell. VI, 2, 11].

Eiusdem condicionis partes disyllabas quod voluere nonnulli habere gravem in paenultima, si esset brevis vel positione longa, item brevis et clusa vocali insequens, quales sunt *ego, tibi, atque, ipse,* quamquam non abhorret a probabilitate, non tamen potest certo demonstrari. contra veri valde simile illud, in his, si sequente vocali et elisa finali quasi monosyllaba extitissent, ut *ego autem, atque ego,* obtinuisse accentum, de quo agitur.

At quae natura longam habent priorem vel finalem productam sive in consonam exeuntem, ut *autem, vero, horum, intra, illinc, inter,* non possunt non habere in illa acutum sonum vel circumflexum. iam nomina et verba nota sub condicione variant accentum, ut tamen numquam in quartam a fine aut in ultimam omnium concedat syllabam in

verbis plusquam monosyllabis. quae cum lex sit certa, nihil moramur grammaticorum ineptias, qui nomina *illene; eadem; musaque; utraque* [Serv. ad. aen. I, 116] aut particulas *adeo* [cf. Ritsch. prol. trin. 220]; *adfatim; exadversum* [Gell. VI, 7, 4]; *circum; pone* efferri volunt acuta secunda. quae perversitate ratiocinandi, non usu vulgi provenere nec sunt recepta plerumque nisi vergente ad occasum sermone Latino ac ne tum quidem nisi ab hominibus semidoctis.

Praeterea non licet verbum habere duos accentus, nisi quando per tmesin diducitur. sed quod ita divisis partibus efferenda existimavit Lachmannus [pg. 191] talia, qualia sunt *mansuefacere; vacefient; calefit,* id cur mihi non probaretur, Summarii de orthographia et prosodia Latina pg. 30 dictumst.

Porro in proparoxytonis ultima validiore tonost quam sive ea, quae praecedit ipsi, sive finalis paroxytonorum vel properispomenorum. at in his eo magis attenuatur syllaba, quae accentum habet grammaticum, quo pleniore tono effertur insequens, ut, quantum illi dematur, huic addatur ponderis. deinde quae a principio verbi tendunt ad syllabam principali tono insignitam, eorum vero sonus variatur isdem omnino servatis rationibus, quibus ultimarum trium syllabarum. veluti in his, quae sunt *inconcussus; irrepertus,* prima vocalis fortius pronuntiatur secunda, et in talibus: *irreparabilis; conspicabantur; dominaremur* princeps syllaba tertia, tertia altera magis viget. contra in illis *recedebamus; reponeremus* prima non magis elatiorem secunda potuit efferre tonum quam in vocabulis bacchium vel amphibrachum aequantibus accentum sustinere grammaticum, at potuit vel debuit adeo secunda tono esse fortiore quam insequens. — ab his autem rationibus pleraeque elisionum evenere leges.

Ceterum quod omnino negavit Langenius in annalibus philologicis [LXXIX, 47] adfuisse accentum circumflexum vocibus Latinis, longissime a vero aberrasse illum censeo. nam qui in monosyllabis gravem tonum et acutum tam diligenter distinxerunt, qui credibilest in isdem acutum a circumflexo non segregasse? at in paenultima syllaba si eveniat tonus, quam sit diversa pro varietate quantitatum et ipsius et finalis condicio sonorum, supra iam declaravi.

nam et illud certumst mihi, alia elatione vocis efferri syllabam acuto insignitam, si natura sit longa, alia, si positione producta aut omnino brevis. quamquam facile concedo ultimorum temporum hominibus, ut qui plane sicut nos sermonem Latinum praeceptis grammaticorum, non nativo usu perdiscerent, vix aliter sonuisse priorem in eis quae sunt *nave* et *auctor* quam in *navi* et *aucto*, qualia semper eveniunt lingua degenere.

Et haec fere ante annos plus XXX scripseramus. deinde iterum de accentu Latino egimus in Summario orthographiae et prosodiae Latinae [pg. 28—33] et in libro de versu Saturnio [pg. 31—34]. ad quae qui pluribus doceri voluerint de opinione nostra relegamus.

VIII.

LIBER SEPTIMVS.

OBSERVATIONES GRAMMATICAE.

Regulis metrorum sonique legibus uti satisfacerent poetae Latini, haud exiguam copiam dictionum ab eis parari oportuit. quas ut satis recte possimus aestimare, ipsa natura carminis efficitur, qua eximitur plerumque ambiguum. eas iam deinceps curate referemus. sed ante quam exempla dinumeremus, rationes dactylicorum et studia paucis adumbrabimus.

Itaque apud antiquissimos Latinorum et eos, qui Catullo vixere priores, cum magna fuisset flexionum dictionumque copia et varietas, mox apud Romanos idem evenit, quod semper alibi, ut, quo longius procederent temporum spatiis, eo plura verba flexionesque evanescerent ex usu. quae Augusto aequales poetae consilio et ratione temperata cum intra certos fines coercuissent — neque enim ulla re seu priores sive insequentes magis antecelluerunt quam iudicio —, iam argenteae, quam vocant, aetatis auctores ut in metris, ita in dictionibus pleraque pedestri sermone insolita auctoritate priorum admisere pauca ipsi novantes. at ab Hadriani tempore antiquissimorum scriptorum admiratione rursus coalita plurima ex horum libris excerpta redundarunt in carmina neotericorum. neque enim splendores sententiarum aut lumina orationis, sed potius incognita dictionum aut insolentia flexionum petiverunt ex istis Gellius ac Fronto cum asseclis. quamquam fatendumst huius tam perversi

usus longe pauciora exempla apud illos prostare poetarum, quos classicorum numero comprehendi, quam quos christianorum. namque hi haud sane liberali instituti eruditione, quo plerumque vitio malorum exemplorum prava imitatio oritur, cupide plurima e collectaneis in carmina rettulere, quae ceteri magis venusto sensu praediti, etsi gnara sibi, procul removerent a scriptis propriis. adde quod a materia operis et necessitate exprimendi res philosophas et theologas haud raro illis ortus est talium dictionum usus, quas primi nondum adulto iudicio et ut metrum explerent adhibuissent. ceterum cum christianorum plerique plebis in usum sua componerent, haudquaquam ipsi insigni loco nati, saepe dubium evenit, a polito sermone aliena vulgine ex more an docta vetustissimorum auctorum aemulatione adhibuerint. contra satis certo constat talia, qualia sunt *struiturus, graditurus, hauriturus,* et quae similia extant vitia intermorientis linguae, aequalium ex usu adsumi ab isdem.

Haec praefati iam accedimus ad proponendas observationes grammaticas, quibus flexiones ferme ac derivationes metricis potissimum rationibus ortae aut mutatae enarrabuntur. ceterum minime fuit in animo obvia plerisque ac trita recoquendo libri huius molem adgravare, quae, etsi probe ad rem pertineant nostram, breviter notantibus aut omittentibus omnino nobis facile concedetur. accedit quod de hisce qui plura edoceri concupierit, ne nostra desideret, egregia Kueneri ac Neuii diligentia effectumst.

Igitur de substantivis nominibus primae declinationis haec ferme invenio digna quae memorentur. dixere *clientam* genere feminino pro *cliente* Horatius [c. II, 18, 8] et Ausonius [parent. 24, 12]. porro genitivi in *as* exeuntis, si omiseris Ennianum '*dux ipse vias*' [ann. 485], nullum mansit vestigium praeter *paterfamilias,* quod Sisennae servatum cura [Char. 83] prostat bis apud Phaedrum [III, 10, 48; fab. perott. 10, 1], quamquam vel in hoc Martialis sprevit formam vetustam [I, 84, 5]. at finali *ai* per diductas syllabas cum conclusissent substantivorum pariter atque adiectivorum genetivum — nam in dativo numquam accidit idem [Lachm. p. 40] — Ennius, Lucilius, Varro, Lucretius, Tullius, iam quaternis exemplis, ut recte notat Probus [1438], adhibuit

eandem terminationem Vergilius in Aeneide [VII, 464; III, 354; VI, 747; IX, 26] ut puta '*aquai*', '*aulai*', '*aurai*', '*pictai*', haud sane quisquam alius poetarum classicorum nisi ad irridendam vetustatem, ut est illud Martialis [XI, 90, 5; cf. Pers. 6, 9] *attonitusque legis 'terrai frugiferai', Accius et quidquid Pacuviusque vomunt.* contra imitatione antiquissimorum dixere Prudentius [apoth. 702] *aquai,* Ausonius [Bissulae 4, 5; pg. 126 ed. Schenk.] *nescivit erai imperium.* nam ita recte ferri existimo, cum traditum fere sit *nescit (nescivit) ere.* sed quod legitur inter eiusdem opuscula [eclog. 17, 10; pg. 16 Sch.]: *flamma Nepai,* Q. Ciceronis est carmen, unde hoc petitum. — de genetivo pluralis numeri dicetur in secunda declinatione. — eiusdem dativum vel ablativum in *abus* nullus exire passus est classicorum. hinc factum, quod Callimachi illud 'βόστρυχον, ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς' sic maluit interpretari Catullus [66, 9] '*quam cunctis illa dearum levia protendens brachia pollicitast*'. minus lepidum foret *deabus.* tamen christianis placuit finalis illa in *deabus* [Commodian. I, 16 p. 143; Prud. apoth. 197; Paulin. 36, 52] et *animabus* [Prud. c. Symm. I, 531; peri steph. 2, 289].

Deinde secundae declinationis exempla in scriptis Catullo prioribus cum alia haud pauca inveniuntur notanda, tum haec: *arquus* [Lucr. VI, 526], *caelus* [Enn. 524], *chartus* [Lucil. XXVII, 35], *volturus* [Enn. 138], *volturius* [Lucil. I, 34; Lucr. IV, 678; Phaedr. I, 27, 8].

Porro *clivum* neutro genere dixit Memmius [Non. 194, 29], *voltum* Ennius [583] cum Lucretio [IV, 1205]. quod apud Varronem in Sesculixe [Non. 492, 3] legitur *gelo,* apud Lucretium V, 205 *geli,* haec ad *gelum* nominativum referenda probant alii eorundem loci. nam illius d. r. r. l. I [45, 2] legitur '*venenum enim gelum radicibus tenellis*'; huius l. VI [877] '*quasi saepe gelum, quod continet in se, mittit*', quamquam *gelus* est in Afranii Epistula et Accii Prometheo [Non. 207, 35]. at in Luciliano [IV, 17] '*nam ut nobis talu' genus-quest*' *genus* masculini esse affirmat Nonius 207, 29; sed neutro potius ut credamus positum, quibusdam Ciceronis Arateorum locis efficitur. ibi eadem similium sono con-

fusio apparet substantivorum, quae in Acciist Alcmeone, ubi *generibus* usurpatum pro *generis*.

Iam cum quaedam verba quartae, ut puta '*senatus*', '*tumultus*', '*versus*', secundae plerumque adsumant formas apud antiquissimos, horum aemulatione Ausonius dixit [idyll. 8, 5; epist. 25, 56] *senati*.

Praeterea notumst genetivos substantivorum in *ius* vel *ium* finientium contrahi solere ante Propertium. qua in re quod observavit Lachmannus [pg. 326] raro evenire nec fere post Augustum eandem rationem in nominibus explentibus tribrachum, non tamen ut probetur aliena, id vero non altiore quadam accidit causa, sed odio formarum iambicarum, vocali quae exirent, ob difficultatem elisionis. verum quod apud Vergilium invenitur *apii* et *fluvii* [moret. 88; aen. III, 702] hanc habet causam, quod *apium, fluvius* olim fuere adiectiva. ceterum plenior finalis postquam increbuit, antiquior poetarum libris adhiberi numquam desiit. quare quod concedit Beda [2373] versum Paulini hunc '*oblectans inopem sensu fructuque peculii*' posse scandi ita, ut aut cum synizesi proferatur illud *peculii* aut secundum Lucilii praeceptum per unam *i* scribatur, nos vero uno contenti modulo benignitatem ei remittemus.

Porro in dativo egregio invento usus Vahlenus intellexit dixisse Ennium [ann. 129] '*Mettoi Fubettoi*' (excepto quod scribendum '*Metoi Fufetoi*'), sicut apud vetustissimos in usu fuisse '*populoi Romanoi*' auctor est Marius Victorinus [pg. 2463].

Praeterea in vocandi casu soloece dixerunt *dee* Prudentius [hamart. 930], *Marcie* Luxorius [325, 1], sicut Graius ille Livius [odyss. 2] *filie*.

Tum dativi, qui habent *iis*, vel ab optimis poetarum classicorum interdum sunt contracti [cf. Lachm. pg. 279], veluti Varro posuit *supercilis* [περὶ γεγαμηκότων 1], Vergilius *taenis* [aen. V, 269], Seneca *exilis; supplicis* [Phoen. 625; Med. 743; 1015], Martialis *denaris* [I, 117, 17; IX, 100, 1; 6], quod adeo ab adiectivo tractum nomen; et similia comici. sed et ultima aetate habes apud Martianum [I, 93, 51; IX, 999, 16] *auspicis* et *iurgis*. at nominativos perinde cogi non licet. nam *Crustumeri* Vergilio [aen. VII, 631] et

Propertio [V, 1, 34] *Gabi* et Manilio [I, 789] *Deci* dicti propriorum potius nominum licentia, non vulgatae pronuntiationis rationibus excusantur [Lachm. p. 252].

At de genetivis in *um* exeuntibus sic refert Servius commentario ad Aeneidos II [18]: '*virum*' *pro* '*virorum*'. *qua figura et in prosa utimur. dicit sane Plinius hoc in neutro non esse faciendum, scilicet propter casuum similitudinem, nisi forte nimia metri necessitas cogat.* nec hercule brevior terminatio apud dactylicos exceptis paucissimis — velut dixit Ennius *verbum* pro *verborum* [ann. 307], Catullus *cymbalum* [63, 21] — invenitur extra masculina. et plurimum quidem pedestri usu saec. a. Chr. I viguisse illa: *deum, nummum, liberum,* praeterea in formulis quibusdam ea, quae sunt *virum, fabrum, duum,* notissimo Oratoris Ciceroniani loco edocemur [46, 155 sqq.]. itaque ex poetis Augusto aequalibus Horatius imminuta finali tantum adhibuit bis *deum,* semel *nummum* et quidem in Saturis Epistulisque [sat. II, 2, 104; 6, 65; ep. II, 2, 33] (idem saepius *deorum, nummorum*). sed neque *divum* ab eo dictum pro *divorum,* de qua re nuper monitum in commentis ad Sat. I, 3, 117, et multo minus *equum, Salium, Italum* [ep. II, 3, 84; carm. I, 36, 12; IV, 1, 28; II, 13, 18]. iam praeter illa *deum, nummum, virum* satis saepe dactylicorum invenitur in libris *superum,* item *divum;* nam apud hos *divus, divi* tam frequenter posita quam raro apud scaenicos antiquissimos [cf. vit. Enn. pg. 206]. porro ut *liberum,* usurpatur *inferum* in metris non dactylicis. his igitur fere genetivis addito uno alterove nomine proprio continuere licentiam plerique. quorum in numero fuere Catullus, qui eam a carminibus argumenti levioris seclusit [cf. Ries. ad 14, 19], Tibullus, Manilius, Calpurnius, auctor Aetnae, Petronius, Homerus Latinus, Persius, Martialis, Iuvenalis, Namatianus, alii. e quibus maxime insignest exemplum Senecae collatum cum tragicis antiquis, quorum licentiam et Cicero loco supra dicto probavit pluribus et Phaedrus scite expressit, ubi tragicam affectat gravitatem [IV, 7, 10]:

> inhospitalis prima quae ponti sinus
> patefecit in perniciem Graium et barbarum.

in quibus *pontus* non est, quod videtur plerisque, proprium nomen, sed appellativum, ut apparet ex eis, quae infra

adiciuntur [17] '*quid tibi videtur? hoc quoque insulsumst, ais, falsoque dictum, longe quia vetustior Aegea Minos classe perdomuit freta*'. verum ab illa modestia satis fuere diversi alii, maxime epici et Lucilius. e quibus apud Vergilium habes a solito usu distantia *caelicolum, equum, famulum, iuvencum, socium.* idem minuta forma multa adhibuit nomina propria. praeterea Statius haudquaquam epicis solum libris probavit genetivos hos:

> *avum* [theb. III, 560], *equum* [th. IV, 730], *famulum* [theb. I, 554], *ministrum* [silv. III, 1, 86], *semideum* [theb. I, 206], *socium* [theb. III, 64].

ita habes apud Valerium:

> *equum* [VI, 237], *fluvium* [VI, 391], *famulum* [III, 282], *lituum* [VI, 166], *socium* [III, 4]

et apud Silium:

> *avum* [XI, 504], *equum* [XII, 681], *lituum* [XIII, 146], *socium* [IV, 597].

sed enim ab hac licentia primae declinationis exclusa sunt verba appellativa praeter formas in *cola* et *gena* exeuntes, quas tamen plerumque permoveor ab secundae declinationis nominativis ut repetam. illud *caelicolum* iam apud Ennium [ann. 324] et Catullum [68, 138] reperitur. ex propriis patronymica saepius ceteris breviore poni forma notum.

Porro e christianis, ut redeam in viam, *iuvencum* dixit Iuvencus [h. e. II, 157], *discipulum* Sedulius [c. p. IV, 127; V, 337]. in Graecis fere haec licentia intra nomina propria continetur, licet dixerit Catullus in Atti, ubi spiritus sumpsit maximos, *cymbalum* [63, 21]. — denique apud Lucilium l. XV [15; cf. et VII, 19] legitur *holerorum* pro *holerum.*

At pro nominativo tertiae in *or* finito cum antiquissimi admisissent saepe *os* velut in hisce '*colos, labos, lepos, odos, vapos*', eo abstinuere ut plurimum insequentes praeter illa *honos* et *arbos,* quae ad ultima usque tempora aequabili usu viguere [cf. Paulin. 6, 156; 19, 298; Consent. V, 391]. praeterea amavit postrema aetas tertiae vel quintae haud pauca, quae in *es* exirent, terminare illo *is.* unde Caper [2246] '*saeva fames*', inquit, 'non *famis* dicendumst'. nam praeter hoc ipsum exemplum [Prud. psych. 479; Venant. miscell. II, 4, 12] similia habes *cautis* [Prud. p. st. 10, 701],

bis [Prud. psychom. 508; Paul. Petricord. I, 241; V, 801], *Gangis* [Prud. c. Symm. II, 607], *Ioannis* [Prud. cath. 6, 108], *scrobis* [Prud. c. Symm. I, 641]. sic *torquis* [ut Stat. theb. X, 518], *vallis, vulpis* etiam apud classicos inveniuntur. ut Cicero [cf. Auson. pg. 139 Sch.], Valerius videtur posuisse *saeps* pro *saepes* [VI, 537]. Ennio [ann. 565] *trabes,* huic pariter ac Lucilio [ann. 596; I, 27; VI, 10] *canes* dicitur, ceteris *trabs, canis.* deinde quae in *ar* vel *al* terminantur per apocopen, aliquando principalem formam rursus adsumunt. ita habes Lucretii libris *exemplare* [II, 124] et Martialis [XIV, 121, 2] *cocleare* et apud Senecam [Med. 676] *penetrale.* contra magis placet *altare* quam *altar* [Prud. peri steph. 3, 212]. porro iam notabo nominativum illum *Iovis* imitatione vetustissimorum usurpasse Homerum Latinum [651] et Appuleium [Mey. 229, 7] cum Commodiano [I, 6, 1 p. 136] et Paulino [36, 80]. nec indignumst memoria pro illo *sanguis,* ut ab antiquissimis, etiam a Statio Thebaidos quarto [464] et ab Avieno in periegesi [921] poni *sanguen.* ita Catullus solus dixit hoc *turben* [Serv. ad aen. VII, 378; cf. Cat. 64, 107]. tum de illo *lac* sic refert Ausonius [idyll. 12 grammaticomast.]:

> vox solita et cunctis notissima, si memor es, lac
> cur condemnatur, ratio magis ut faciat lact?

sed hanc formam in carmine non inveni, excepto quod apud Varronem in trochaico metro a Buechelero probabiliter restitutum [andabat. 7]:

> candidum lact e papilla cum fluit;

ubi codices Nonii bis [483, 7; 486, 5] *lacte.* vulgo fertur *lacte e.* quod contra dixerunt *lacte* Ennius [ann. 365] et Sammonicus. nam apud hunc loco quodam [1079] boni libri: *lacte asinae placidaeque bovis prodesse loquuntur.* ideoque paucis versibus post haud dubie scribendum [1084]:

> siquis hyoscyamum gustarit, lacte capellae
> exhaustum rabidos poterit mulcere furores.

praeterea cum optimi auctores *iter* et *itiner* sic distinguerent usu, ut illud nominandi casu, hoc ceteris optineret, poetae vetustissimi pariter atque recentissimi inverterunt plerumque hanc normam [cf. Varr. prans. par. 1; cycn. 1; Lucr. V, 651

VI, 339; Iuvencus II, 23; I, 278; 325; 353]. ita et Manilius Lucretium secutus l. I [88] dixit *itiner*. praeterea illi, qui *laterem* et *latus* permutarent usu, irrisi ab Lucilio lib. IX versibus his:

> _ laterem qui ducit, habet nil amplius umquam
> quam commune lutum e paleis caenumque acerosum.

quod sane mirumst fefellisse Schmidtium, illius qui voluminis fragmenta ad res grammaticas pertinentia scholico opusculo enarravit. porro sicut Ennius *lapi* [421], Paulinus dixit [21, 376] gignendi casu *sanguis* nec aliter auctor libri in genesin *sanguem* ita [638]:

> fratris nam germine creta
> Sarra fuit iuncta deducens linea sanguem.

mira illa Lucilii *acceptoris* [lib. inc. 92] pro *accipitris* et Martialis [XIII, 91, 1] *acipensem*. tum praeter cascos et novellos in usust *propago*, non *propages*. illud adnotandum, quod ab Ennio [ann. 587] dictum *propagen*. contra optimi auctores fere posuerunt *compagem, compage, ambages, indagine*. tamen apud Manilium reperitur [IV, 304] *ambagine*, plane ut apud Prudentium *ambago* et *indage* [c. Symm. II, 847; 846]. denique crebrumst satis usu illud *impete*, cum semel inveniatur *impetis* Lucr. VI [327].

At soloecum plane, quod Ennius, duodecim tabulas secutus, auferendi casu scripsit *nox* [ann. 439], sicut Lucilius [III, 15] *media nox*, qui non multo melius *milli* admisit pro *mille* [IX, 39; XV, 5]. praeterea eodem casu complures apud auctores prostat *mare*, apud Corippum [ioh. V, 671] *missile*, apud Boethium [III, 12, 36] *site*.

Deinde in eis verbis, quae, cum recto casu habeant *is*, pariter admittunt *em* et *im*, *e* et *i*, *es* et *is*, poetae pro necessitate versus et soni commodo formas variarunt [cf. Gell. XIII, 21, 4 sqq.], quorum numero antiquissimi accedere voluerant quaedam a monosyllabis potissimum descendentia puta '*partim, parti, luci, monti*'. ita nihil interest, *igni, imbri, ungui* an *igne, imbre, ungue* in versu ponas, quamquam Horatius tantum dixit *igni, ungui*, atque ita *igni* Varro bis in Saturis [Bimarc. 11; cras credo 2].

Praeterea cum multi auctores pluralem eius quod est *spes* adspernarentur, mutata declinatione antiquissimi usque

ad Varronem interdum dixerunt *speres, speribus.* in eiusdem numeri genetivo plerumque a poetis dactylicis scaenicisque synizesis formidine *ium* cogitur in *um,* id quod potissimum accidit praecedente *nt* vel *rt* propter proprietatem quandam *t* litterae, quando sequitur *i* brevis cum vocali. denique accusativo *vis* pro *vires* posuit Lucretius lib. II [586], puto etiam quinto et hoc versu [1031] '*sentit enim vis quisque suas quod possit abuti*', in quibus traditumst antiquitus *vis suam.* nec tamen hinc probatur potuisse dicere Tacitum in dialogo de oratoribus [26] genetivo casu '*plus vis quam sanguinis*', cum praesertim *vis* illud sensu careat.

Iam in quarta declinatione *uis* pro *us* positum a Varrone et Nigidio cum firmet Gellius [IV, 16, 1], apud hunc in saturis Menippeis inveniuntur [Meleag. 1; Prom. lib. 1; andab. 7] *fructuis, manuis, partuis;* sed perinde num dixerit Ausonius [parent. 16, 1] *nuruis,* non satis constat.

Contra in dativo *u* pro *ui,* sicut libris antiquissimis, etiam tempore Augusti ac deinceps invenitur [Verg. georg. IV, 198; aen. I, 257; Prop. I, 11, 12; II, 1, 66; V, 6, 22; III, 23, 7; Gratt. 304; Sil. IV, 18; V, 372; Auson. ephem., parecb. 18]. dativo quartae numquam usus est Horatius, apud quem male quidam [ep. I, 10, 13] *ponendaeque domo.* in *ui* exeuntem primus inter poetas adhibuit Ovidius, qui aliquotiens dixit *domui.* nam in versibus comici a Charisio servatis pg. 252 vel illud *domui* pro genetivo accipiendum [cf. Neuii gr. lat. I, 519] vel potius cum Fabricio scribendum *domus.* mox Ovidio posteriorum haud pauci, quod et integra forma displiceret et truncata, abstinuere dativo quartae. ac similem rem in quinta declinatione adnotabo. — denique ablativo dixere Varro [prans. par. 2] *humu,* Lucretius [IV, 209; I, 720] *diu* et *fretu,* quidam *domu,* quam agnoscit formam Quintilianus [I, 6, 5]. certum tamen apud dactylicos non inveni exemplum, nisi apud auctorem aetatis ultimae Luxorium [325, 3]. quamquam potuit fieri hic illic, ut ab interpolatoribus tolleretur. namque adeo apud Horatium nostrum olim existimavimus reponendum [c. IV, 1, 9]:

tempestivius in domu
Paulli purpureis ales oloribus
comissabere Maximi.

ubi codices habent *domum* vel *domo.* porro memoria dignum quod tradit Gellius [XIII, 21, 15]: '*Marco etiam Ciceroni mollius teretiusque visum in quinta in Verrem 'fretu' scribere quam 'freto'. perangusto, inquit, fretu divisa. erat enim crassius invenustiusque 'perangusto freto' dicere.* in quibus illud *invenustiusque* propria de coniectura posui pro eo quod vulgo fertur *iam vetustiusque.* nam neque antiquius fuit *freto* quam *fretu* neque utra aetate praestet forma, sed utra elegantia indicari refert Gellii.

Praeterea genetivo pluralis ad explendum metrum dactylicum cum primus Lucretius dixisset *alituum,* idem Maronis auctoritate [aen. VIII, 27] confirmatum haud pauci admisere poetae, veluti Manilius [V, 370], Statius [silv. I, 2, 184], denique Lactantius sive alius fuit auctor Phoenicis [157] sic:

> alituum stipata choro volat illa per altum,
> turbaque prosequitur munere laeta pio.

quem locum apparet obversatum Claudiano, cum scriberet de ave eadem [44, 76]:

> innumerae comitantur aves stipatque volantem
> alituum suspensa cohors.

neque christiani auctores refugere hanc formam; veluti invenitur apud Festum Avienum [descr. orb. terr. 1359] et Claudium Victorem [aleth. II, 173], apud hunc quidem in hemistichio Vergiliano. — et a Prudentio post annos D renovatum Accianum *ossuum* [p. st. 2, 532; 5, 111]. — de *um* pro *uum* posito dictum l. IV, ubi de synizesi agebatur.

Denique quintae genetivo aliquando a poetis vel optimis pro *ei* ponitur *e* [cf. Verg. georg. I, 208; aen. I, 636; Hor. c. III, 7, 4; Ov. met. III, 341; VI, 506; VII, 737; Auson. idyll. 14, 14; de ratione dier. ann. vert. 7, 12; Paulin. 14, 67]. in dativo cur pauciora suppetant exempla, nescio an causa sit inde repetenda, quod hic casus illost rarior. habes tamen apud Ennium [ann. 106] *re; fide;* apud Lucilium [VII, 6; 7; XXX, 48] *facie.* ita Horatius dixit *fide* in Saturis [I, 3, 95], cum in lyricis usurparet [III, 16, 25] genetivum *rei.* — pro *e* in genetivis et dativis ab aliis *i* poni tradit Gellius IX, 14, qui ex Lucilio [XII, 4] adfert genetivum *fami.* at neque Pacuvium in Paulo scripsisse, quod putat ille, *progenii* neque Matium in Iliade *acii, specii,* neque

Vergilium Aeneidos I [636] *dii,* sed haec efferenda per *e* docet euphonia. — praeterea creandi casu Ennius [433] *dies,* Lucretius [IV, 1075] *rabies* dixere. sed quod Gellius l. supra adlato etiam Vergilio [georg. I, 208] *dies* autumat probatum, apparet eum falli.

Ceterum cum finalis *e* vel *i* ut antiquata displiceret poetis haud paucis, at *ei* propter dysphoniam, non defuere qui et genetivo et dativo quintae uti timerent. — de quantitate paenultimae in *ei* dictum l. IV.

Iam quod testatur Priscianus [768] vetustissimos ea quae sunt *mole, tabe, fame* producta protulisse *e, mole* longa finali positum non repperi, sed apud Lucretium [I, 806] *tabe,* sicut apud eundem *contage* [III, 732], et trimetro auctoris incerti, quem affert Varro [Man. 13] *squale* et *scabre.* at hercule *fame* aliter quam iambice qui adhibuerint non invenio priores Luxorio [310, 6] et Corippo [iohann. VI, 308]. adeoque vel horum tempore id visum soloecum grammaticorum aequalium testimoniis efficitur [cf. Neuii gramm. lat. I, 245]. — in genetivo autem ut antiquiores *fami* vel *fame* dixerunt, item quinta [Neuius l. m.; Gell. IX, 14, 4; 9 sqq.], ita recentiores *famis* [Verg. moret. 119; Sil. III, 326; Iuvenc. IV, 279; Charis. pg. 40]. sed dativum constat desse, nisi semel aetatis ultimae ferretur epigrammate [Mey. 1098, 4] '*quo legat hibernae commoda grana fami*'. praeterea *quie* placuit Laevio, ut aliis *requiem, requie,* et *satiem* Iuvenco [h. e. III, 216; cf. Mey. 1408, 5], cum antiquissimi dixissent *satiatem* ab eo quod est *satias.* denique illud *spebus* haud raro invenitur apud poetas seri temporis [Paulin. 18, 243; Merobaud. 4, 36; Paulinus ad Salm. v. 20].

At nomina adiectiva secundae ac primae notumst exire in *us, a, um* vel *er, a, um* praeter unum illud *satur,* a quo tamen fingitur Corippo *insaturus* [iohann. III, 369]. deinde a nominibus ducta et verbis, qualia sunt *altivolans, frugiferens,* plerumque per metaplasmum *us* vel *er* secundae adsumunt. contra pro *aeditumo,* quem ridiculo quidam veriloquio usi Varronis tempore dicere coepissent *aedituum,* a Lucretio [VI, 1273] formatur *aedituens.* verum post Augusti tempus participium referens forma ex usu evanuit. quae causa fuit, cur Ciceroni velut Enniana et indigna culto sermone illa

suaviloquens, *breviloquentia* exprobraret Seneca [Gell. XII, 2, 7]. tamen apud Valerium Flaccum V, 247 legitur *omnituens*. at Symphosii 19, 1 recte meliores libri habent *rauca sonans*, non *raucisonans*. etiam hac in parte antiquissimorum placita repetiere christiani. quippe apud Iuvencum [IV, 201; III, 623; II, 551] invenitur *flammicomans*, *glaucicomans*, *frugiferens*, apud Ausonium [idyll. 6, 11] *auricomans*; porro apud alios leguntur similia.

Vltima autem aetate pro participii finali compositis in *us* vel *er* exeuntibus etiam *ax* addi coepta. velut apud Dracontium legitur *doctiloquax* [praef. ad Theod. pg. 48 Sirm.], item apud Venantium [VII, 24^{c}, 1], apud quem et *luciferax* [II, 4, 3].

Iam, ut obiter hoc addam, cum satis constet a vetustissimis rudi etiamtum civitate in compositis talibus fingendis audaciam magis et proprietatem quam modestiam elegantiamque ostentari — quos tamen non sine laude secutus est Catullus in epyllio et in Atti —, ab Augusti aetate numerus illorum valde imminui coeptus est, vix ut alia reperiantur inde ab exeunte saeculo u. c. VIII quam Vergilii Ovidiique exemplis firmata. eximendus tamen Seneca, qui vocum in *ficus* exeuntium frequentia, ut aliis quibusdam rebus, veterum tragicorum sequitur usum. diversus quidem ab eo Octaviae auctor. igitur apud illum observavi haec '*castificus*, *incestificus*, *laetificus*, *luctificus*, *magnificus*, *nidificus*, *sacrificus*, *saxificus*, *superbificus*, *tabificus*, *terrificus*, *volnificus*'. talium autem compositorum audaciam seu frequentiam aequalibus tragicis Lucilius exprobravit in v. hoc '*ego enim contemnificus fieri et fastidire Agamemnonis*'. nam ad tragicos carpendos et alia pertinent eiusdem fragmenta, ut istud '*lascivire genus nasi rostrique repandum*', quo irridetur notus Pacuvii versus '*Nerei repandirostrum, incurvicervicum pecus*', nec minus tale:

> Tisiphone Tityi e pulmonibus atque adipe unguen
> excoctum attulit Eumenidum sanctissima Erinys.

quibus verbis apparet tragici nescio cuius tangi et dictionum abundantiam et rerum foeditatem Canidiae aut Thyestis mensas referentem. ceterum ultimae auctores aetatis classicorum rursum migrarunt modestiam. veluti unus ex his

haud dubie *largiferum* dixit Drepanius [ep. ad Vulfinum 5] secundum Ennianum [ann. 57] *dulciferum* vel Tullianum [de divin. I, 13, 22] *anxiferum.* maxime autem notandum, quod tum adiectivorum in *fluus* exeuntium largissima pullulavit seges.

Sed ut redeam ad propositum, invenitur *prosperus* pro *prosper* apud Silium [X. 202] et Iulianum [anthol. 638, 5 R.]. praeterea verborum, quae nominativo *er* habent, alia abiciunt *e*, retinent alia. sed *dexterum* an *dextrum* dicas nihil interest, quamquam vulgi usu longiorem, quod mirere, formam praelatam comicorum et Phaedri declaratur exemplo. unde aliquando per ludibrium abusi sunt auctores libertate illa, veluti Ovidius in quarto epistularum ex Ponto [7, 43]:

ut propius ventumst admotaque dextera dextrae.

idem alibi [met. III, 640; cf. Sil. XI, 553]:

dextera Naxos erat. dextra mihi lintea danti.

deinde, quod Vergilius dixit, *aspris* [aen. II, 379] imitati sunt Statius [theb. I, 622], Palladius [67], Priscianus [per. 481], alii. denique Ausonium iam supra declaravi posuisse *altrum* [de rat. dier. ann. vert. 7], quod scaenicorum instituit ad exemplum et Phaedri [cf. Ritschel. opusc. II, 662 sqq.].

Porro adnotandum adiectiva in *ius, ia, ium* finientia non admittere genetivo simplex *i*, nisi si aut substantiva fiant aut propria sint, velut legitur apud Ciceronem ac Manilium *aquari, sagittari,* apud Priscianum *sextari* [de pond. et mens. 80], Propertiique et Iuvenalis libris *Iovis Feretri; nominis Appi* [V, 10, 1; 48; 6, 385]. attamen falluntur, qui apud bonos et antiquos finalem *ii,* legitimam illam, sed parum sonoram, frequentius inveniri existimant. — deinde non absurdumst memoria adiectivorum in *eus* exeuntium vocativos, cum apud classicos poetas non reperiantur, identidem prostare apud christianos, ut puta *ignee* [Prud. cath. 10, 1], *lignee* [Sed. c. p. 1, 252], *vitree* [Aus. de nob. urb. 14, 30]. — nam quod Statius posuit [theb. VII, 28] simili asperitate sonorum *Danaa agmina,* id vero proprii vocabuli necessitate mitigatur. praeterea fuere ultimis temporibus, vocandi casu qui pro illo *mi* ponerent *meus.* ita dixit Sidonius [ad Consent. 465] '*Marcelline meus*'. deinde in pluralis numeri

genetivis breviore forma usi dixere Ennius, neutro quidem genere, [308] *paucum*, masculino Varro *invidum* [papiap. 12] et Vergilius *magnanimum*, *omnigenum*, vel potius, ut Lachmanno visum, *niligenum* [aen. III, 704; VIII, 698] ac Valerius *niveum, innumerum, aligerum, semiferum, terrigenum* [VI, 102; II, 130; VII, 171; I, 455; II, 18] nec minus Silius *lanigerum* [XIII, 433], Statius ut Maro *magnanimum* [theb. II, 733; silv. V, 3, 10], *parvum* [th. I, 609]. porro Martiano placuit *omnigenum* [IX, 911, 6] et Ausonio *geminum* [idyll. 1, 25]. ab hac autem licentia cum in adiectivis excludantur feminina, Silii illo '*lanigerum bidentum*' credo bidentem masculine adhiberi, sicut alibi dixit idem '*geminusque cupido*' [IV, 99]. neque credibilest *serium* neutro genere poni ab Martiano [III, 289, 11], ut visumst Koppio. denique dandi casu dixit Ennius [167] *Iunis*. at non ausim Martiali tribuere id quod est [IV, 18, 1] *Vipsanis;* nam hoc a nominativo *Vipsanus* potius deducendum videri l. IV expositumst, ubi de *i* vel *u* in consonam conversis agitur.

In eis, quae tertiam secuntur, primum notabo ab Ennio scriptum [ann. 16] *veter*. porro a plerisque cum sic distinguantur *dis* et *dives*, ut illud Plutoni adiudicetur nomen, vulgo tamen appellative saepe positum certe Theodosii tempore docet Ausonii versus iam l. IV memoratus [grammaticomast. 16]:

dives opum cur nomen habet Iove de Stygio dis?

praeterea a Valerio dictum *dite solum* [II, 296], sicut a Naevio in bello Punico [inc. 17] *Samnite*. quae a masculinis venere *Ditis, Samnitis*, quorum altero auctor Aetnae [644], altero utitur Prudentius [peri steph. 11, 207]. — in epistula Didus Ovidiana [7, 71] scribendum existimo:

quid tantist, 'odium merui' cur 'caelite' dicas

pro eo quod traditumst *tutum* (vel *totum*) *merui concedite dicas*. sic alibi ipse Naso [fast. I, 236] dixit *caelitibus regnis*. — quid quod *praecipem* quasi *praecipitem* posuere Ennius [422] et Laevius [18] et *mansuem* velut *mansuetem* Varro [ὄν. λύρ. 11]? — rarum admodum nec tamen inauditum illud, adiectiva in *is*, *e* cadentia ablativo adsumere *e*. ita enim scripsit Ovidius [fast. VI, 158; met. XV, 743; her. 8,

64] *bimestre, caeleste, perenne,* mox Pomponius [v. 1] *ex humile rege* eiusque aequalis et aemulus Seneca seu quis alius fuit [Herc. Oet. 1844; 1450] *incolume, quale.* at de participiis sic refert auctor explanationis in Donatum [gr. l. IV, 513] *participia in e debent desinere, non in i. auctores tamen euphoniam secuti sunt.* quod firmatur equidem norma poetarum, ut severiore paullo iudicio usus Bentleius productam finalem depulerit ex libris Horatianis. quae tamen rarissime invenitur in ablativo absoluto.

Iam in superlativis *umus* pro *imus* ne quarto quidem p. Chr. n. saeculo adhiberi prorsus desitum certissime apparet eo, quod acrosticho quodam Porfyrii legitur [21, 16] *optumus.* quod minime fuit ille recepturus, si a vulgato nimis abhorreret usu. praeterea soloece dixere Ennius [504; 5] *celerissimum,* Lucretius et Varro [I, 615; papiap. 3] *parvissimum.* quibus non melius rem gessit Luxorius dicendo *proximiorem* quasi *propiorem* hoc versu [325, 3] '*cum sis proximior, une velut domu* (ubi vocativus positus ut Statii Thebaidos IV, 621; Valerii Argonauticon IV, 467 sq.). idem placuit Corippo verbum [iohann. VII, 421; VIII, 11 ed. Petschenig.].

Haud absurde agetur hoc loco de adiectivis eis, quae *ius* genetivo, dativo *i* adsumunt, qualia sunt *unus, solus, alter.* ea legitima declinatione inflecti etsi non multis, haud tamen obscuris constat exemplis. nam ut Lucretiana *aliae* [III, 916] vel *uno* [III, 421] et antiquitatis haud pauca mittam exempla, dixere Palladius *nullo* [100], Propertius *nullae* [I, 20, 35], hic simul et Ovidius *toto* [IV, 10, 57; am. III, 3, 41]. at in Varronis versibus apud Nonium s. v. 'eunuchare' [106, 4] melius erit scribi *quod facit pro sua parte is, qui se eunuchat aut alis quei liberos perducit* quam quod olim posuimus *aut alii quei.* nam ita mollius fluunt numeri. pridem autem adnotatum a nobis non, quod Ribbeckius statuit, moneri loco illo homines ad coniugia ineunda, quasi haec qui aspernantur ideo corpus suum evirent. etenim apparet carpi cives Romanos, qui Cybelae ad sacerdotium aut ipsi se traderent aut pellicerent alios. cuius pravitatis exempla coalitis religionibus peregrinis cum prima extitissent medio saeculo u. c. VII. finiente eodem haud dubie provenere multiplicata.

Praeterea *alis, alid, ali* adhibuere Lucretius et Catullus. de Lucilio res ambigua. nam quod olim probavimus IX, 30, partim alienis inventis usi, partim nostro:

sic item 'apud se' longe alid est, neque idem valet 'ad se',

id parum iam placet, primum quod in praecedente versu legitur *aliud longe,* deinde quia ante illud *ad se* desideratur *atque.* codex habet: *sic apud* (per compendium scriptum) *se longe aliud esse neque eadem valet ad se,* quae ex sequente versu tali: *intro nos vocat ad sese, tenet intus apud se* labem videntur traxisse. itaque legendum conicio:

sic item aput longest aliud neque idem valet atque ad.

porro haud indignum memoria in *alterutro,* cum feminini quartum casum geminata extulisset declinatione Lucretius [V, 588], alibi eundem, sicut ceteros dactylicos, integram servare partem priorem.

Deinde pronominibus personalibus vel possessivis rarissime evenit apud bonos auctores ut adhaererent illa *met* vel *pte,* quippe quae, cum nullum verbis adderent pondus, nimis metri necessitatem arguerent. paulo frequentius illud; *pte* tantum apud Catullum [51, 10] et Lucretium [VI, 755] extat in eis, quae sunt *suopte, suapte.* ita et *tute, tutemet* (vel *tutimet*) antiquata. — *meme, tete* in dactylico metro non invenio. contra *sese* per omne tempus mansit metri servandi gratia promiscue adhibitum pro *me.* — ab Ennio et imitatore eius Lucretio dictum *sis oculis* pro *suis,* ab illo et *sos, sas* pro *eos, eas* iam l. IV notavi.

Praeterea in pronomine *hic, haec, hoc* ita res habet. Ennius cum scripsisset haud dubie in hexametro [ann. 294] *haece locutu' vocat,* quaecumque apud Lucilium posui longioris formae exempla parum certa concedimus, excepto ubi praecedit *s* littera, ut *hisce* [I, 29]. nam ita et apud Horatium invenitur [s. I, 3, 70; 4, 6] *pluribus hisce; hosce secutus.* conferenda quae notavimus ad Saturarum I, 3, 70. apud castigatissimos classicorum *ce* non usurpatum nisi in monosyllabis formis et addita enclitica interrogativa et quidem *e* in *i* mutato, ut *huncine, hocine, hucine, hascine* [Val. Fl. VII, 417]. nam et ita dixere *sicine.* — mox Appuleius ac Terentianus cum neotericis vetustissimum repetiere usum formis

monosyllabis et in sigma exeuntibus, quae sunt *hisce* [Ter. 102; Prud. c. Symm. II, 880; Sid. paneg. Anthem. 446], *hosce* [Sid. ep. IX, 15, 51], *hasce* [Mey. 227, 4; Prud. p. st. 10, 496]. ceterum numquam invenitur apud dactylicos *nunce*. quod contra hac nisi forma usus eris, non stabit in Terentii Hautontimorumeno octonarius iambicus ille [187] '*atque etiam nunc tempus est. — cave faxis. non opus est, pater*'. — praeterea nominativo numeri pluralis *hic* Ennius, Lucilius, Pacuvius (apud quem traditum *haec*) dixerunt ita [ann. 443; XXVII, 41; cf. et XXIX, 60; XVI, 11; Ilion. 2]:

> hic insidiantes vigilant, partim requiescunt.
> nam hic quidem
> reditum talem portendebant neque alia in re offendere.
> sed heic cluentur hospitum infeidissimi.

item notandumst pro illo *hae* binis Vergilii [georg. III, 305; aen. VII, 175], singulis Catulli [64, 320] et Iuvenalis [6, 592] versibus optimorum codicum auctoritate adseri *haec* [cf. Fleckeis. mus. rhen. VII, 271]. ita et in epitaphio Claudiae habes [Mey. 1276, 5] '*horunc alterum in terra linquit*'.

Sine substantivo fere illa *olli* et *ollis* cum adhibuissent Ennius et Lucretius, ea antiquitatis studio a Marone recepta haud pauci probavere, dandi ferme casu, scilicet Valerius [III, 386; V, 127], Silius [I, 104; VI, 135], Nemesianus [cyn. 264], tum ex christianis, qui etiam in iambos recepere [cf. Avien. or. mar. 358; 377], Iuvencus, Avienus, hi quidem satis frequenter, at rarius Prudentius [apoth. 305; hamart. 543; 729], Ausonius [id. 6, 90; 10, 167; de puerp. 4], Orientius [comm. II, 84]. sed abstinuere longe plures formis isdem, Lucilius — cui male quidam tribuere '*volgu' redamtruat olli*' —, Horatius cum Persio et Iuvenale, Catullus, Tibullus, Propertius, Grattius, Lucanus, Homerus Latinus, Petronius, Calpurnius, Claudianus, Namatianus, Terentianus, Boethius, Martianus, Luxorius, Maximianus, Sedulius, Arator, alii haud pauci. apud Statium ad Achilleidos II, 44 cum adnotarit Bernartius in vetere libro haberi *olli subridens,* sicut dixit Vergilius Aen. I, 254, O. Muellerus neque hoc loco neque alibi hanc pronominis formam in codicibus se invenisse adfirmat. — quod autem observavit vir acutissimus Philippus Wagnerus [quaest. verg. 21, 9] apud Maronem formas *olli*

et *ollis,* quae non in Bucolicis et Georgicis legantur, nec in ipsa Aeneide aliter inveniri quam in narratione gravi et sedata, numquam in orationibus, idem non indignumst memoria iam Romanis hominibus fuisse observatum, id quod et aliorum exemplis declaratur et maxime Iuvenci, qui easdem voces semper initio metri collocatas numquam adhibet nisi ut incohent orationem personarum sanctarum, ut puta sic '*olli Christus ait*' vel '*olli confidens respondet talia Petrus*'. similiter Drepanius epistula ad Moduinum de Christo '*quas olli exultans turba canora dedit*'. denique *ipsus* dixit secutus antiquissimos et in proverbio olim trito Ausonius. nam in praefatione altera Bissulae [v. 6] ita ait:

sic vetus verbum iubet,
compedes, quas ipse (*puto* ipsus) fecit, ipsus ut gestet faber.

Iam Latinis nominibus absolutis persequemur Graeca, pauca prius praefati de universis.

Igitur cum vetustissimi auctorum raro admodum flexiones adsumpsissent peregrinas [cf. vit. Ennii 195 sqq.], qui et saepe soliti declinationem Graecam per metaplasmum ori adaptare Latino, inde ab Accii et Lucilii tempore, partim metro ut facilius satisfieret, partim iactantia studiorum, valde increbuerunt terminationes Graecae. et de Accio quidem sic testatur Varro libro de l. L. X [70]: *Accius haec in tragoediis largius a prisca consuetudine movere coepit et ad formas Graecas verborum magis revocare; a quo Valerius ait:*

Accius Hectorem nolet facere, Hectora malet.

ac de Varrone ipso Plinius apud Charisium l. I [38]: *quam maxime vicina Graeco Graeca dicit, uti ne* '*schematis*' *quidem dicat, sed* '*schemasin*'. de insequentibus autem Quintilianus [I, 5, 63]: *nunc recentiores instituerunt Graecis nominibus Graecas declinationes potius dare, quod tamen ipsum non semper fieri potest.*

Itaque apud Ennium vix inveniuntur Graece inflexa nisi haec [ann. 275; 181; 567; 150; 472] *Aeacidas* (ubi traditum *Aeacida*), *Aeacidā*, *agoeā*, *aera*, *aethera*. et *aera*, *aethera* etiam in prosa dici solitum norunt omnes. idem tamen alibi [sat. 42] *aerem,* sicut et Sidonius [epithal. Polem. et

Aran. 88]. dubia autem illa [vit. Enn. 196] *Anchisen, crateras* [ann. 18; 466].

Iam ad Accium Luciliumque ut progrediar, a mutatis horum rationibus non fuit alienum illud — nam magnarum rerum momenta parvis saepe signis declarantur —, quod et *scenam* scripsit Accius pro *scaena* [Varro de l. L. VII, 96] et amicus eius Iulius Caesar Strabo primus de *Tecmesa* composuit tragoediam, quae ante diceretur *Tecumesa,* atque ita in scaena iussit pronuntiari [Mar. Victorin. pg. 2456]. apud Lucilium tamen quaedam incerta, cum interdum Graeca integra, sed eadem Latinis litteris perscripta inseruisse videatur Saturis, sicut et Lucretius l. IV [1152—1161].

Ceterum non videtur posse dubitari, quin a Gracchorum aetate adhibitae sint promiscue in prima *e, es, en, as, an,* in secunda *os, on,* in tertia *os, a, in* (vel *yn*), *ĕs, ăs.* quae deinde per omne tempus duravere.

Sed Vergilius et studiorum consortes quaedam ex eis, quae Lucilius, Varro, Euphorionis cantores admisissent, rursus abiecere, veluti *us* accusativum secundae et correptum in dativo tertiae *i,* cetera proprio exemplo sanxere ita, ut insequentes acquiescerent ferme eis nec aut damnarent nisi pauca aut novarent. ceterum Horatium in lyricis plura admittere Graeca quam in iambicis ac Saturis et Epistulis olim adnotatumst.

Praeterea dignissimum memoria illud, nominum Graecorum, si propria sive technica omiseris, omnino maiorem quam apud optimos auctores copiam inveniri apud antiquissimos, h. e. ad finem saec. a. u. c. VII qui vixere. nam hi vel communis sermonis, qualis tum erat, imitatione vel iactantia artis novae plurima adhibuere, quae postea sunt relicta. scilicet Romani, quantumvis impediti patrii sermonis egestate, tamen cito corroborato iudicio et reparato pudore insolentia nimis exuere. ex aetatis aureae argenteaeque scriptoribus qui proxime accederent ad vetustissimorum exemplum, haud obscuram ob causam fuere satirici cum Martiale. dein christiani rursus sanam illam, de qua supra memoravi, continentiam aliquando deseruere, partim materiae inducti natura, partim defectu elegantiae.

Igitur ut singula persequar, quae apud Graecos habent

nominativo *a* longam, aliquando producunt eandem poetarum Latinorum usu, sed rarissime extra nomina propria, velut *cinarā* legitur Columellae v. 235, nec umquam apud Lucilium, Lucretium, Horatium, Lucanum, Persium, Iuvenalem, Claudianum. huius licentiae primum praebet exemplum — modo fides sit Isidoro, homini levi admodum, qui affert — antiquissimus auctor artis Ennius [567]:

multa foro ponit et agoeā longa repletur;

ubi quidam '*et longa repletur agoea*'. sed qui Graecorum in modum *Aeacida*, potuit etiam *agoea* efferre finali longa, sicut alii similia inde a Ciceronis aetate, qui primus ex insequentibus id admisit. nam non magis assentior Broukhusio [ad Propertium II, 11, 5] et Kootenio [ad Pind. Theb. 640], qui corrupta ac falsa statuerunt esse exempla ista, quam Lachmanno, qui non *Aethrae* modo, etiam *Ledae* et *Phaedrae* vocabula pridem notissima Latinis per tragicos potuisse corripi ab Ovidio negat [p. 406], cum iam *Ledam* accusativo dixerit Lucilius [XVII, 1] nec aut saepe aut libenter admiserint *a* productam istam auctores — unde ipsi Ovidio dicta potius *Lede* Amorum libro primo [10, 3] — et concedat ille *Pasitheae* nomen iam a Catullo, *Philomelae* a Vergilio ipsoque breviari Nasone.

Porro *Anchisa* dictus Latine Ennio Ann. v. 19, si recte vitiosam lectionem emendavimus. nec ab eodem scriptum credo 18 *Anchisen*. contra Vergilius vocativo usus *Anchisa* per molossum [aen. III, 475, ubi tamen libri variant] ab eo quod est *Anchisas* duxit flexionem.

At Latine nominativo vel vocativo *Atrida* ponitur a Propertio Horatioque [III, 6, 1; s. II, 3, 187], ab hoc et Ovidio [s. I, 6, 120; met. VI, 400] *Marsya*, item a Martiali ac Iuvenali [II, 64, 8; 9, 2], a Seneca *Tiresia* [Oed. 289], ab eodem *Pelia* [Med. 201], a Persio et Octaviano *Mida* [1, 121; 204], a Sidonio [paneg. Anthem. 176] aliisque *Archyta*; et multa dicta similiter. contra *Tiresia* in vocativo *a* producta extat apud Horatium [S. II, 5, 1]; atque ita *Tiresias* videtur reponendum Lucilii frgm. inc. 110. porro bucolicon ab auctore Einsidelensi *Mida* adhibetur iambice [1, 1].

Praeterea haud indignum memoria *Hippodamen* vocari a Vergilio Ovidioque [georg. III, 7; met. XII, 210], quae

plerumque audit *Hippodamia.* dixit de talibus, quae sunt *Hippodame, Laodame,* Meinekius in Analectis Alexandrinis [pg. 46]. atque huius formae unicam audaciam demiratus est Martialis l. IV epigr. 31, quod non recte intellectum a Friedlaendero. nimirum dolet ille, quod nomen eius, quam compellarit, non possit metro adaptari nisi audaciore mutatione. eademst igitur sententia, quae apud ipsum legitur IX, 11 nec non apud poetas plurimos. significatur autem versu isto '*non semper belle dicitur Hippodame*' non licere summorum poetarum felicem aliquando in propriis invertendis insolentiam imitari minores. contra promiscue ponuntur *Calliope, Calliopea; Cassiope, Cassiopea; Penelope, Penelopea.*

Porro hoc loco tractanda patronymica sive Graeca sive Graece formata Latina, de quibus iam plura ac potiora mihi videor posse proferre quam vel a Lachmanno in commentario Lucretiano [206] vel in editione priore huius libri prompta.

Itaque cum Romani Graeca pleraque a Doriensibus accepissent, qui magnam incolebant Graeciam, non est mirum quod ab Ennio, antiquissimo auctore artis, *Aeacidan* dictum, qui Ionice vocatur *Aeacides,* declarat hic versus [181]:

aio te, Aeacidā, Romanos vincere posse.

atque hoc exemplo firmatus *Aeacidas* nominativus suasore Zangemeistero a nobis est restitutus Ann. 275. ita apud Lucilium Lucretiumque [l. inc. 31; III, 1032] invenitur *Scipiadas,* cuius tamen nominis auctorem fuisse Ennium haud improbabiliter coniecit Lachmannus. nam etsi idem in versu dactylico cum hiatu dixit [345] *Scipio invicte* vel *invictae,* potuit tamen fingi illud ab eo, ut quod facillime intraret in metrum dactylicum, sicut in eodem carmine Lucretius et *Memmium* vocavit et *Memmiadam.* cuius in verbis [I, 26] *Memmiadae nostro* puto *Memmiadae* repetendum a *Memmiadas,* quia ab eodem usurpatur *Scipiadas.* et convenit audacia formandi (nam *Scipionides* debuit poni) ingenio Ennii, ut qui, quantum posset maxime, omnia Graecae linguae adaequaret suavitati. iam Vergilius et Horatius cum Propertio ac Silio aliisque utram nominativi formam praetulerint, non liquet. nam apud Horatium quod legitur [sat. II, 1, 17]

Scipiadam ut sapiens Lucilius, hoc a nominativo potest deduci *Scipiada,* ut alibi [s. II, 3, 187] apud eundem ponitur vocativo *Atrida* correpta *a.* — neque tamen indignum memoria a Varrone, homine antiquitatis amantissimo poni illud *Prusiades,* quod planest formatum ut *Scipiades,* in satura περὶ ἐξαγωγῆς, cuius loco quodam, Ennii secutus Epicharmum, sermonem apud inferos habitum refert: *quia Romanis, inquid, me Prusiades tradere volebat.* — tandem a Claudiano certumst adhiberi id quod est *Scipiades* [23, 1; 21]. atque eandem agnoscit formam Priscianus l. VII [pg. 729]; verum auctor explanationis in Donatum l. I habet haec [gr. lat. IV, 527]: *Scipiadas; Memmiades* (puto *Memmiadas*). infra tamen idem '*Luciliades, et Memmiades, Scipiades*'.

Sed praeter illud *Scipiadas* certum nominativi dorici exemplum non innotuit mihi. quod contra vocativus invenitur, ut in *Aeacida* Ennii [ann. 181], *a* producta apud Nasonem [met. VII, 798; VIII, 550] in *Aeacida, Cecropida;* idem tamen saepius [heroid. 3, 87; a. am. I, 691; met. XI, 250] *Aeacide.* haud raro in hisce variatum sive editorum arbitrio seu libidine librariorum. nec tamen potest dubitari, quin, ut nominativus, ita vocativus patronymicorum plurimis longe locis in *e* productum sit flexus a dactylicis, non in *a.*

Contra vix est quod moneam ad tertiam declinationem non inflecti haec verba nisi a deterrimis christianorum.

Non videtur a re hoc loco proponi omnia patronymica graecanico modo ducta a nominibus latinis.

Igitur apud Lucilium praeter *Scipiadas, Scipiadae* [inc. l. 31; XI, 10] invenitur illud *Tuscolidarum* [inc. 6] pro incolis Tusculi, item *Apulidae* [III, 23] pro equo Apulo, apud Lucretium [I, 26] *Memmiadae. Scipiades* (sed incerta praeter Claudianum nominativi finali) apud Vergilium, Horatium, Propertium, Silium, Claudianum, alios habetur. *Romulidarum* nomen primum apud Lucretium ac Vergilium occurrit; sed dubitare possis an ab Ennio sit fictum. at seri poetae quin patronymica talia in *es* exire voluerint casu primo non est dubium. ea haec fere sunt: *Honoriades* [Claudian. 10, 341], *Anniades* [Claud. 1, 9; Prudent. contra Symm. I, 551], *Minciades* [Iuvenc. praef. hist. eu. 18 M.], *Iuniades* [Auson. idyll. 11, 37], *Piniades* [Paulin. 21, 840], denique *Caecilides*

[Coripp. iohann. III. 47; VI, 375; 475]. atque haec omnia post saec. provenere III.

Incertist auctoris nomen *Luciliades*, quod a commentatore quodam Donati loco supra scripto affertur [gr. lat. IV, 527]. ubi codices vitiose vel *lucidiades* vel *lutiades*. nec tamen improbabilest istud ex Lucilii saturis decerptum, qui quidem videtur similiter patronymico se notasse atque amicum dixit *Scipiadam*. quae si recte habet opinio, nominativus fuit *Luciliadas*.

Denique ita Claudius quidam in titulo sub finem saec. p. Chr. II posito *Appiadum* dixit pro *Appiadarum* [Mey. 819, 2]. cum quo comparari possunt Ovidiana [rem. am. 660; a. am. I, 82; III, 452] *Appias*, *Appiades*, dicta de aqua Appia et statuis nympharum circa positis. aliter habet Horatii *Daunias* [C. I, 22, 14] in loco a multis suspectato. hoc enim potest videri petitum e Graeco et dictum eodem modo quo *Asis*, *Troas*.

Sed ut redeam, unde sum digressus, genetivo in *as* desinente qui usus sit (nam in *es* exiens a nominativo in *e* terminato frequens fuit), sicut apud Livium XXXII [13, 10] legitur *Angeias*, non invenio. dubium quippe illud *ambrosias* Lucr. VI, 971. — denique *lymphon* pro *lympharum* velut Graeco nomine dixit Varro Bimarco [21].

Restat ut enarrem quae per metaplasmum ex tertia declinatione accessere primae.

Igitur nomina propria tertiae Graecae in *es* longum excurrentia, quae admittunt contractionem, ut saepe in accusativo adsumunt *en*, secuta primam, ita aliquando ablativo recipere *e* productum quasi patronymica adnotavit Lachmannus ad Lucr. I, 739. ita *Hippomene* legitur apud Ovidium Metam. X, 608, *Archigene* apud Iuvenalem 13, 98. praeterea apud Senecam et Statium cum Claudiano [Phoen. 89 al.; theb. VII, 513 al.; in Rufin. I, 84; in Eutrop. I, 289] *Oedipodes* vel *Oedipoda* dictus, qui plerumque *Oedipus*. ita subinde et Graeci.

Neutra in *a* exeuntia cum feminino generi et primae declinationi addidissent scaenici veteres, iam Ennius hunc usum sprevit dicendo *poemata* [ann. 3]; atque ita Lucilius [XXX, 4], apud quem et *schema* et *emblema* secuntur tertiam.

idem tamen alibi ablativo posuit *cataplasma* [XXIX, 88]. hoc multo magis est mirum, quod ab eo, qui de nominibus dubiis scripsit, [gr. lat. V, 590] Cornelio Severo, quo et alias usus est, Augusti aetatis auctori, tribuitur *syrma* femininum. verba sunt haec: *syrma generis neutri. priores feminine, ut Cornelius: tragica syrma.* ac plerumque adducor, ut latitare statuam hoc loco fragmentum Valerii comici, quod Priscianus memorat [679] '*quid hic cum tragicis versis et syrma facis?*' cum praesertim haud raro libellus iste eadem nos vanitate seu rerum sive nominum eludat. tamen continendum iudicium, quoniam a Severo aliquando audacius grammaticorum pariter praecepta et elegantiae leges videntur spretae. nam Charisius l. I [81] de *pampino* feminine posito ab eodem talem refert sententiam Plinii: *moveremur Cornelii auctoritate, si quidquam eo carmine puerilius dixisset.* — ceterum etiam istum loquendi usum repetiere christiani. nam Venantius ablativo dixit *celeuma* pro *celeumate* [v. Mart. IV, 423]. — denique nota sunt illa: *placenta, cratera, clamida (chlamyda)*, quae ab accusativo ducta Graeco. sed enim talia multo magis frequentata usu auctorum aetatis ultimae, veluti dixit Luxorius [358, 3]: *Chilon, quem patria egregium Lacedaemona misit.*

At secunda in declinatione primum notabo per metaplasmum Latino ori adsimulata illa, quae sunt *Arabus* [Verg. aen. VII, 605; cf. Luc. XXVI, 78], *Aethiopus* [Luc. III, 5], *delphinus* [Lucil. VII, 10], *elephantus* [Enn. ann. 186; 249], *Titanus* [Enn. ann. 330; Commod. I, 20, 3]. e quibus cetera cum sint rara vel a bonis auctoribus aliena, *elephantus* per omnia tempora aequabili duravit usu. cuius vocabuli formam Graecam cum ad medium fere u. c. saec. VIII vitasse videantur poetae — nam in Luciliano [I, 33], quale fertur vulgo, *miracla cient elephantas* scribendum existimo vel *elephanteis* vel *elephantos* (libri plerique *telefantes* sive *telefantas*; Bamberg. *elefantis*) —, primus adhibuit Horatius [ep. II, 1, 196], item Rabirius hoc versu [gr. lat. V, 578]:

ac veluti Numidis elephas circumdatur altus,

tum Manilius [V, 706]. utraque autem usus est Priscianus [596; 1017; 1028]. morbi tamen nomen Graecam semper ser-

vavit terminationem [cf. Lucr. VI, 1112]. porro ut *Phorcus* plerisque [Hom. Lat. 247], ita *Cotus* dicitur Lucilio [XVI, 7], et sic nisi fallor *Capus* Ennio [ann. 17]. — praeterea neutra in *os* exeuntia apud Latinos cum legitime *um* habeant, sicut dixit Martianus *melo* [II, 119, 6], tamen est ubi mutato genere *os* in *us* convertant. ita Manilius ponit *cetus* lib. I [433] nec non Drepanius hymno trium puerorum [v. 33] '*te ceti immanes et quidquid reptat in undis*'. iam quae Graece exeunt in *bros, dros, tros,* cum Latine plerumque adsumant *er*, tamen apud poetas pro necessitate metri aut libidine variandi saepe externam secuntur flexionem. nam ita apud Maronem [aen. X, 394] decantato a grammaticis exemplo invenitur *Thymbre*, item [XI, 55] *Euandre,* apud Terentianum [2263 al.] *trimetrus,* sicut is, quo usus est, Caesius Bassus.

Praeterea usque ad Augusti tempus substantiva non ex adiectivis mutata, quae in *ius, ium* exirent, habuere *i* in casu genetivo, plane ut Latina. nam Terentius non magis scripsit *Sunii* [eun. III, 3, 13], quam Ennius *Brundisii* vel *Tarquinii* [cf. vita Enn. pg. 196 sq.]. — mox, ut in ceteris factum, eadem pro necessitate metri modo *ii* recepere, modo *i*. nam minuta forma minime spreta usu neotericorum. ita apud Claudianum habes *Olybri* [1, 30], apud Sidonium *Caprasi* [euchar. ad Faust. 110], *Leonti* [burg. Leont. 194; cf. Auson. XVI, 8, 3 ed. Schenk.], *Naupli* [ad Magn. Felic. 161], apud alios alia. porro Vergilius et *Androgeo* posuit [aen. VI, 20] et de altero *Androgei* [aen. II, 392]. idem [aen. II, 425] cum Homero Latino [789] *Penelei*. praeterea cum apud veteres Romanos contracta nomina tertiae in *es* plerumque per metaplasmum genetivo sumpsissent *i*, id posteriore aetate non perinde fuisse usitatum hinc apparet, quod inter apocopes exempla refertur a grammaticis *Achilli* positum pro *Achillis*. item Maro ac Valerius [georg. I, 332; I, 664] soloece dixere *Athon o* correpta. deinde vocativo illi placuit *Panthu* [aen. II, 322; 429]. et hoc quidem nimis idem graecanice. contra nominibus in *ĭus* exeuntibus praeter ea, quae prius fuissent adiectiva, *i* Latina cedere solita. nam ita Horatius [s. I, 10, 90; ep. I, 7, 52] *Demetri:* mox Statius [theb. VII, 355] *Lai*, Ausonius [prof. Burdig.

20, 4; 23, 1; epist. 15, 2] *Staphyli, Dynami, Tetradi.* at ab eo, quod est *Laertius, Laertie* ductum Laevio:

nunc, Laertie belle, para
ire Ithacam.

Plurali numero Lucilius videtur dixisse *soloecismon* [IX], quamquam res non certa; nam in codicibus Pompeii, qui adfert [V, 289], legitur *soloecismo, soloecismos, soloecismum.* Varro posuit *Ludon* [hecat. 1], itaque Ausonius [profess. Burdig. 21, 26] *mython,* ubi codices *mytho.* — denique antiquissimi accusativo interdum *us* dixere pro *os,* ut apud Accium [v. 624] legitur *adytus,* apud Lucilium et Varronem [XXVIII, 7; Marcip. 5] *atomus; syrus.*

Porro tertia declinatione *Acragas* in Vergilii Ovidiique ac Silii prostat libris [aen. III, 703; fast. IV, 475; pun. XIV, 210], in Lucani [V, 376] *Taras,* vulgo cum placeret *Agrigentum, Tarentum.* legitur et *Tarentus,* ut Sil. XII, 434, sed raro.

Feminina in *o* antiquissimi poetae flexerunt Latine, velut Ennius dixit [272] *Poenos Didone oriundos.* ita idem usque ad Accium, qui primus invertit, *Hectorem* producta *o.* sed Varro graecanice [age modo 1] *Argo citiremem,* item insequentes, qui genetivum in *us,* ceteros casus in *o* flecterent, ut tamen ablativus rarissime poneretur, velut *Io* apud Propertium III, 28, 29, dativus, nisi quid me fugit, numquam. quamquam in accusativo aliquoties invenitur Aeolicum *on,* ut apud Ovidium [am. II, 2, 45; heroid. 6, 65; 7, 7; 12, 9] et Propertium [I, 20, 17] et in Priapeo quodam [68, 23]. sed et *un* adhibitum declarat Ateius Philologus, qui librum edidit sic inscriptum '*an amaverit Didun Aeneas*' [cf. Charis. pg. 102; Mart. Cap. III, 292]. — *Oedipus* ubi efferatur correpta finali non memini praeter Dracontii versum unum [10, 584], quamquam auctores perboni flexerunt ad normam secundae; sed longa ultima posuit Seneca Phoen. v. 313, cui convenit genetivus *Oedipodis.* idem in eadem v. 178 usus vocativo *Oedipu* (libri *oedippum*), sicut Statius dixit Theb. III, 546 *Melampu.*

Neutra in *os* exeuntia externum ad modum primus adhibuit Ennius l. VIII '*tibia musaeum pangit melos*', ubi traditumst *musarum.* quamquam nescio an scribendum sit *melus*

(ut *pelagus* dicitur), quod Naevio restitui Nonii 213, 11. illud *pangit* videtur corruptum. eadem cum apud optimos auctores praeter nominativum et accusativum singularis numeri non habeant nisi pluralis casus eosdem contractos, sicut Lucretius *pelage* dixit [VI, 619; cf. et V, 35], item Catullus [63, 16, ubi libri *pelagi*], Maro *cete,* multi *tempe,* praeterea Propertius [III, 32, 29], si recte coniectavimus, *epe.* contra constat Terentianum scripsisse [1922] *meleos,* Ausonium [par. 27, 2] *melea,* Pentadium [Mey. 252, 12] et auctorem Ponticon [Mey. 234, 22] *tempea,* qua forma etiam Valerium puto usum in l. VIII [162] ita: '*quod nullae te, nata, dapes, non ulla iuvabant tempea,* ubi vulgo fertur *tempora.* sic scribendum IV eiusdem [364] *tenuisset* h. e. *optinuisset* pro eo quod antiquitus traditur timuissset:

qua fraude negaret
aut quos inventos tenuisset Iuppiter astus?

Sed ut redeam ad propositum, nomina, quae habent *cles,* non placuit genetivo aut accusativo adsumere *ĕŏs,* vel *ĕă,* licet Statius [theb. XII, 91; 421; II, 384; VII, 539 al.] *Eteocleos, Eteoclea,* Ausonius [epigr. 8, 1] *Agathoclea* dixerit. — at quae in *eus* finita, plerumque in genetivo *eŏs,* in accusativo *eă* recipiunt (in hoc a bonis dactylicis aliena finalis Latina), et quidem *e* brevi. tamen producta eadem posuere Maro [aen. III, 122] *Idomenea,* Avienus [phaen. 440 sq.] *Cephea,* Germanicus [phaen. 191] *Cepheos,* Ausonius [Il. perioch. I] *Peleos.* — at longum *o* vel *a* numquam admittitur in casibus, quos dixi.

Dativo graecanico per spondeum usus est cum Claudiano [40, 33] Vergilius Buc. 4, 57 ita [cf. et aen. V, 184]:

Orphei Calliopea, Lino formonsus Apollo.

sed *i* correpta qui posuerit non invenio nisi duobus exemplis Catullum [64, 247; 66, 70] *Minoidi* et *Tethyi,* tribus Statium [theb. III, 521; achill. I, 285; silv. IV, 2, 28] *Iasoni,* pro quo libri *Iasone, Palladi, Doridi* (libri *Doride*). ita propter elidendi leges in epistulae Hermionae illis [8, 71] *Castori Amyclaeo et Amyclaeo Polluci,* nisi spurius est versus, verbum *Castori* aequat dactylum. quare minime intellego, quonam fretus argumento statuerit Vossius [d. arte gramm. II, 34] non videri *i* in talibus extendi extra caesuram.

Nec vero de *e* finali cogitandum, quae subinde in Latinis invenitur usque ad Varronem, semel bisve et post.

Accusativo Ponticon auctor [720, 1 anthol. ed. R.] dixit soloece *Tethya,* item Priscianus [perieg. 579]. — ab illis, quae sunt *aer, aether,* orti etiam in prosa efferuntur graecanice. et ita dactylici inde ab Ennio. sed invenitur *aerem* apud Ennium [sat. 42] et Sidonium [epithal. Polemii et Araneolae 88]. deinceps in ablativo nomina vel substantiva vel adiectiva invenitur ubi adsumant *i* [Lachm. ad Lucr. I, 739], ut *ab Achilli* apud Ovidium ep. ex P. III, 3, 43; *croco Cilici* Lucr. II, 416; *Cilici — arvo* Cul. 401. praeterea eodem casu Martianus posuit *chely* producta *y* l. IX [915, 7]. ac similia Plinius et Servius.

Genetivus pluralis numeri in *on* rarus est. recte tamen, ut puto, apud Catullum [66, 48] docti *Chalybon.* nam eodem tempore Varro dixit in hendecasyllabo *Arcadon* [Endymion. 8]:

uti (*libri* ut) Mercurium Arcadon colonum.

ita *epigrammaton* Martialis [I, 1, 3; 117, 3]: *epigrammaton libellis; epigrammaton libellum,* sed quasi in titulo, ubi plerumque Graecas finales praetulere Romani. — in dativo cum primus Varro dixisset *schemasin, ethesin* [Charis. pg. 38; Parmen. 15], Catullus [64, 287] posuit *Naiasin.* sic enim recte videtur scriptum ab Hauptio; in codicibus est *minosim.* conferenda quae Riesius notavit ad hunc locum. secutus est Catullum Propertius, qui in c. 20 l. I [12; 32; 34] prompsit ea quae sunt *Adryasin, Hamadryasin, Thyniasin.* nam etsi in primo exemplo et altero corruptis membranis variant doctorum commenta, de dativi forma dubitari nequit. porro iure idem apud Ovidium [her. 13, 137; a. am. III, 672; trist. V, 5, 43] restituerunt illa: *Troasin, Lemniasin, heroisin.* sed post Ovidium poetae eandem exclusere finalem, cui semper adiecta *n* propter odium correptae *i* finalis.

Denique in genetivo et dativo neutra *a* littera terminata cum ratione faciant *atum, atibus,* usu potius est *atorum, atis,* velut Accius dixit *genera poematorum,* Florus *poematis delector.* apud dactylicos uterque declinandi modus fere vitatur; nam *atorum, atum, atis* finales ab eorum plerumque numeris fuere alienae; *atibus* parum usitata vulgo.

At nomina adiectiva Graece flecti magis fuit usitatum

apud antiquiores. ita enim habes apud Lucilium [l. inc. 113] *Atticon;* apud Varronem [Eumen. 48; Marcip. 3; mod. 5] *Attices; astricen; Delphice.* sed quaecumque apud Lucretium libro IV a v. 1152 usque ad 61 sunt perscripta, iure omitto, quia Graecis potius debuere reddi litteris. at Vergilius dixit [bucol. 10, 12] *Aonie*, Silius [XIV, 515] *Ortygie*, et ita *Paphie* vel *Paphien* multi, ut Columella [193], Statius [silv. III, 4, 82], Martialis [VII, 74, 4], Ausonius cum Martiano [epigr. 94, 3; cf. id. 14, 21; VI, 704, 1]. — genetivum adiectivi proprii per *i* unum efferre solus sustinuit Seneca Hippol. 1022: *Epidauri dei.* praeterea per epenthesin *bucerium* pro *bucero* dixit Lucretius l. II [663] et barbare Terentianus [2170] *Ausone terra* pro *Ausonide:* ac vix melius Persius [6, 6] *Ligus* vel *Ligys ora* pro *Ligyssa.* — comparationem graecanicam qui fecerit non invenio praeter Lucilium, cuius est [inc. 33] '*ne rhetoricotero' tu sis*'.

At enim hybridas formas et mixtas ex sermone Graeco ac Latino vix umquam adhibuere dactylici. contra notum barbara nomina graecanice flecti haud raro, et quidem sine offensione ulla, nisi insint in eis litterae a graeca lingua alienae, quamquam ne hoc quidem caret exemplo. igitur *Allobroga* dixit Iuvenalis [7, 214], *Allobroges* correpta *e* Ausonius [ordo nob. urb. 110]. ita apud eundem illud *Haedues* legitur dactylicum [parental. 4, 6]. neque caret venia quadam, quod *striges* nominandi casu pyrrichiace posuit Statius [theb. III, 511]; nam fuit στρίγξ. sed forma olim emollita ore Latino. nec tamen ita excusatur, quod *virgines* Paulinus [36, 142] correpta extulit finali ita: *Vestae quas virgines aiunt.* — at vix mentione dignum, quod apud Silium [I, 502; 573; II, 446] legitur *Saguntos* pro *Saguntus* vel *Saguntum,* cum aetate huius urbs, quae olim Ζάκανθα, iam et a Graecis diceretur *Σάγουντον* vel *Σάγουντος*. apud Claudianum [41, 4] recte, ut videtur, docti ex Lucensibus excerptis *carmina seu fundis seu Cicerona tones;* ubi ceteri libri *Cicerone.* quo aliquanto crassius est, quod *Trevidon* breviata *on* usurpatum a Sidonio [propempt. ad libr. 32]. contra vix est quod moneam non scriptum a Lucano [I, 231] *Ariminon*, quod coniectura ei tribuit Grotius. — neque apud Priscianum in Periegesi recte habere existimo [470] quod fertur:

post quam non longe cernuntur litora Cyrni,
Corsida quam pariter geminato nomine dicunt;

sed potius *Corsica quae*. idem alibi Indiae pericula declaraturus non dixit [603]:

nam mala tam pelagus quam terra merentibus offert,

dixit *morantibus*. nec rectius ibidem traditum hoc [833]:

aspice nunc igitur, dum finem versibus ortus
pervenio retegens tibi veris omnia rebus;

ubi apparet *verbis* reponendum esse pro *rebus*.

In adverbiis primum notabo Lucilium dixisse *facul* [VI, 2]. cui contrarium *difficul* a Varrone pro adiectivo ponitur eodem versu, quo simplicis verbi legitimam formam adhibet [Bimarc. 15]:

quod utrum sit magnum an parvum, facile an difficul.

sane illud *facul* ne Afranii quidem, qui Pacuvio exprobravit, tempore satis fuit probatum Romanis. — deinde *illo* pro *illuc*, etsi magis usitatum fuit apud vetustiores, posuere etiam Seneca [Herc. fur. 864], Statius [theb. IX, 30; XII, 203; silv. IV, 4, 96], alii. ceterum mire variavit Lucilius in eodem versu [XXVII, 16]:

illo oculi deducunt ipsi atque animum spes illuc rapit.

porro et *isto* reperitur Augusti aetate apud auctorem Leandri epistulae [205]. — praeterea imminuta illa *pote, sat, mage* nullo tempore poetarum ab usu prorsus fuere aliena. ac *mage* quod poetarum dactylicorum in libris negat poni Lachmannus [pg. 424] nisi insequente consona, cum idem semper apud Plautum Terentiumque habeat subiunctam vocalem, sciendum normam illam etiam a christianis servatam. nec indignum memoria abstinere forma ea Horatium, Persium, Iuvenalem. — ut autem *sat* ex *sate, post* ex *poste* oritur, atque hoc usus Ennius [ann. 244], non tamen aut *postidhac* aut *antidhac* poetis, de quibus hic agitur, placuit. conferenda quae adscripsimus ad Non. 187, 9. — porro usu vulgari pro illis *deinde, exinde, proinde* plerumque imminuta ponuntur *dein, exin* vel *exim, proin*. sic solum optinuit post Ennium et Lucretium [98; 132; I, 640] *quam* pro *quamde* vel *quande* vel *quandi*. — tum Lucilius dixit *simitu* l. XXX [15], nemo

postea. eiusdem in loco, qui ex l. VII adsumptus legitur apud Non. s. v. 'collus' [200, 18], sic puto scribendum:

calda simeitu
ac bene plena ei vasa olerorum atque anseri' collus;

ut omissum sit velut *adponuntur.* ubi illud *vasa olerorum* inventum a Kochio. in codicibus est fere *caldissime; plenai iasolorum.* — praeterea pro *non,* quod olim fuit *noenum* i. e. *ne oenum,* sicut *lagona* dicitur pro *lagoena, laguna,* posuere *noenu* Lucilius et Lucretius [XXX, 20; IV, 710]. antiquiorem formam, quae apud Varronem invenitur et Ciceronem, Lachmannus voluit reddi Ennii versibus his [286 sq.]:

unus homo nobis cunctando restituit rem.
noenum rumores ponebat ante salutem;

ubi codices Ciceronis bis *non enim rumores.* sed displicet asyndeton. itaque nescio an ab Ennio venerit *non eni rumores.* nam cur *enim,* vocula usitatissima eademque pyrrichiaca, non perinde potuerit truncari ac *noenum,* non video. — porro *indu* sive *endo* antiquissimorum usu cum viguisset, post Lucretium adhiberi desitumst, excepto quod Iuvenalis [4, 29; 10, 138], Optatianus [15, 5], Prudentius [c. Symm. I, 147], Sidonius [pan. Avit. 314] dixere necessitate versus *induperatorem.* ita ei, qui versus de figuris orationis conscripsit, placuit illud *indupetravi* [66]. — huic parti adiciam voculam *satis,* cum aliter apertam habeat significationem, inveniri pro *aliquanto* Sammonici et Orientii exemplis talibus [533; common. II, 396]:

quodque satis melius verbis dicemus Horati.
et satis est levius discere quam facere.

Praeterea Avienus soloece dixit '*tenus alvo erigitur media*' [phaen. 486].

Iam de coniunctionibus maxime nos advertent *ast, ac, nec,* de quibus indicta ore alio nec iniucunda memoria videor posse memorare.

Igitur primum satis constat *ast* idem esse quod *at,* sed ut illa forma sit vetustior. origo nondum expedita. tamen videtur olim fuisse *aste;* ex quo *ast* factum, ut ex *poste post.* et ut hoc rusticorum hominum ore in *pos,* ita illud in *as* mutatum [cf. dittographias librorum in aen. X, 743]. sed communi omnium usu praelatum *at.* haec particula cum

olim fuisset adversandi vi satis tenui, sicut Graecum δέ (dixit de ea re H. Iordanus in Observationibus sermonis Latini a. 1879 editis pg. 290 sqq.), ea significatio non invenitur apud dactylicos nisi rarissime, velut Hor. Sat. I, 5, 60. iam illud *ast* cum plurimum viguisset precationum legumque formulis (unde vel Livius eo usus in verbis voti antiquitatem adfectantibus ita [X, 19] '*Bellona, si hodie nobis victoriam duis, ast ego tibi templum voveo*'), Andronici tempore et insequente alienum fuisse a sermone inde concludendum, quod numquam apud comicos invenitur, quamquam in Plautinos libros aliquotiens scribarum incuriast illatum. ea res primum advertit Ritschelium [parerg. 516; opusc. II, 431]. sed ut gravitati epicae bene conveniens rursus adscivit Ennius in Annales exemplo tali [258]:

ast hic (astic *cdd.*), quem nunc tu tam torviter increpuisti.

praeterea in eisdem bis cum magna probabilitate reposuere docti sic [221; 319]:

ast animo superant, ut quaeque asperrima; casus.
ast occasus ubi tempusve audere repressit.

in libris est utrobique *aut*. — porro Accius in Bacchis de sole:

. . splendet saepe, ast idem nimbis interdum nigret;

ubi fuit qui coniceret scribendum *at isdem* (pro *idem*), cuius formae praeter unum Plauti versum [Amphitr. III, 2, 64] et inscriptiones quasdam non extat certum exemplum. conferenda quae commentati sumus ad Ennii Annalium v. 560. mox a Cicerone in Arateis adhibitum *ast autem* sic:

ast autem tenui quae candet lumine Phatne

duplici firmatur Prisciani testimonio [1034; 1170]. neque abhorret a fide in Varronis *Ταφῇ Μενίππου* [17] restituendum:

ast in segetibus post messem colligebant stramenta,
qui domicilia colerent.

ubi codices *at*. — sed abstinuere eodem vocabulo plures: Lucilius, Lucretius, Catullus, Horatius in lyricis et Epistulis. nam in iambicis et Saturis haec habentur initia versuum [15, 24; I, 6, 125; 8, 6] '*ast ego vicissim*', '*ast ubi me fessum*', '*ast inportunas volucres*'. — verum ab Augusti aetate haec forma sine discrimine tragicorum atque epicorum car-

minibus pariter atque elegiacorum vel didacticorum adhiberi coeptast, maxime initio versus et, ut observavit Froehdius, in formulis verborum, quales sunt '*ast ego, ast ubi, ast illi*', aut iniecto nomine proprio. iam ut omittam, quod paradoxon statuit Bunemannus [ad Lact. phoen. 115] non poni *ast* ante vocalem, ut Martini verbis utar, a cultioris styli peritis, non recte dixit Wagnerus ideo voculam illam minus solere legi ante consonas, quod fere habeat subiecta pronomina. nam nec verumst hoc, nec, si sit verum, declarabitur inde, cur, qui *ast ego, ast ille* admiserunt, refugiant *ast me, ast nos,* similia. sed hinc solum observantia illa ortast, quod metrica potissimum necessitate forma particulae istius temperatur. quod cum ita habeat, vix fiet, ut duriore vocabulo utaris, ubi sufficit elegantius, nec sane inveni *ast* ante consonam positum classicorum poetarum exemplis nisi hisce Vergilii, Ovidii, Persii, Silii, Statii, Iuvenalis: *ast de me* [aen. X, 743], *ast laeva, ast iuvenes* [metam. VII, 241; XI, 461], *ast vocat* [6, 27], *ast delecta* [XI, 190], *ast tamen* [theb. II, 668], *ast cum* [XIV, 216]. contra apud Silium III, 35 recte ex potioribus libris Bauerus *at Stygius* pro eo quod male sonat *ast Stygius.* illa autem cuncta satirico aut epico provenere carmine. et inter christianos Orientius [common. I, 249] dixit '*ast tamen*', ubi alter codex habet *est tamen,* et Paulinus [19, 141] '*ast Carthago*', denique Venantius [V, 5, 73] '*ast Iudaea manus*'.

Praeterea illud *ac* pessimi christianorum cum posuerint ante vocales, nos potius curabimus classicorum illos, qui eandem particulam adhibuere insequente gutturali, quod quanto opere displicuerit plerisque praeter dictionem *simulac* declaravit Hauptius Observationibus criticis [p. 34 sqq.]. sed alienam probavere normam praeter comicos [cf. Plaut. Bacch. 147 al.] e satiricis Lucilius, cuius sunt haec: *ac cacinum; ac caenum; ac cercupithecon* [XXVI, 50; IX, 8; inc. 45], item Varro Menippeus, qui scribit: *ac censum; ac Ceres* [Sescul. 21; sciam. 1], nec non Iuvenalis ita: *ac cevet* [9, 40]. ita in Punicis Silii semel libri [X, 364] *ac gelidis* (nam alibi [I, 300] idem *et cedere*). contra in Octavia [631] recte pars scriptorum: *desertus et destructus et cunctis egens,* non *ac cunctis.* denique auctor de figuris eadem usus asperitate

dixit [155] *ac cupere;* Octavianus [275] *ac colla.* sed neque illud verum, quod in Phaenomenis Avieni fertur [223] '*ac gnati*', ubi recte Breisigius '*at gnato*', et multo minus quod secundo Manilii volumine [283] propria de coniectura Iacobus dedit '*per totidem sortis diiuncta ac condita mundo*'. potius erit '*distant quae condita mundo*'. contra in libro V [580] pro eo quod inepte fertur *aut* reponemus *ac* verbis hisce:

gravidus iam surgere pontus
coeperat ac longo fugiebant agmine fluctus.

De particulis *nec* et *neque* quae Bentleius ad Horatii carminum e libro tertio undecimum [43], item Lachmannus in commentariis propertiano lucretianoque [pg. 365; 187] annotavere pariter atque ea, quae Philippus Wagnerus in quaestionum vergilianarum trigesima altera exposuit, silentio praeteribo, quippe nota plerisque et vulgata, licet insint in his quae minus placeant. at ex eis, quae nos observavimus de voculis isdem, illud longe dignissimumst memoria, quod ab Augusti aevo apud poetas permultos, cum *nec* innumeris prostet exemplis, *neque* aut raro invenitur aut numquam. itaque primum omnium auctor panegyrici in Pisonem et Symphosius cum Corippo omnino videntur abstinuisse particula disyllaba. tum Tibullus in distichis habet semel eam ita [I, 2, 77] '*nam neque tum plumae nec stragula picta soporem*' — nam alibi versu illo [I, 1, 71] '*iam subrepet iners aetas neque amare decebit*' recipiendum ex parte librorum *nec* —, item in heroico laudator Messallae [IV, 1, 162] '*nec frugem segetes praebent neque pabula terrae*'; et in iambis Phaedrus '*neque enim notare singulos mens est mihi*' [III prol. 49], nec saepius [v. 282] apud Grattium reperitur, at apud Terentianum ter, semel heroico metro, bis ionico [1294; 132; 2070]. iam Persius et Calpurnius usi eo quater, illo *nec* alter quadragiens ter, alter viciens quinquiens. Nemesianus longiorem formam in eclogis et didactico carmine omnino admisit bis, breviorem triciens octiens. tum Iuvenalis plus centiens sexagiens posuit hanc, illam septiens, non amplius. cui similis Manilius paene ducentiens alteram, alteram habet sedeciens. at Lucanus, quantum apparet ex Hosii apparatu (quem tamen eis tantum locis excussi, ubi

in priore editione *neque* traditum notaveram), *nec* usurpavit exemplis circiter CCCXX, *neque* XXI [I, 53; 286; II, 283 bis; 539; III, 50; 128; 389; IV, 255; 417; 762; 772; VII, 119; 739; VIII, 206; IX, 305; 376; 388; 841; X, 225; 471]. porro pyrrichiaca particula noviens usus Martialis [I, 64, 4; 92, 11; III, 16, 3; VI, 19, 1; VII, 51, 11; VIII, 40, 1; XI, 58, 7; XII, 24, 7; XIV, 94, 2], non saepius. nam praeterea apud hunc quod fertur [VII, 14, 7] '*lux mea non capitur nugis neque moribus istis*', omnino verumst venisse a Martiale *nec amoribus*, neque hercule credibilest iniucunde soluta arsi dixisse eundem [VII, 20, 1] '*nihil est miserius neque gulosius Santra*', in quo versu non contemnendis testimoniis per dittographiam exhibetur *nec*. iam apud Claudianum in tot milibus versuum octiens deciens invenitur *neque* [1, 11; 85; 218; 3, 294; 5, 7; 10, 52; 18, 63; 21, 92; 100; 22, 67; 148; 26, 614; 28, 634; 29, 6; 34, 33; 35, 241; 44, 23; 49, 9]. tum de christianorum poetarum usu incuria grammaticorum cum parum constet, tamen annotabo ab illo, qui scripsit hexametris Didus ad Aenean epistulam [Meyer. 1610], poni *nec* in thesi undeciens [11; 16; 28; 29; 51; 66; 70; 82; 83; 126; 132], semel *neque* [147] '*victa feror. neque enim tantus de funere luctus*' atque idem extare semel apud Sedulium carminis paschalis quinto [47], modo sit verum, in hisce '*neque enim bona mundi sufficerent*'. nam alibi in eodem volumine [41] recte, ut puto, Arevalus *nec illi culpa datur pretio,* ubi codices plurimi *neque.* quos ne in tertio quidem, in quo legitur [58] *qui regit Israel neque prorsus dormiet umquam,* tanti faciendos existimo, quin praeferam schedas Pulmanni, quibus traditum *prorsus nec.* iam gravissimo tenebitur errore, qui ea, quae modo proposuimus, hinc statuerit posse explicari, quod illud *nec* cum in arsi solum habeat locum, tum in formulis quibusdam, quales sunt '*necdum, necnon, necopinus*'. sane qui post Lucretium [V, 774] *neque opinantem* dixerit invenio neminem. in Lucilii fragmento, quod apud Nonium bis legitur sub verbis '*manducatur*' et '*conmanducatur*' [477; 478], altero loco codices habent '*neque opinantem*', altero '*nec opinantem*'. verum minime apparebit, cur totiens in thesi posito illo *nec* spondeum quam dactylum admittere maluerint poetae, nec magis

cur tam raro inveniatur spatiosior forma eis in metris, quae in thesin pro pyrrichio non recipiunt longam. nempe discendum omnino poetas, de quibus exposui, non sine cautione admittere particulam disyllabam, sed ita, ut aut integra sequente consona ponatur hexametrorum thesi prima vel aliquando quarta — quibus partibus maior quam ceteris conceditur licentia — nec non logaoedicorum versuum sedibus illis, quae non admittunt pro pyrrichio longam, aut imminuta cum vocali addita metrorum loco qualicumque. sic saepissime invenitur dictio illa '*neque enim*', etsi non fuit inusitatum *nec enim*, quod iniuria damnat Cortius [ad Lucan. VII, 739]. sed observantia illa inde videtur evenisse, quod *neque* ut antiquior forma iam ab Augusti aetate ex communi usu coepit abire. quamquam quod eadem vox a tertia thesi hexametri plerumque arcetur, ne semel quidem apud Germanicum et Statium et Homerum Latinum ut inveniatur ea sede, facile largior metrica potius ratione evenisse.

Sed Lucretii libro I [1071] cum habeant membranae '*denique omnino*' pro vero '*neque omnino*', videndum erit an lateat illud '*nique*', quod et alias invenitur, sicut idem Lucretius *donique* dixit pro *donec*. — quam moturis quaestionem erit dolendum, quod antiqui carminis Lucretiani perierunt commentarii. quippe facile potuit evenire, ut de his atque talibus Lucretii formis in eis exponeretur. quos extitisse etiam mihi valde probabilest, etsi, quo certatim omnes ad probandam rem usi sunt, loco Hieronymi restituendum esse ut alibi Lucilium pro Lucretio mihi quidemst persuasissimum. quod ut persuadeam et aliis, adscribam primum verba Hieronymi. sunt autem haec '*puto quod puer legeris Aspri in Vergilium et Sallustium commentarios, Vulcatii in orationes Ciceronis, Victorini in dialogos eius, et in Terentii comoedias praeceptoris mei Donati, aeque in Vergilium, et aliorum in alios, Plautum videlicet, Lucretium, Flaccum, Persium atque Lucanum*'. apparet vel caeco agi de commentariis, quos puerorum ad usus in auctores scholis lectitatos veteres composuerunt grammatici. iam quis umquam tractavit Lucretium in scholis, quem vel provectioribus aetate difficilem esse dicit Quintilianus? aut quis veterum seu neotericorum puerorum immaturis ingeniis proposuit librum, qui systema

philosophum ullum, ne dicam Epicuri, dialectice et enucleate per initia ac fines persequeretur? at hercule legerunt satiricos, id quod ipsis Hieronymi verbis probatur, inter quos quam insigni floruerit auctoritate Lucilius, Quintiliani Gelliique ac Nonii nec minus aliorum apparet exemplis. huius igitur nomen haud cunctanter restituendumst Hieronymo. quamquam non agitur de commentariis in totum Saturarum Lucilii corpus compositis, sed in anthologiam quandam, qualis etiam Ausonio adfuit.

Praeterea sicut Lucilius, Valerius, alii dixerunt ante vocalem *quodsin, atquin* [s. IV, 22; arg. V, 668; Prop. IV, 1, 41; Stat. VI, 161], Lucilius posuit *quid sin* addita consona [XXIX, 82]: '*at non sunt similes neque dant. quidsin dare vellent?*' in quibus verbis antiquitus traditumst *quid sint*. denique *ut* et *uti* aequabili ferme viguere honore. unde et librarii aliquando longiorem formam pro breviore et saepius hanc pro illa posuere. nam neque Laevius scripsit metro ionico '*ita uti alba noctilucast*', scripsit '*ita ut*', et restituenda sunt Lucilio [III, 3; XXVI, 11], '*degrumabis, uti*', '*ita uti quisque*', Eugenio [23, 9] '*pro tibi uti*', ei qui scripsit de figuris [40] '*communio uti sit*'.

At in verbis primum non indignumst memoria ea, qualia sunt *steterunt* et *stetere, credaris* et *credare, cingi* et *cingier*, poetarum, quicumque utramque adhibent formam, usu poni indifferenter.

Ita dixit bucolicus Einsidelensis [2, 23]:

Saturni rediere dies, redit astrica virgo,
totaque in antiquos redierunt saecula mores;

item Statius [theb. XI, 449]:

bis cassae periere viae puraeque nefandi
sanguinis obliquis ceciderunt ictibus hastae;

et Silius [XI, 175]:

hi sunt qui iura dedere
terrore expulso Sidicinaque bella remorunt;

ac Priscianus [perieg. 222]:

disposuere vias qui vitae mente potenti
et primi dederunt sulcos et semina terris.

vix tamen ausim uti exemplo Catulli [62, 28]:

quae pepigere viri, pepigerunt ante parentes,

quippe cuius media pars graviter sit corrupta. — tum Valerius [VII, 331]:

tune sequeris, ait, quidquam aut paticre pudendum?

denique Persius [1, 28]:

at pulchrumst digito monstrari et dicier 'hic est'.

abstinuit tamen ab illo *ier* Manilius, qui non scripsit [IV, 248] '*materiamque manu certa duplicarier arte,* sed potius *duplicare metalli.* nec enim illud obstat, quod duobus versibus ante legitur *scrutari caeca metalla.* quamquam non displicet, quod fuit qui reponeret, *duplicare per artem.* praeterea Horatius cum in Saturis et Epistulis aliquando adhiberet finalem istam, eadem non invenitur in lyricis nisi semel [IV, 11, 8] idque in stropha suspecta.

Porro quae a perfectis in *avi, evi, ivi* exeuntibus descendunt, cum plerumque ut vulgi usu, ita necessitate metrica cogantur praeter indicativi perfecti primam singularis et pluralis personam, item singularis tertiam, non tamen contrahuntur in *ivi* finita, quando incipit flexio ab *er,* veluti *audierunt, audieram, audierim.* nihilominus et Catullus [66, 91] videtur dixisse *siris* pro *siveris* et Ovidius [medic. form. 89] *contriris* pro *contriveris.* sed conferenda utroque loco quae notarunt docti. — praeterea Lucretius adhibuit coacta [VI, 587; I, 70; V, 396] *disturbat, inritat, superat,* insequente vocali, atque ita Martianus [IX, 998, 7] *farcinat.* sed et hoc adsentior Lachmanno [pg. 290], quamquam interdum poetae Latini mirum quantum fuere audaces in praesente pro perfecto usurpando, maxime in relativis enuntiatis, quando verbum finitum praeteritist temporis, a Vergilio [aen. V, 57] *intramus,* a Propertio [III, 7, 3; 9; II, 7, 2] *narramus* et *mutamus,* item *flemus* posita coactis *avi* vel *evi* syllabis. idem tamen num saec. p. Chr. I permittat elegantia iure dubites. itaque recipiendum videtur quod Calpurnii 7, 18 Heinsius scripsit *quam quae spectavimus urbe* pro *spectamus in urbe.*

Magis probatur imminui illud *ivi.* dixit *sepeli* Persius [3, 97]; *redi* Lucanus [VIII, 321], idem *petimus* [IX, 430]; Seneca *redi* [Herc. fur. 612; Herc. Oet. 22; 48; 795], *peti* [Med. 248; Hercul. Oet. 1843]; Valerius *adi* [V, 503], Statius *abi* [achill. II, 438], *ini* [theb. I, 69; VIII, 107],

peti [theb. I, 62]. porro habes *desit* apud Manilium et Martialem [V, 563; III, 75, 1 al.], apud hunc et Senecam *audit* [I, 99, 5; Med. 201]. item haud pauci dixere *it* et *petit,* quae tamen Lachmannus statuendo non poni promiscue ante consonam et vocalem prorsus fallitur. ita enim, ut Lucretium mittam, dixit Martialis [I, 62, 6; II, 64, 3] '*abit Helene*', '*transit et*' atque itidem [lib. spect. 16, 1; X, 77, 2] '*abit media*', '*perit; fecit*' nec non Lucanus [V, 522; VIII, 321; IX, 205; 1098] '*petit aut*', '*abit aut*', '*obit; Pompeio*', '*perit, caruere*' et Statius [theb. II, 474; X, 323; VII, 439; X, 205] '*subit; ibi*', '*perit in*', '*init fecitque*', '*adit; non*'.

Praeterea satis constat illa *ivi, quivi, petivi, quaesivi,* si sequatur *s,* vulgari usu pati contractionem, quae sane et in similibus verbis frequentatur, sed minore constantia. igitur non mirumst, quod inter epenthesis exempla rettulerunt grammatici Vergilianum [aen. II, 25] '*nos abiisse rati et vento petiisse Mycenas*'. at quae minus apta sunt, ut cogantur, certe digamma omittunt. hinc plenae formae paucis poetarum classicorum, aliquanto pluribus christianorum reperiuntur versibus, cum scilicet illi insita elegantia, hi analogiae ad leges formas dictionum deligerent. porro quod *ivi* et *quivi* et *sivi* et similia invertuntur implicatis mutationi stirpibus, satis fuit inelegans, nisi frequentia usus prava mitigaretur ratio.

Eadem quippe venia excusantur contracta '*noram, nosse, commoram, commosse*'. quibus aliquanto sunt duriora Ennii [fab. 113; ann. 386] *nomus, adiuro,* Catulli et Propertii [66, 18; III, 17, 22] *iuerint,* denique Accii *devoro* positum in Decii versu hoc [Non. 98, 10]:

patrio exemplo ut me dicabo aeque animam devoro hostibus.

quod a *devorando* non bene duxerunt Nonius et Ribbeckius (sed ab hoc postea agnitus error). ac ne Ovidius quidem timuit admittere illud *prostrasse* [trist. III, 5, 33], sicut Manilius dixit [I, 776] *strarat.*

Praeterea perfecta, quae habent *si, psi, xi,* aliquando imminuuntur, cum sequitur *s,* qualia sunt *duxti, consumpse, iusso* — nam haec nascitur species reposita futuri primaria forma *eso* —. sed enim aliter eam, quam putarent veteres, admissam syncopen mihi quidem non persuadetur,

minime ut placeat, quod Terentio tribuit Bentleius [ad eun. III, 2, 10] *fecsti* aut quod alii Vergilio in catalectis [8, 9] *attotonse,* cum verissime putem tradi codice Bruxellensi *attodisse,* quod coniectando praecepit Scaliger. ita *tutudi, tunsi, pupugi, punxi, attingo, attigo* indifferenter posuere veteres. at Silii libro XI [458] cum vulgo feratur, quod in libro fuit Coloniensi, *discisset* pro *discidisset, discusset,* quod firmatur codicibus nonnullis interpolatis, an *divisset* scribas vix refert. sed permissa legitime syncope ut a posterioris aetatis populari usu fuit aliena, ita haud paucis poetarum displicuit. omnino ut arcerent carminibus, exceptis quidem illis *ausim, faxim, faxo* et quae disyllaba ab his descendunt. quorum in numero fuere Tibullus, Ovidius, Lucanus, Homerus Latinus, Seneca, Claudianus, Boethius, Luxorius, Maximianus, alii. at Horatius hac figura non utitur, nisi in Saturis, ubi et *ausim* et *faxis* est invenire [I, 10, 48; II, 3, 38; 6, 5].

Iam prima coniugatione dixere Ennius [386; 333] *levasso; perpetuassint;* Lucilius [XXVI, 30; 57] *averruncassint; depeilassere* (si recte ita scriptum a nobis; libri *depoculassere; depeculassere*); *deargentassere; despeculassere* (libri *depeculassere*); porro illa *sonavi, tonavi, sonatum, tonatum* sicut ne ab optimis quidem auctoribus sunt aliena [cf. Bentl. ad Hor. s. I, 8, 41], similiter usurparunt Iuvencus [IV, 570] *sonavi,* Paulinus *intonavi* [24, 904], Prudentius [epil. 34] *personavi* [cf. Sid. euch. ad Faust. 22], *crepavi* [Pr. p. st. 10, 760]. sic Persio [5, 90] Eugenioque [17, 5] placuit *vetavi,* non Homero Latino, cui tribuere plerique [251]. aliter quod memorem vix habeo, nisi notetur Statii *replictum* pro *replicato* [silv. IV, 9, 29]. praeterea quod memorat Gellius [I, 7, 20] M. Tullii temporibus usitatius esse coepisse *explicui* quam *explicavi,* sine dubio evenit auctoritate dactylicorum, sicut et Ovidius dixit *dimicuisse.*

At in secunda coniugatione *abnueo* dixit Ennius l. VIII [290] et porro Lucilius XXVI [30], Pacuvium quo irrideret, *monerint.*

Iam notabo verba quae per metaplasmum tertiae accedunt coniugationi. ac primum quidem plurima poetarum auctoritate asseruntur *e* correpta *fervere, fulgere, lavere, stridere,* e quibus illud *fervere* omnino adscribit tertiae

Lucilius l. IX. nec vero fulgere secundum tertiam inflexum a pedestri sermone videtur fuisse alienum. certe T. Livii l. XXXIV [3, 9] habet codex Bambergensis '*ut auro — fulgamus*' [cf. tamen Zingerleii comm.]. deinde *cluo* et *tuor* Senecae Statiique firmantur exemplis [Senec. lud. d. m. C. 7, 1; Hippol. 424; Octav. 728; Stat. theb. III, 152; 533]. denique Lygdamus dixit [3, 36] *neunt.* cetera Augusto priora, *sonere* Ennii et Lucretii, *tonere* et *boere* Varronis. at illud *scatere* cum Lucretius tertiae addidisset, apud posteriores classicos legere me non memini praeter illud Horatii, quod ambiguumst, [c. III, 27, 26] *scatentem beluis pontum.* denique *sorbere* dactylicum aetate ultima ap. Dracontium invenitur [5, 212].

Porro *quaesere* pro *quaerere* cum usque ad Lucretium et Ciceronem occurrisset non ita raro, mox evanuit, sola ut manerent *quaeso, quaesumus* [Tib. I, 1, 58; Sil. XVI, 251]. tamen vetustissimae dictionis aemulatione Iuvenco [I, 249] placuit *quaesunt.* — deinde imperativi *dice, duce, face, fere* frequentia usus evenit uti perderent finalem, quam non liceret servare Romanis translato in posteriorem syllabam accentu grammatico, quo munita remedio Graeci integra optinuerunt illa εἰπέ, εὑρέ, ἐλθέ, ἰδέ, λαβέ. quibus accedunt *inger* Catulli [27, 2] et Martialis *coger* vel potius *conger* [VIII, 44, 9]. iam *fer* et *duc* qui principali posuerit specie inter dactylicos non invenio. contra illud *face* non est dubium quin adhibuerit Catullus carmine de Tanusio [36, 16] '*acceptum face redditumque votum*', atque eadem forma identidem, ubi non opus ea, invenitur in codicibus, interdum cum damno metri, ut Luc. XXIX, 54. praeterea *dice* posuit auctor de figuris [183], non Vergilius cui tribuit Palaemon, quem vocant, pg. 1382. at ex compositis, quae a *faciendo* descendunt, imperativo posita non observavi excepto uno exemplo Nasonis tali [art. am. II, 445] '*fac timeat de te tepidamque recalface mentem*'. in relicuis cum eadem, quae simplicibus verbis, forma praevaleat usu, aliena a norma notavi Vergilii et Statii [aen. XI, 463; theb. XII, 598] *edice,* Sammonici [755] *perduce.* — deinde legere me memini apud Terentianum [1752] *repetundum,* quam recte habere formam propter notum repetundarum verbum fit credibile. porro perfecto Corippus dixit *furui* [iohann. VII, 137]. atque bene

apud Catullum [34, 7 sq.] et in libro *κατὰ λεπτόν* [8, 16] docti:

> quam mater prope Deliam
> *deposivit* olivam.
> tua in palude *deposisse* sarcinas.

praeterea haud pauci, sed per compositionem plerumque, *postum.* unde Ovidius uno eodemque versu haec [Fast. II, 63]:

> templorum *positor*, templorum sancte *repostor*.

satis aspera illa Ennii *adgretus* [575], Lucilii Lucretiique *expergitus* [III, 42; III, 927], Venantii *construitura* [miscell. II, 13 pg. 104]. apud eundem [VIII, 7 pg. 278] cum Corippo [iohann. I, 553] et Commodiano [I, 42 pg. 163] legitur *absconsus*, ut apud Aratorem *graditurus* [II, 163]. porro perfecto *intellegit*, supino *metutum* dixit Lucretius [VI, 17; V, 1138]. iam quod firmat Gellius plerosque veterum dixisse *memordi, spepondi, pepugi, cecurri*, ut omittam Ennianum *memorderit*, videtur Varro dixisse *pepugi* ita [mod. 1]:

> sed, o Petrulle, ne meum taxis librum,
> si te pepugerit hic modus scaenatilis.

minus quippe placet quod antiquitus traditur versu altero *pepigat.* idem alibi in composito ponit *detotonderat* [magn. tal. 1], sicut Ennius [515] *contutudit*, ubi libri *contudit.*

Deinde quarta coniugatione inflectentes dixere Ennius *parire, moriri*, Lucretius *cupire* [I, 71]. e quibus *moriri* etiam apud Nasonem inveniri Metamorphosium XIV [215] tam mirum quam certumst. sic et rythmico carmine illo '*apparebit repentino dies magna domini*' ponendum esse pro *morietur* media producta *moritur* in tetrametro hoc '*vermis quorum non morietur, flamma non extinguitur*' et metri et sensus apparet rationibus. praeterea *potiri* cum indicativo praesentis temporis et coniunctivo imperfecti tertiam sequi soleat apud bonos auctores (nam ultimorum temporum placita non moror; quae cognosci possunt ex Alcimi Aviti, qui floruit c. a. 500, epistula quadam [pg. 86 P.] ad Viventiolum rhetorem data), tamen *potitur* longa media dixere Ninnius Crassus [Prisc. 881] cum Lucilio [V, 9] et eo qui scripsit epistulam Hypermestrae [113]:

> ille ferox solio solus sceptroque potitur.

omittit tamen hunc versum cum sequente prima manus libri

optimi. — ut *potior,* coniugatur *orior.* compositum tamen *adorior,* nisi sequeretur quartam, dactylico metro adaptari non potuisse facile apparet.

Iam in imperfectis ea, quae sunt *ibam* et *ibar,* pro plenioribus finalibus adhiberi nullo tempore prorsus cessaverunt, licet multi vitent poetae. at futurum in *ibo* cum solus inter poetas Augusto aequales usurpasset Propertius hoc versu [IV, 21, 32] '*lenibunt tacito vulnera nostra sinu*', — abstinuere eodem Lucretius et Catullus —, mox imitatione vetustissimorum post annos CCCC renovarunt auctores christiani. sic Iuvencus dixit *largibor, redimibo* [II, 562; IV, 189], Ausonius *sepelibo* [epist. 25, 61], Venantius [IX. 2, 124] *vestibo.* — praeterea habes apud Iuvencum et Dracontium [II, 251 ed. Marold.; 2, 124] *hauriturum,* apud Maximianum [5, 97] *feriturum,* hoc quidem correpta *i,* idque ipsum a Ieepio redditum Claudiano [de rapt. Proserp. III, 359].

Denique deponentia cum antiquissimo tempore plerumque activi formam recuperassent, eadem inde ab Augusti aetate praeter verba quaedam primae, quorum numerum auxere christiani, tantum non omnino evanuit. veluti irridetur ab Ausonio [epigr. 48; 49], qui *reminisco* dixerit in versu pro *reminiscor.*

Superest ut anomala persequamur. ac primum quidem quod Fleckeisenus in epistula ad Martinum Hertzium [p. 6—10] asserit verbum quod est *aio* quartae adsignandum coniugationi, antiquissimorum placita non moror. sed dactylici alium modulum secuti posuere pyrrichiace secundam praesentis personam *ais* [Pers. 4, 27; Terentian. 249; Sidon. epithal. Pol. et Aran. 48]. unde Victorinus [2524] talem versum '*quid, ais, Epidice? tibi facilior erit amor?*' affert pro exemplo eius, qui heroici metri instar resolutis longis ad decem et septem increscat syllabas. — porro dignum memoria, quod in epistula Canaces Ovidiana legitur [59] illud *aisti.* — iam de *edendi* vocabulo ut agatur, huius formas breviores non contractione ortas, sed omissa vocali copulatrice et admota ad radicem consona finali, sicut fit in verbis, quae in *μι* exeunt, post alios demonstravit Speierus Observationum Emendationumque libello a. 1891

edito [pg. 1 sqq.]. qui quod asserit longiores non inveniri prius II vel III saeculo p. Chr., apud dactylicos nec ipse repperi certum exemplum ante Serenum Sammonicum, apud quem habes [92] *sive calens febris iactatos exedit artus.* sed iam Naevium dixisse *edit* pro *est* demonstrat septenarius trochaicus a Prisciano pg. 893 adlatus: *tibi servi multi apud mensam adstant, ille ipse adstat, quando edit.* quod contra in Lucilii exemplo, quod memorat idem, locus est et coniunctivo per interrogationem: *qui ēdit sese, hic comedit me?* — in coniunctivo *edam* pro *edim* primum apud Tibullum [I, 5, 49], mox Ovidium occurrere idem adnotat Speierus. — deinceps classicos inter poetas cum admisisset Tibullus illud *transiet* (et similia apud Senecam inveniri, veluti de beneficiis II, 1 [2] *iniet*, Quaest. natur. III, 10 [4] *transiet*, auctor est Hasius), putarunt quidam etiam Horatio tribui posse, quod legitur c. IV, 4 [65] in nonnullis libris interpolatis:

merses profundo. pulchrior exiet.

ubi ceteri *evenit,* quod nec ipsum placet. longe aptius utroque *exilit,* ut in re eadem dixit Rutilius Namatianus I, 130. at damnata in Horatii versu forma haud ita paucis christianorum probatur exemplis. sic apud Iuvencum habes [IV, 159] *praeteriet,* apud Martianum [IX, 914, 56] *prodient,* apud Dracontium [8, 200] et Corippum [ioh. V, 44] *periet.* — verbi quod est *fero* perfectum antiquissimi cum Catullo haud raro cum fecissent *tetuli,* mox idem horum aemulatione adhibuit Macrinus imperator ita [Mey. 801, 1] '*si talem Graium tetulissent fata poetam*'. — deinde *fiere* dixit Ennius l. X, et quidem dactylice, haud quisquam postea; tum Horatius *fi* [s. II, 5, 38], ut et Plautus, plurali *fite* Ninnius Crassus, poeta Mario, ut puto, aequalis. at numquam inveniuntur *sci* et *ci.* porro Laevium secuto placuit *meminens* Ausonio [prof. Burd. 1, 40], quod et in pedestri Sidonii oratione invenitur identidem. praeterea Prisciani periegesi incertum quam recte fertur illud '*nequitur*' correpta paenultima [417]. — at in verbo substantivo praesentis temporis coniunctivus tres antiquitus cum habeat formas, quae sunt *fuam, siem, sim,* de secunda ac tertia sic refert in Oratore Tullius [47, 157]: '*siet*' *plenumst,* '*sit*' *imminutum. licet utare*

utroque. fatendum tamen post Lucretium omnino optinuisse formam breviorem, non ut *siem* magis probaretur quam *fuam,* licet semel dixerit Maro [aen. X, 108] '*Tros Rutulusve fuat*'. mox illa *siem* et *fuam* identidem recepere libris propriis Frontonis adseclae [Terentian. 209; Prud. c. Symm. I, 504; p. st. 2, 569; Mart. III, 262, 10]. Iuvenci IV [163] recte Huemerus '*quis fuat ille dies, nescirist omnibus aequum*', ubi codices plerique habent '*quis fuit*' vel '*quis fiat*'. porro futuro *escit* vel *essit* usi Ennius et Lucretius. tum *potestur* dixere idem. denique illud *pote* cum verbi substantivi formis eis, quae incipiunt ab *ess,* per contractionem immisceatur assimilata *t,* tamen secuti antiquissimos dixere christiani *potesse* et similia [Prud. p. st. 10, 803 al.].

Libet mercatorum in modum addi quaedam de omisso apud vetustissimos dactylicorum verbo substantivo. de quo etsi post a. 1861 egere multi, tamen, quae in priore editione posita erant, non a re alienum visumst hic repeti.

Itaque illud *est* vel *sunt* solet abesse a formulis quibusdam orationis, quales habes *nec mirum, quid mirum* [Lucr. II, 87; 338; VI, 130; Cat. 23, 7; 57, 3; Lucr. V, 1236], *soliti quod dicere* [Enn. ann. 576; Cic. arat. 239; cf. frg. 5]. ita *situs* ponitur in epitaphio L. Scipionis pro *situs est: is hic situs, quei nunquam victus est virtutei* et Lucilii epigrammate: *servo' neque infidus domino neque inutili' quoiquam Lucili columella hic situ' Metrophanes,* quamquam saepius multo invenitur additum verbum. deinde idem legitime exulat a locis communibus, velut habes apud Lucretium [III, 1076] '*certa quidem finis vitae mortalibus instat, nec devitari letum pote quin obeamus*' [cf. II, 1—2; 5], ad quam proxime accedit condicionem copula omissa in oratione graviter concitata, sicut Enniano illo [81; cf. 32] '*omnibu' cura viris, uter esset induperator*' seu Catulli mavis [64, 186] '*nulla fugae ratio, nulla spes*'. denique notavit Lachmannus [p. 23] commode demi eandem voculam addito infinitivo *esse* veluti sic '*illa quoque esse tibi solida atque aeterna putandum*'. ceterum inde a Vergilio multo saepius omitti illam a poetis non est dubium, licet adhibenda ea haudquaquam parci sint idem.

Restat ut de flexionibus derivativis agatur. quarum hercule numerum et rationem similiter inverti fuit verum

atque finales declinationum et coniugationum modo propositas.

Ac primum quidem deminutivorum de usu quaedam placet promi. cuius subtilitatem vel Lachmannum fugisse apparet, cum Varronis verba apud Nonium pg. 328 s. l. 'iactare' servata, quo galliambici metri legibus satisfaceret, talia refingeret, quae dolemus nos nuper probasse:

teretem comam volantem iactamu' galluli.

Sane constat plerisque amare Varronem non minus quam Lucretium et Catullum tales verborum formas. ac de Catulli certe adiectivis deminutivis dixit M. Hauptius Observationum criticarum l. [pg. 14]. in Varronis Saturis haec fere insunt substantiva: *cincinnulus, cultellus, digitulus, eculeus, equila, epigrammation, homullus, homunculus, patella, pocillum, puellus, puellula, pupula, sigillum, testiculus, tigillum, tunicula, uxorcula*, adiectiva *formosulus, meliusculus, misellus, nigellus, novellus, parvulus, regillus, suppaetulus, tacitulus, vetulus*. in quo convenit ei cum satiricis, maxime Iuvenale, qui, ut substantiva talia, quibus permultis utitur, nunc omittam, adiectiva habet *candidulus, inprobulus, lividulus, misellus, pallidulus, parvulus, quantulus, rancidulus, rubicundulus, sordidulus, vetulus*. usi autem item frequenter talibus verborum formis, sive docta imitatione antiquissimorum repetitis seu vulgo optinentibus, ultimorum temporum poetae haud pauci, puta Prudentius, Paulinus, alii, qui dixere vel *anullam* [Prud. p. st. 6, 149], *puellulam* [cath. 9, 110], *miserulum* [Septim.], *rubellulum* [Martian. V, 566, 4], similia ab optima aetate diversa. — sed haec cum ita habeant, tamen nego apte poni a Lachmanno de quo agitur versu illud *galluli*. etenim istae dictiones, quantumvis usitatae sermone plebeio ac familiari, tamen a grandi et elata oratione non minus veterum quam nostro abhorruere iudicio. itaque ut maiestatis rei sunt facti, qui Caesares deminutis appellaverunt nominibus [Tacit. ann. VI, 5], ita indigna eadem carmine galliambico. neque Catullus posuit in eo nisi bis in narratione propria [35; 74], nusquam in oratione Attis aut Cybelae; nam alienum v. 56 illud *pupula;* incertum 66 *corolla.*

Nec vero a re videtur alienum de Horatii usu paucis disserere. qui cum in Saturis, Epistulis, Epodis pro tenuitate

carminum multum adhiberet deminutiva, in lyricis praeter ea, quae ab antiquatis ducta essent vocabulis, ut puta *catulus, puella,* non usurpavit nisi illud *vetulus*, quod cum per anomaliam esset formatum, vix pertinere videretur ad illud genus derivatorum, ac porro *particulam* cum *parmula*. et hoc quidem positum ab eo loco notissimo [II, 7, 9]:

> tecum Philippos et celerem fugam
> sensi relicta non bene parmula.

quem si accuratius rimati essent Horatii interpretes, vix movissent caelum ac terram, quo arcerent ab eo abiecti crimen scuti; quod ipsum haud ita graviter tulisse docet prope unicus substantivi deminuti in lyricis usus.

Praeterea abstracta, quae vocantur, in *ia, io, itas, tudo, us,* exeuntia, quorum ingens fuit usus apud antiquos, ab Augusti aetate magis magisque imminui coepta sunt. quod minus necessitate carminis quam iudicii elegantia optinuere dactylici, cum abstractorum frequentia philosophorum quidem moliminibus conveniat, sed minime libris poeticis. nam et Seneca tragicus raro utitur vocabulis talibus. contra auctae sunt haud dubie dactylici metri usu flexiones *men* et *mentum*. — tamen christiani identidem vetustissimorum placitis se accommodarunt. — praeterea adiectivorum in *atus, itus, utus* finientium ab anno u. c. DCC numerus coepit imminui, ut manerent potissimum haec: *aeratus, auratus, ferratus, laqueatus, auritus, versutus*. quae aliena reperiuntur exempla, epicis maxime provenere libris. ceterum etiam quae *icus* habent magis magisque sunt circumcisa. praeterea inde ab Augusti aetate satis visa sunt ingrata adiectiva in *talis, silis, tilis, bilis* finientia plus quam tetrasyllaba, ut in Pacuviano '*aerumnis cor luctificabile fulta*' non minus putem displicuisse Persio *luctificabile* quam '*aerumnis fulta*'. ceterum haec liberius translata ex tragico, ut quem accusativo Graeco usum minime sit probabile. huc pertinentia quaedam notavi lib. I ad versum illum '*tum prae se portant ascendibilem semitam*'. at ex adverbiis antiquissimi — horum nomine comprendo Catullo priores — cum magno adhibuere amore, quae in *im* vel *itus* exeunt. praeterea idem plerumque per metaplasmum a nominibus secundae descendentia illo, quod est *iter*, terminavere. a quibus placitis valde fuere diversi posteriores,

apud quos maxime haec viguere: *furtim, partim, passim, raptim, sensim, statim, confestim, penitus, intus, funditus, firmiter, largiter, puriter.* — nec non verborum frequentativorum usus circumciditur post Lucretium, qui valde ea probavit, sicut et incohativorum, quibus nonnulli vetustiorum fuere immodici [cf. Gell. XVIII, 11, 4; Enn. fab. 230 sqq.].

Adicientur in fine operis pauca cognitu haud iniucunda quarundam notionum de varietate sive proprietate. dixere Lucilius et Lucretius *gubernum* pro *gubernaculo* [XX, 8; IV, 437], atque ita christiani *cilium, prosapiam, contumiam* [Mart. IV, 424, 6]. porro *Mavortem* pro *Marte* omnino fuisse inusitatum seris saeculis inde apparet, quod inter parenthesis exempla et poeticam ad licentiam rettulere magistri Vergilianum '*Mavortis in antro*'. ita *gnarum, gnatum, gnarum* non hercule vivido vulgi usu potius quam auctoritate priorum admisere plerique. praeterea cum Lucilius posuisset sine offensione '*cuia opera*' [XXX, 80], Maroni tamen exprobravere illud [bucol. 3, 1] '*cuium pecus? an Meliboei?*' deinde *clueo* sive *cluo* post Lucretii tempus qui usurparit, classicorum haud quemquam invenio, nisi semel antiquae tragoediae aemulatione dixit Seneca in ludo de morte Caesaris [c. 7] '*exprome propere, sede qua genitus cluas*', sicut idem in tragoediis *clepo*. repetierunt idem antiquissimorum imitatione auctores christiani, quos et satis constat *temnendi* et *nandi* verba ab ipsorum tempore aliena testimoniis vetustissimorum retinuisse, sicut illud *mittere* positum pro eo quod est *omittere* vel *parcere*.

Denique quod Lachmannus in commentario Lucretiano [pg. 120] refert passivum, quod est *vendi,* non ante saeculum p. Chr. n. tertium reperiri, illud quod est *perdi* numquam, de hoc equidem fallitur. ita enim dixit Prosper, qui floruit paullo post Augustinum in epigrammate contra obtrectatores huius [v. 7]:

> haec pugna incentor mors est tua. te stilus iste
> conficit et verbis perderis ipse tuis.

eodemque alii saeculi V vel IV genere verbi usi sunt auctores. contra apud Horatium S. II, 6, 59 illud *perditur* quin corruptum sit nullus dubito.

Praeterea subtiliter indagandum, quae cuique poetarum minus aptae ad carmen videantur esse particulae. veluti Lucretius numquam adhibuit illud *protinus,* cum usurpandi eius plurima veniret occasio, quod eo magis mirum, cum comici pariter et epici eodem utantur vocabulo. contra '*nutiquam*' soli inter dactylicos placuit Laevio. — similiter illa *itidem* et *utpote* et *deinceps* post Catullum nemo classicorum praeter didacticos vel satiricos adhibuit. eadem observantia tenetur *quapropter,* pro quo epici posuere *quocirca* [Verg. aen. I, 673; Val. Fl. II, 101]. nam nec '*item*' altiori convenit dictioni. sed enim isdem particulis certatim usi sunt christiani. praeterea *siquidem* et *quandoquidem* etsi plerisque poetarum fuere probata — utuntur aut utroque aut alterutro Lucretius, Catullus, Vergilius, Manilius, Ovidius, Seneca, Iuvenalis, Statius, Terentianus, Prudentius, alii —, tamen abstinuere libris propriis haud pauci: Horatius, Grattius, Persius, Calpurnius, Nemesianus, Rutilius, Boethius, Eugenius, Orientius. ita *quianam* post Vergilium legere me non memini, neque illud quod est '*autem*' invenitur apud Corippum.

Ecce coronatae portum tetigere carinae,
traiectae Syrtes, ancora iacta mihist.

Iam quae longis voluminibus sum persecutus quamquam paucis verbis continere nec iuvat nec licet, tamen haec fere quasi summa evadit observationum nostrarum, quas quidem annis plus XX post, cum de Ennii vita et scriptis librum componerem, ubique inveni certas ratasque. huius igitur in fine quae sunt dicta [pg. 296 sqq.] comparanda commendamus lectoribus.

Ac primum quidem impugnanda opinio, qua ab Niburio identidem prolata, mox arrepta a Koenio et Grauerto statuitur Q. Ennium cum asseclis versum heroicum et peregrinam artem novando vividam indolis Romanae proprietatem Graecorum reverentia enervasse. ea cum nitatur ingenti quadam admiratione vetustissimorum carminum, quae popularia utique nec ullis doctrinae venenis infecta in conviviis a pueris fuisse cantata narravit Cato ille Censorius, facile equidem largior minime posse refelli, qui prae illis monumentis Maronem et Ovidium spernent (quod non erit mirum, cum ne

una quidem ex isdem servata sit littera), vera eosdem aut similia veri sequi numquam persuadebitur animo. etenim cum apud Livium Andronicum, hominem Graecis litteris imbutum, haud pauca inveniantur dura et aspera, qui credibilest barbaros illos culto potius et limato quam rudi et velut balbutiente sermone esse usos? aut quamnam sensuum altitudinem vel suptilitatem expectabis ab eis, qui durissimis semper exerciti laboribus vitae cum onera maxima ferrent civitatis bella bellis continuantis, plerumque et intestinis occupatae discordiis, honores dignos non sunt nacti prius quam flores litterarum Graecarum? praeterea cum sat constet Romanos in excolenda arte externa purissimo esse usos iudicio, cur in recipienda credatur caruisse eosdem pectore? unde illud compertumst Scipionem et Marcellum, qui primi adamarunt cultum alienum, minus fuisse rerum peritos quam Appium et Catonem, qui magis studuerunt monumentis patriis? quin potius statuetur Romanos ut cetera, quae domi essent nulla, et poeticae modulum rectiorem petisse ab eis, quibus esset eius copia? quare vanast equidem Niburii et Grauerti opinio. — at erunt fortasse qui incusent, quod Ennius, cum Aboriginum artem sprevisset, ne Naevii quidem vel Plauti acquierit numeris. hoc vero non est argutari in falsis, sed insanire. quid enim? num horum metra popularia fuere Latinis? aut si fuerunt, quae prudentia erit proprietate Romanorum praelata optrectare iam Homero et Archilocho et Aristophani et principibus artis auctoribus Graecis, quos ut potiores duces secuti sunt dactylici Latini? — deinde cuinam gentium probabitur a scaenicis istis rationes metrorum tantum doctissimo cuique et honestissimo Romuli nepotum, ac non saepe, quo plausus excitarent vulgi, quod numero praevalebat, palmamque studiis eius reciperent, plebeiis hominibus et summae caveae spectatoribus adaptatas? quid autem dicetur de eo, quod ipsi illi melius iam exculta civitate magis magisque normae dactylicorum sese accommodarunt? denique etiam hanc in partem ipsum Romanorum tuto advocabitur iudicium, qui, quo magis elegantia graecanica sunt imbuti, eo peius odere versus scaenicorum veterum. nam illud omitto, ne nos quidem non sentire, modo simplici iudicio numerorum ac sonorum aestimemus rationes,

trimetros Plautinos Catullianis sive Horatianis tanto esse inferiores, quanto fuerunt Hercule Pygmaei. ceterum cum in scaenicorum arte multo plura vulgaris pronuntiationis diversitate et auctorum libidine temperarentur quam apud dactylicos, si aliter res cessisset, rythmici moduli, qui a M. Aurelii tempore vulgo optinuere, vix dubiumst quin duobus saeculis ante fuerint proventuri. neque enim aliter quam tanta dactylicorum normae et severitate et aequabilitate evenit, ut metricae antiquae diutius quam religionis valeret auctoritas utque citius imperii Romani quam Romanae artis periret honos. nam illud sponte concedent omnes poesin rythmicam ut nec veteribus rationibus satis nec satis neotericis respondentem quasi biformem hominum ferarumque partum monstri prodigiique esse simillimam.

At enim difficultate carminis imprimis evenisse dixit Grauertus [Koen. spr. d. roem. ep. p. 308], tam cito ut extingueretur flos poeticae Latinae. quasi vero non constaret praestantissimos alioqui vates veterum etiam fuisse versuum artifices prudentissimos, aut quasi Romani non tantum iuvarentur simplicitate versuum, quantum severitate impedirentur. tale equidem crimen apte ingeretur eis, alienos qui numeros externis usurparint modulis, a quali pravitate ipse Ennius multum fuit diversus. iam si concedetur rationes dactylicorum aptas fuisse proprietati sermonis Latini, ultro concidet opinatio Grauerti. et hercule non versus pangendi mira difficultas spiritus Romanorum fregit, sed Tiberii Gaiique ac Neronis et ceterorum foeda impotentia, neque ulla fuit ad depravandam atque invertendam poeticam Latinam causa tam efficax quam inopia materiae illa, quae Caesarum imperio et contemptu reipublicae nec minus religionum defectu et communi generis humani imbecillitate orta adeo oppressit poetas Latinos, ut ingeniosissimus quisque eorum magis angeretur studiis propriis quam elevaretur. quare prorsus a vero aberravit Platenus [II, p. 296], dum Klopstokio minorem quam Horatio adfuisse copiam rerum memorat. quamquam Horatius initia imperatorum et liberam etiam vidit rempublicam, mox crescente in dies servitio et exhausta non modo libere dicendi — id enim iam pridem factum erat —, sed vel adulandi facultate quid aliud poetae

Latini quam spectaculorum atque epulationum sive bellorum descriptionem et praesumptam Augusti ab aequalibus materiam laudium novis verbis instaurarent vel didacticae poesis, iam ante, quod propriae ipsorum tam bene conveniret indoli, multum tractatae a Romanis, inmodice intenderent usum?

Accedit quod epicorum tragicorumque carminum ex Graecorum fabulis petitorum certe a saeculo p. Chr. n. II tantum cepit plerosque fastidium, ut magis sit mirum, quod ab epicis certe auctoribus temporum illorum tam saepe ista materia temptatast, quam quod pauca admodum ex scriptis eorum habuere successum. — praetextatarum autem tragoediarum vel libera re publica modicum fuisse numerum satis notum. neque is adauctus multum Caesarum aetate, partim quod periculosum videretur plerumque dicere de rebus Romanis, partim propter incuriam rei publicae praesentis velut alienae et ignorantiam contemptumve priscae.

Porro saturarum epigrammatumque studium etsi numquam cessavit inter Romanos, tamen et ipsum imminuta dicendi libertate concidi oportuit et in artum redigi.

Denique lyrici carminis usus etsi non isdem, quibus plerorumque, conflictabatur difficultatibus, tamen pro natura Romanorum non tantum invaluit, ut aliorum generum inopiam solus posset levare.

His igitur causis est effectum, ut ne Caesarum quidem sub imperio, quamquam abolito contemptu poeticae, qui prius fuerat, et abundante otio stabilitaque per egregios auctores orationis arte et metri, tanta posset incrementa capere poesis Latina, quanta expectares.

Sed missis iam criminibus potius ea, quae haud dubie decori fuerunt eruntque dactylicis Latinis, persequamur.

Itaque Romani, ubi penitus penetravit in eos ars externa, sicut rem publicam potius multorum civium aequabili virtute quam unius hominis eximia excellentia, ita solo Ovidio excepto parili omnium industria continuarunt novos modos, qui firmati a Ciceronis aequalibus eam elegantiam accepere, quam videmus in libris Maronis. huius, etsi fuit poeta quam versificator melior, placita probavere haud pauci. contra Ovidius novae auctor artis pleraque veteris licentiae,

quorum pars mixta erat ex Latina proprietate et Graeca, dum recidit, pariter elegantiae prospexit et libertati. hunc igitur virum, qui principatum haud dubie tenet artis Latinae, veneremur, hunc imitemur. hic sciat se plurimum profecisse, cui plurimum probetur Ovidius. huius quot sunt versus, totidem sunt artificia, quovis Phidiae illa vel Praxitelis opere non minora. et, quod semper est perfectae indolis poeticae, cum sentias artem inesse summam, laborem persentiscis nullum. hinc fit ut, qui primum ad carmina Latina se applicant, facillimum ducant omnium Ovidianam assequi elegantiam, quam tamen, quo maiorem usum maioremque peritiam nanciscuntur, eo melius intellegant promptius esse imitari quam aemulari. iam illius severitatem quod secuti sunt plerumque posteriores, nemo erit tam vecors, qui casu potius aut arbitrio quam certa necessitate dicat venisse. quis enim putabit Romanos minus sensisse, ipsorum quid linguae conveniret, quam nosmet? at aliud longe diserto Martialis firmatur testimonio, quod adscribam [IX, 11, 10]:

nomen nobile, molle, delicatum
versu dicere non rudi volebam.
sed tu syllaba contumax repugnas.
dicunt Eiarinon tamen poetae,
sed Graeci, quibus est nihil negatum,
et quos Ἆρες Ἄρες decet sonare.
nobis non licet esse tam disertis,
qui Musas colimus severiores.

nihil potuit deliquari apertius et simplicius.

Tali autem modo cum adepti essent Romani, natura quae liceret consequi, effectast artis aequabilitas illa, quae communis poetarum classicorum et christianorum vel materiae siccitatem aut ingenii defectum plerumque emollivit, ut mediocria pleraque carmina Latina non sine tacita voluptate percipiant cordati lectores, cum neotericorum libri quantumlibet eximii sensuum proprietate vel nitore dictionum formae squalore saepe offendant eosdem. nam verum ut fatear, carmen numerorum arte carens tanto abest a perfectione intervallo, quanto sententiarum et elocutionum expers suptilitate.

Quae cum ita sint, eadem fere laude eademque reprehensione metricam artem Romanorum, qua rem publicam

afficiemus. sed tamen illa fuit valentior, quippe quae et inconcussas armis penetrarit gentes et superfuerit imperio annis ferme CL. — sed enim ab septimo p. Chr. n. saeculo, abiecta puto spe pristini status recuperandi, tanta occidentales populos invasit barbaries, non ut differrent iam inhumanitate Romani a Germanis. sane et externae accesserunt causae. nam priore etiam tempore Italia Getarum Byzantinorumque bello, post Langobardorum ingressione vastabatur, Gallia primum Francorum Burgundionumque certaminibus, mox, ubi rerum sunt potiti illi, intestina flagrabat discordia. diutius intacti mansere Hispani. nec saeculi septimi auctoribus sua defuit eruditio, donec proximo tempore Arabes transgressi fretum, quod Africam et Europam interfluit, uno proelio funditus everterunt Visigothorum opes. quo nihil potuit gravius litteris Latinis evenire. omnis inde ars lexque omnis versus Romani ad irritum cecidere, quae pridem labefactae tot simul tantisque circumstantibus terroribus multiplicatum non sustinebant impetum. mox, a Caroli Magni tempore, eaedem scholicis medii aevi studiis quadamtenus redintegratae, rursus coalita auctorum Graecorum et Latinorum veneratione aliquanto laetius effloruere saeculo XV, unde primum fructus eius ad Italos penetravit, dein ad ceteros, ut cuique genti cupido humanitatis aut admiratio veterum incidit. sed enim de his rebus dicere non fuit consilium.

IX.

OPVSCVLVM I.

DE VERSIBVS DACTYLICORVM ITALICIS.

In hoc opusculo plura sunt mutata quam in ulla parte editionis prioris, sed minus nostra culpa quam aliena. tantae enim obiectae erant in materia intricatissima difficultates Gerlachii, Vahleni, Kochii aliorumque incuria, ut non nisi post Ennii, Lucilii, Nonii libros editos a nobis tuto satis res posset tractari. igitur ut inversa multa, ita pleraque recisa, quippe quae satis essent explanata recensionibus auctorum, quos dixi. multum etiam profuere Phaedri bis post annum 1861 recognitae a nobis fabulae.

Italicorum nomine versuum ea significamus metra, quae cum a Graecis haud dubie sint adsumpta, tamen propria quadam, circa pedes maxime, ac simili saturnii versus libertate temperantur. his praeter sotadicum usque ad finem liberae rei publicae libere usi sunt scaenici. quibus nos omissis dactylicorum solum talibus numeris conscripta respiciemus carmina, et primo quidem loco Ennii, Lucilii, Varronis, Phaedri, subinde Accii, Licini, Volcacii. Ennii autem Saturis etiam didactici libri adscripti, quarum olim effecisse videntur partem.

Itaque cum Ennius et insequentes pro paucitate metrorum, qua antiquissimos e dactylicis contentos fuisse l. I demonstratumst, non adhibuissent nisi senarios iambicos, septenarios trochaicos, sotadeos, Varro pro multitudine

modulorum, qua delectati Ciceronis aetate cantores Euphorionis, praeter hos habet etiam septenarios iambicos, porro octonarios iambicos et trochaicos, item creticos et bacchios, dimetros anapaesticos systematis conclusos, denique senarios iambicos et septenarios trochaicos claudicantes. atque haec omnia apud eundem aliis locis inveniuntur etiam ad Graecorum leges exculta.

Phaedrus autem, Augusti libertus, quod aetate cultissima admisit spondeos in paribus trimetri locis, id exemplo videtur factum Publilii Syri, quippe cuius mimis perinde vita describeretur hominesque iuvarentur consiliis ad eam regendam utilibus. ac mire prorsus in plerisque rei metricae partibus Phaedri fabulis cum sententiis convenit Syri. quamquam hoc non solius huius evenisse credes merito, sed et grammaticorum opera, qui Augusti aetate scholarum eas usibus accommodarunt.

Castigatior autem Lucilio Ennius propter argumenta Saturarum plerumque graviora (de qua re in vita eius dictum) et metricae artis felicitatem fide maiorem; elegantior utroque Varro aetatis suae merito. denique a Phaedro senarii italici curiosius exculti quam ab ullo priorum.

Iam singula ut persequar, facile apparet non potuisse fieri, quin plurimum differret in versibus, quos dixi, scaenicorum ars ab eorum, de quibus iam quaeritur, poetarum. cuius rei causa minime obscura ea extitit, quod illi audituris, hi lecturis sua composuere. nam cum in eis, quae in scaena relata spectamus, tot simul animus oculique detineantur diversis affectibus, dividere curas ut cogamur, pleraque in dictionibus ac metris minus eleganter admissa aut omnino nos fugient maioribus intentos rebus, aut, si forte adverterunt, facili transmittentur venia. quod longe aliter habet in eis carminibus, quae domi in lectulo recubantes vacuo tractamus animo. in quibus primum omnium concinnitas ac nitor requiritur. — praeterea num illud videbitur probabile, nihil ex ea severitate, qua Lucilium et magis Ennium ac Varronem in relicuis versuum generibus usos constat, redundasse ad ea ipsa, de quibus hic agitur, metra? quin potius statuemus ne potuisse quidem illos in his diversam admodum a ceteris carminibus adhibere rationem

numerorum, nisi vellent videri doctrinae et urbanitatis omnis esse expertes. certum et illud, hominibus litteratis saeculi a. u. c. septimi liberiores illos artis veteris scaenicae modulos minus longe notos fuisse quam nobis, id quod nonnullis docetur Ciceronis locis [velut orat. 55, 184]. nam Sisennae grammatici testimonium, quod extat apud Rufinum p. 2711, omitto, ut quem non Sullae notissimum aequalem, sed imperatorum temporis fuisse Bergkio aliisque adsentiam [cf. Teuff. hist. l. lat. pg. 262]. est autem tale illud de Aululariae scaena quadam: '*anapaestico metro est. sed concisa sunt, ut non intellegas*'.

Praeterea ne hoc quidem perspexere plerique, ipsos scaenicos pro temporum aut materiae differentia interse fuisse satis diversos, cum et Naevii Plautique auditores pleraque tulissent patienter, quae Terentii aut Afranii aequales ut horrida nimis respuerunt, nec tragicis idem liceret quam comicis, qui ad plebis potissimum modulos et vulgarem pronuntiationem artem applicabant. de qua re satis apertum extat Tullii testimonium tale [or. 55, 184] '*comicorum senarii propter similitudinem sermonis sic saepe sunt abiecti, ut nonnumquam vix in eis numerus et versus intellegi possit*'. sed posteriorum Terentio scaenicorum placita metrica propter paucitatem fragmentorum tam sunt obscura, vix ut ipsorum, nedum Lucilii ac Varronis aestimari possint ex eis versus. at Plautinos numeros qui rursus inferat libris non scaenicis, post nostras curas haud facile invenietur.

Igitur ut statim indicem, quid sit rei, Ennii, Lucilii, Varronis, Phaedri aliorumque studia metrica eam pariter tenuere legem, ut vitarentur durissima quaeque ex Plauti Terentiique placitis simulque nova quaedam adderentur, quae hi vel mediocri habuissent cura vel nulla, utque mediam quandam tenerent viam inter scaenicorum rationes et dactylicorum. tum ab Ennio usque ad Phaedrum continuum quendam artis videmus progressum auctamque per totum hoc temporis spatium rei metricae et prosodiacae diligentiam. quare non mirum quod Phaedrus, qui ultimum optinet aetate locum, non multum differt ab eis, qui graecanicos adhibuerunt iambos, nisi quod spondeos et anapaestos admittit locis paribus. de cuius placitis cum cura disputatum

a Petro Langeno Musei Rhenani XIII [197 sqq.], mox a nobis in editione utraque fabularum. nos in citandis locis utemur maiore, quae prodiit a. 1877.

Cumque ex auctoribus, qui tractantur hoc libello, unius Phaedri scripta extent satis integra, non erit mirum quod de eo referetur quam plenissime, hoc certe ut patefiat, quomodo sint temperati versus italici a poeta, qui pro temporibus, quibus vixit, cultissimis magis quam ceteri nitori atque elegantiae debuit studere. priorum autem artem ita videbis differre a Phaedri, ut quae hic raro admisit, frequentius adhibeantur ab illis, simulque quaedam usurpenter, quae is exclusit.

Iam antequam perlustremus metrorum leges podicas et cetera, illud erit quaerendum, versus iambicos vel trochaicos utrum systematis coiugarit Varro necne, porro num iambicis miscuerit trochaicos, id quod saepe Terentium videmus facere. de quibus multum meditato mihi non satis constat. nam quae in editione priore [pg. 413] protuleram exempla generis utriusque, omnia post damnavit animus. ex quibus quod affert Priscianus 789 *si mehercule pergunt et deorum cura* (f. *causa*) *non satisfacitur reipublicae,* cum ita olim distinxerimus:

si me hercle pergunt
et deorum cura non satisfacitur re publicae,

iam pedestri oratione contineri existimo. — cetera quomodo nunc statuam disponenda, editione declaratur Nonii [cf. et comm. in 86, 26 sq.].

Contra trochaeos acatalectos et catalecticos videtur continuasse Varro in satura 'cras credo, hodie nihil' [Non. 112, 9]:

quíbus instabilis ánimus ardens mútatiliter hávet habere,
[et] nón habere fástidiliter ínconstanti péctore.

et porro in ea, quae inscribitur *Γνῶθι σεαυτόν* [Non. 243, 32; 312, 6]:

nón videtis, únus ut Amor párvolus
árdifeta lámpade arida ágat amantis aéstuantis.

quamquam res non satis certa; nam illud *ardifeta* corruptum; praeterea traditum *parvulus amor.* — contra minime probabilest epodica systemata ab illo vel italicis iambis vel

graecanicis instituta. videnda quae adscripta sunt ad Nonii lemmata 'actum, adpulsum'; 'capere, conplecti' [243, 28; 254, 15—17]. dictum de ea re iam in l. I. — neque magis adducor ut credam dactylica metra ab eo copulata cum iambicis, ut putarunt quidam in Eumenidibus factum [42]:

aurorat ostrinum hic indutus supparum,
coronam ex auro et gemmis fulgentem gerit,
luce locum afficiens.

ubi tertium versum licet ita scandi: *lucé locum afficiens,* plane ut est prima arsis soluta apud Lucilium l. XXIX [43]:

tum illúd ἐπιφωνεῖ, quód etiamnum nóbilest.

quamquam potest cum Ribbeckio scribi *lucei.* quod si probaris, vel post *locum* quaedam exciderunt in senario medio vel ante *lucei,* sicut visum illi, principium senarii, qui finiretur verbo *locum.*

Iam ut podicas leges expediamus, intellegitur spondeos vel anapaestos vel dactylos in italicis metris promiscue posse poni pro iambis seu trochaeis. attamen per temporis decursum ita temperarunt artem, ne nimio eorum gravarentur onere numeri. adeoque, quo quis elegantior poeta, eo saepius in trimetris iambicis et trochaicis septenariis Graecorum expressit formam, id quod maxime ex Syri sententiis et Phaedri fabulis comparet. quid quod Ennius, antiquissimus auctor artis, loco quodam, et quidem in tragoedia posito, continuavit quinque trimetros excluso a pedibus inparibus spondeo [fab. 330 sqq.]. ubi sane in quarti principio detrahenda finalis:

ignotu' iuvenum coetus alterna vice.

nam ita saepius eadem tollenda in versibus poetarum antiquiorum ad minuendum spondeorum numerum. — similiter apud Porcium Licinum, Accii aequalem, qui, ut Volcacius Sedigitus, eiusdem fere temporis homo, scripsit librum de poetis, duos habes tetrametros trochaicos graecanicos:

Poenico bello secundo Musa pinnato gradu
intulit se bellicosam in Romuli gentem feram.

Quae cum ita sint, interdum dubiumst, Varronis Saturis utrum genus habeatur senariorum iambicorum et trochaicorum septenariorum. — praeterea haud raro oritur difficultas iambica ac trochaica distinguendi a pedestribus, cum

Latinus sermo natura sua referat plerumque numeros illos. haec igitur quomodo existimaverimus temperanda ex editione cognoscere licet Nonii.

Iam cum ultimi in versu iambi servanda sit omnino integritas, aequabilitatis studio effectumst, ut in praecedente loco plerumque poneretur spondeus. quae tamen lex in vocabulis quattuor aut plurium syllabarum inpune migratur, velut [Phaedr. I, 2, 3; 8, 8]:

frenumque solvit pristinum licentia.
gulaeque credens colli longitudinem.

proxima est venia, ubi amphibrachus vel creticus cum monosyllabo insequente sive praecedente coalescit in unum [Ph. IV, 12, 7; II, 5, 2]:

odi, inquit, illum, quia malis amicus est.
trepide concursans, occupata in otio.

recte etiam copulatur in fine trochaicus exitus verbi plusquam disyllabi cum cretico, ut [Ph. I, 19, 3]:

canis parturiens cum rogasset alteram.

nam etsi fuere, qui hoc genus licentiae a Phaedro abiudicarent, cur omnino ab eo segregarem, non habui, quippe quod Plauti Terentiique hactenus firmetur auctoritate, ut rara admodum apud Ennium, Lucilium, Varronem exempla paucitati fragmentorum adscribenda esse videantur.

Contra alienumst a poetis, de quibus hic agitur, omnibus formare iambum paenultimum vocabulo iambico vel in iambum exeunte. quare siquid tale antiquitus traditum, id vero ubique nunc iudico tollendum. nam et tragici vetustiores exclusisse videntur illud; adeoque ne comicis quidem satis tuto plerumque tribui idem in editione Nonii saepius declaratumst. igitur et in Ennii Saturarum VI damnatum, quod et aliam ob causam displicet, *mox alterius cum obligurrias bona;* ubi reponendum iam existimo *obligurrieris*. omnium autem minime haec licentia toleranda in Phaedro, cuius versus quidam [fab. Perott. 28, 9] cum sic ferretur:

omittit ipsum persequi et vocat canes,

olim restitutumst a nobis illud *revocat*. — quod in editione Lucilii [l. inc. 142] iam receptum erat *salsi fretus* pro *salis fretus* circa finem trimetri, Charisii auctoritate firmari Sca-

ligeri coniecturam commentario Noniano demonstravimus [205, 32]. — idem poeta vel potius tragicus, cuius usus est versu, quo iambicum verbum vitaret in trochaicis septenariis loco a fine proximo pro *mora* dixit *remoram* [XXVI, 44]:

quaenam vox ex tete resonans meo gradu remoram facit?

neque recte Varroni ab Hauptio per coniecturam tribuitur metrum tale [magn. tal. 1]:

detotonderat forcipibus vitiarium feris.

ubi cdd. *vitariferis* vel similia. potest scribi *vites arentes feris* sive *vites arbusti feris*. nondum expeditum Lucilianum illud, quod in editione nostra ita conceptumst [XXIX, 75]:

hic me ubi vidit, subblanditur, palpatur, caput scabit,
pedes legit.

videnda quae adnotavi ad Non. 472, 4.

Iam in trimetris tetrametrisque spondiazontibus italicis spondeum haud dubie admisit Varro loco paenultimo, ut qui etiam in graecanicos receperit secutus Alexandrinos, sed ita semper, ut praecederet iambus. itaque a nobis ap. Non. s. l. 'febris' [46, 19] numeri olim constituti hi:

ídeoque alterum áppellamus á calendo cáldorem,
álterum a fervóre febrim;

porro s. l. 'colere' [250, 33]:

ást in segetibús post messem cólligebant strámenta;

item s. l. 'liquidum' [334, 20]:

húnc vocasse ec líquida vita in cúriae vestraé faecem.

Anapaesti vel dactyli pro spondeo iambi sive trochaei loco positi cum apud priores satis multa inveniantur exempla, interdum etiam duplicati, ad severiorem omnia legem revocata a Phaedro, cui numquam bini continuantur anapaesti. omnino non ita saepe hic pes ab eo admissus praeter primum locum et quintum. porro ita ubique temperatus idem, ut thesis constaret in vocabuli plus quam disyllabi paenultima cum antepaenultima praeter primum pedem, cuius singularis est libertas, et bis terve quintum, qui, ut memoravi, non amat numerum iambicum. in his igitur licet contineri thesin disyllabo. adscripta sunt exempla pedis quinti: III. 10, 4; 14, 11; VI, 19, 3; 30, 10.

Praeterea quinquies thesis primo loco in bina distractast verba, III prol. 49; 7, 25; IV, 5, 34; VI, 2, 8; 8, 21. sed haec exempla praeter primum versum, ubi legitur illud *neque enim*, quod formulaest instar, et alterum *age, abire, siquost animus, est licentia?* ubi elisione lenissima iunguntur partes, facili negotio possunt tolli.

Porro caesura in tertium senarii iambici vel quartum septenarii octonariive si incidit pedem, semper iambus ponitur excluso spondeo, ut [Lucil. XXIX, 12; Varro Sard. venal. 1; Eumen. 2]:

favitorem tibi me, *amicum,* amatorem putes;
non te tui saltem *pudet,* si nil mei revereatur?
contra cum psalte Pi*sia et* cum Flora lurcare ac strepis.

Denique Varro in septenario iambico non est veritus imitari comicos, qui aliquando totum hemistichium post caesuram positum, ne septimo quidem loco excluso, constare voluerunt citra iambum. ita in *Ταφῇ Μενίππου* [9]:

quod coeperas modo in via, *narra, ut ad exodium ducas.*

Arsis saepe solvitur apud Phaedrum, sed ita, ut dactylo in prima potissimum tertiaque et quarta sede locus sit, aliquanto rarius alibi inveniatur, tribrachus et a primo et a quinto pede sit alienus. haud ita infrequenter dactyli continuati duo; at raro valde nec sine venia fere quadam tres, ut I, 5, 8; II epil. 1; IV, 4, 4; fab. Perott. 3, 1; 26, 1. pyrrichius autem pro arsi adhibitus similiter, atque fit in thesi, plerumque vocabulis plusquam disyllabis continetur, ea tamen condicione, ne prior syllaba in paenultimam ultimamve cadat partem, id quod et a scaenicis vitatur, quamquam hi aliquando dactylica verba in primo trimetri pede ponunt pro spondiacis. est ubi disyllabo soluta constet arsis, maxime quidem in primo loco. rarius multo evenit, ut monosyllabo cum sequente plusquam monosyllabo eadem comprendatur, ut:

calumniator *ab ove* cum peteret canis.
et rapiet ad se *quod erit* commune omnium.

praeterea notabilis in appendice versus est talis [10, 10]:

non ut labores facio, *sed ut* istum domes;

ubi pyrrichius duobus continetur monosyllabis, id quod repetito mitigatur *ut.* quamquam poterit scribi *sed uti* stum.

Finiti ordinis integritas quo servetur. arsis quinta non solet solvi nisi vocabulo plusquam trisyllabo claudente metrum. a qua norma vix sunt diversa haec [V, 7, 22; VI, 9, 6]:

quidam in conspectum proditurum sine mora.
respondit illa: quicquid dederis, satis erit.

Proceleusmatico in prima tantum locus est sede, sed certus. nam non modo in Syri trimetris, quorum, ut memoravi, ars est simillima, sed adeo in graecanicis idem reperitur versibus Senecae, ut scaenicorum Sulla priorum Luciliique ac Varronis omittam exempla. excerpenda tamen haec, ubi initio legitur *beneficium* vel *nihil;* nam pro his efferendum *benficium, nil* nemo non videt.

Atque a Phaedro ita semper temperatus proceleusmaticus, ut et a ceteris plerumque, thesis ut impleretur verbo disyllabo vel trisyllabo, sed elisione imminuto, ut puta [IV, 11, 12] '*itaque hodie nec lucernam de flamma deum*'. at neque ceteris locis pro iambo positus proceleusmaticus et multo minus pro trochaeo. qualis vitii exempla quae olim ferebantur [IV, 11, 3; VI, 2, 10; 9, 12; 15, 8; II, epil. 17; VI, 15, 7], sublata in editione nostra omnia.

Iam regularum, de quibus dictum, etiam apud Ennium et ceteros in iambicis ac trochaicis metris pleraeque servatae, sed minore cum severitate et constantia.

Et de iambo quidem in paenultima sede collocato, quando sequitur iambus, iam memoravi.

Anapaesti seu dactyli pro iambo vel trochaeo positi thesin non magis quam apud Phaedrum fine verbi dactylici vel in dactylum exeuntis licet contineri. sed disyllaba thesis aliquando etiam praeter primum et paenultimum invenitur pedem. quamquam in versu ex Ennii saturarum l. III:

nam is non ben (bene *v.*) volt tibi, qui me falso criminat

res non satis certa. nam illud *me* additum a Quicherato. et potuit scribi eodem sensu: *hunc qui.* — contra certumst Lucilii hoc exemplum [XXVIII, 1]:

cum ceteris reus una tradetur Lupo.

porro sic in secundo pede septenarii trochaici idem [XXVII, 23]:

certa sunt, sine detrimento quae inter sese commodent.

adeoque in quarto [l. inc. 138]:

quin amplexetur qui volt; ego non sinam me amplectier;

ubi caesura fit post arsin quartam. sed et in parem sedem iambicorum vel trochaicorum imparem admitti hanc licentiam aliquando exemplo scenicorum non erit ita mirum. atque ita habes apud Varronem in senario octenarioque iambico anapaestum secundo loco vel quarto [Eumen. 45; 19]:

sed nos simul atque in summam speculam venimus.
tu non insanis, quom tibi vino corpus corrumpis mero?

attamen binis verbis discerpi thesin (nisi primo iambicorum loco) raro toleres et aegre. itaque iam olim versum quendam Lucilii [XXIX, 58] sic dixi videri scribendum:

Hymnis, ego sic animum induco, quo te ab insano auferas.

nam vulgo fertur *Hymnis, eg. an. sic* — *tua ab.* — apud eundem legitur [XXVIII, 23]:

vasa ec fenestreis in caput
deiciam qui prope ad ostium aspiraverint.

at facile potest reponi *prope qui.*

Etiam continuati anapaesti vel dactyli bini interdum occurrunt, ut Luc. XXIX, 11; XXVI, 21.

Proceleusmaticum in primo trimetri pede Lucilius non magis refugit quam Varro, isdem quidem condicionibus usus atque Phaedrus [XXIX, 26; devict. 3]:

agite, agite, furi mendaci argutamini.
libet epigrammatia facere et quoniam nomina.

nam ita et in versust graecanico [Sescul. 12]:

ubi nitidi ephebi, veste pulla candidi.

In trochaeis proceleusmatico non locus nisi ut diversorum pedum constet thesi et arsi, qualis prorsus ab iambis abest copulatio. et illa figura haud dubie invenitur apud Lucilium Varronemque [XXVI, 3; Eumen. 48]:

voluimus *capere ani*mum illorum.
Attices *philosophi*ae alumna.

Verum nusquam tolerandus proceleusmaticus pro trochaeo positus. nam quae olim apud Lucilium ferebantur exempla diversa [inc. 138; XXVI, 18]:

quin amplexetur qui *velit. ego* non sinam me amplectier.
et quod tibi magno opere cordist, *mihi vehe*menter displicet,

ea pridem procurata a nobis.

Subtilius expendendum hoc [XXVI, 34]:

*domuitio*nis cupidi imperium regis paene inminuimus.

Ac Nonii quidem, qui affert 96, 1 sqq., libri scripti in lemmate et exemplis, quae secuntur, habent fere *domutionem* bis et semel *domutionis*. sed haec nihili esse facile apparet. dixisse veteres *domitionem*, sicut *animadvertere*, demonstratur auctoris ad Herennium loco hoc [III, 21, 34]: *cum verborum similitudines imaginibus exprimere volemus — id nos hoc modo facere oportebit: 'iam domi ultionem reges Atridae parant'. in uno loco constituere oportet manus ad caelum tollentem Domitium, cum a Regibus Marciis loris caeditur. hoc erit: 'iam domi ultionem reges'*. in quibus vel caeco constabit pro illo '*domi ultionem*' non esse scribendum, quod vulgo optinet, '*domuitionem*' (quae enim similitudo intercedit inter hoc verbum et *Domitium?*). scribendum '*domitionem*'; quam formam et Nonii loco, unde orsi sumus, reddemus et Accii versibus, qui leguntur ap. Non. 357, 8. ita glosae Latinae Graecae [II, 55 ed. Goetzianae]: *domitionem, ἐπάνοδον*. — ceterum versum rhetori allatum non tragici esse cuiusquam, sed ab ipso fictum demonstrat producta prima in illo *Atridae*.

Ceteri in solutione arsis modi apud Ennium, Lucilium, Varronem idem fere atque apud Phaedrum, nonnihil tamen laxiores. igitur plerumque fit in verbis plus quam disyllabis, saepe et in disyllabis, minus frequenter discerptis inter duo verba syllabis, ex quibus tali pacto prius monosyllabumst, rarissime in monosyllabis duobus. ut Varro [**ταφῇ Μενίππου** 9; **γνῶθι σεαυτόν** 8]:

> quod coéperas modo ín via, narra *út ad* exodium dúcas.
> non súbsilis ac plaúdis *et ab* Aráto poscis ástricam
> corónam? quid enim hoc mírius?

et de hoc quidem exemplo infra, ubi de caesura agitur, rursum erit dicendum. — cetera autem, quae diversa sint, omnia vel primi pedis libertate excusanda vel curatius introspicienda an sint corrupta, velut Lucil. XXVII, 11 pro *ut diutiús* restitutum a nobis *diútius út*. eiusdem XXIX, 43 *tum illud ἐπιφωνεῖ, quod etiamnum nobilest* soluta arsis prima et initii versus licentia et iniecto vocabulo Graeco excusatur. Ennii l. VI traditum in scholiis Terentianis, quae sunt corruptissima:

> *quippé sine* cura laetus lautus cum advenis.

nos in editione:

> sine cura quippe laetus lautus tu advenis.

Item in Varronis Eumenidibus [42] post trimetros duos leguntur haec: *luce locum afficiens*, incertum an sic scandenda: *lucé locum afficiens*; de quo iam supra memoratum exemplo.

Iam in plusquam disyllabis posse arsin effici fine dactylici verbi circa principium versus, ut apud scaenicos [cf. Ritschel. proleg. in Trinummum pg. CCXXIV], etsi certo exemplo vix constat, non negarim, cum vel graecanico in trimetro id admiserit cum Seneca Petronius [89, 6]:

robora minacem quae figurarent equum.

at quod olim ex Varronis Virgula divina attuli in trochaeos divisum ita:

ego nunc postulo meum
Agamemnona. tantis coturnis accipit Critonia
caliandrum,

id stare non posse olim intellexi. libri: *postulem Agamemnona meum.* numeri sunt aperte iambici:

tantis coturnis accipit Critonia
caliandrum.

in prioribus fortasse legendum *ego nunc postulem mi Agamemnona.* nam apparet eum, qui verba facit, Critoniae caliandrum accipientis gravitate adductum, ut Agamemnona ab eo in scaena repraesentari vellet. sed notum quam saepe Porphyrio, qui affert illa ad Hor. Sat. I, 8, 48, cum ceteris scholiastis in citandis scriptoribus parum curiose rem gesserit.

Porro apud dactylicos non magis quam apud scaenicos in iambicis trochaicisque locum esse solutae arsi in verbi tribracho conclusi paenultima et ultima syllaba penitus iam mihi persuasum. videnda quae adnotavi ad Nonii lemmata 'suspicere' et 'accusativus pro genetivo' [400, 16; 495, 20].

Tribracho pro iambo posito in primo pede ac paenultimo metri iambici cum neget locum Phaedrus, dedisse videntur vetustiores. ac de primo pede facile concedent omnes, quamquam exempla certa vix suppetunt. etenim Varronis illa [*ὄνος λύρας* 5; mod. 5]:

*et ávi*ditatem spéribus lactét suis;
*quid áli*ud est, quod Délphice canát columna lítteris

ex graecanicis petita sunt iambis. sed in septenario eius-

dem [mod. 17], si recte versus instituimus (nam in libris est *hanc eandem voluptatem*), invenitur metrum tale:

volúptatem hanc eándem
*tacitu*lus taxim cónsequi lapátio et tisana póssum.

etiam quinto loco legitur apud Lucilium l. XXIX [18]:

manus a muliere abstinere melius est;

ubi codices *abstinere a muliere*. et potuit olim esse *abstinerei*. item Varronis Tithono [2]:

quam dereliquit multicupida iuvenitas;

ubi libri plerique et fortasse ipse Nonius, qui bis affert, *iuvenilitas*. ceterum nescio an sit scribendum pronuntiandumve *iunitas*, sicut *iunior* dicitur et *iunix*. — contra non toleratum in editione Nonii apud Lucilium illud [XXIX, 4] *detrusu' tota vi deiectu'que Italia*. — rarum certe admodum tribrachi usum in paenultima sede versuum iambo terminatorum fuisse certumst. atque olim monui in libro de saturnio [pg. 49] ne in huius quidem metri reliquiis inveniri tribrachum pro primo vel sexto iambo positum, neque in senariis Plauti ac Terentii hanc principis ac paenultimi loci formam extare frequentius, nec semper satis certis exemplis, sive quod librorum fides sive quod scandendi facultas esset incerta.

Ita tribrachus in fine trochaici septenarii, cuius similis est condicio, invenitur apud Lucilium [l. inc. 137]:

quód mihi commodum érat, ut uda véstimenta pósueram.

ubi traditum illud *reposueram*.

Caesura trimetri apud Phaedrum semper est vel penthemimeres vel hephthemimeres. ex quibus longe frequentior illa:

Aesopus auctor | quam materiam repperit.

altera ubi usurpatur, ad similitudinem versus heroici, de qua re libro tertio memoravi, aut post secundum pedem incidi solet verbum aut secundus trochaeus cum tertio uno contineri vocabulo:

quod arbores | loquantur, | non tantum ferae.
furtim igitur dant | Mercurio | mandata ad Iovem.
cum tristem servitutem | flerent Attici.

denique si pariter post tertiam et quartam thesin finiatur

verbum, at post hanc sit gravius interstitium sensus quam post illam, quin hephthemimeris sit ponenda non intercedo.

Et Phaedrus quidem nullum trimetrum finxit, qui caesura sua careret. contra antiquiores aliquando, sed raro admodum, post tertium iambum finiunt verbum, ut Lucilius [XXIX, 12]:

favitorem tibi me, amicum, amatorem putes.

Volcacius [v. 11]:

Turpilius septimum, Trabea octavum optinet.

Varro [papiapapae 1]:

oculi suppaetuli nigellis pupulis;

quamquam id facile potest corrigi ita, ut in editione Nonii, instituta caesura:

oculi nigellis pupulis suppaetuli.

at in Lucilii versu [XXIX, 2]:

sic inquam veteratorem illum, vetulum lupum
Hannibalem acceptum

pronuntiandum *lum* pro *illum*, sicut eodem tempore dixit Afranius *immo li mitem faxo faciant fustibus.* -- magis etiam dubium illud, spondiacumne sit positum ita apud Varronem [virg. div. 7]:

praesertim cum ventrem meum coherceam
nec murmurari patiar.

quae quidem sine negotio licet emolliri, ut iam in prima editione notatum, si scripseris *ventrem cum.* sed, ut repetam quae in editione Nonii ad 478, 7 sunt adnotata, eam in Saturis Menippeis restituendis iam sequimur viam, ne iambici trochaicive numeri, qui ultro plerumque oriuntur et in scriptis pedestribus latinis, in versus cogantur nisi indiciis locupletioribus.

Etiam apud scaenicos inveniuntur senarii quidam post tertium pedem finiti, sed ut iambus hic sit, non spondeus. in his igitur utrum voluerint loco, quem dixi, fieri caesuram, sicut interdum in saturniis factum, an caesuram esse nullam, non satis constat. nec tamen potest negari a Varrone etiam graecanicos trimetros interdum fictos caesura orbos.

Omni autem incisione caret versus Volcacii:

decimum addo causa antiquitatis Ennium.

fortasse scribendum: *ant. c.* (ita cdd.) *d. addo E.*

In septenario iambico caesura fixa post quartum pedem, in octonario vel post hunc vel post thesin sequentem. sed utriusque metri pauca admodum exstant exempla. semel arsis in caesura soluta octonario hoc [γνῶθι σεαυτόν 8]:

> non subsilis ac plaudis *et ab* Arato poscis astricam
> coronam? quid enim hoc mirius?

ubi videtur a nomine proprio, quod sequitur, repetenda excusatio.

In trochaico septenario vel, sicubi invenitur, octonario longe frequentissimast incisio post alteram dipodiam, ut in Pomponii Auctorato:

> neque enim sum Memmi neque Cassi | neque ego Munati Ebriae;

ubi male Charisii codex pg. 37 illud *ego* habet post *neque enim.*

Apud Lucilium autem aliquando post arsin quartam inciditur. et potest eadem solvi. quod si non fit, licet thesin in pyrrichium diduci. habes igitur haec [XXVII, 7; 11; XXVIII, 35; XXVI, 32]:

> nulli me invidere, non | strabonem fieri saepius;
> in bonis porrost viris, | si irati seu cui propitii;
> conmovet se nusquam neque | committit, ut pereat sibi;
> depugnabunt pro te ipsi et | morientur ac se ultro efferent?

Eadem haud dubie caesura statuenda, ubi post quartam arsin sequitur verbum pyrrichiacum, ut [l. inc. 138]:

> quin amplexetur qui volt, | ego non sinam meamplectier.

contra in illo [XXIX, 54]:

> perge, amabo, ac si potes, face dignam me ut vobis putem,

potius legendum *fac.*

Ac ne a Varrone quidem hic modulus alienus [gerontodidasc. 13]:

> ubi graves pascantur atque | alantur pavonum greges.

igitur nihil obstat, quin recte initium versus trochaici deprendisse sibi videatur Vahlenus in Tithono [5]:

> risi multum, lusi modice | iambis.

Minus multost elegans incisio post quintam arsin. quam cum apud comicos hic illic inveniri affirmet Ritschelius proleg. Trin. pg. CCLXXIV, a tragicorum certe dactylicorum-

que versibus existimavi arcendam in editione Nonii. neque tueor iam quod Lucilio adsignavi metrum tale [l. inc. 135]:

neque prodire in altum, proeliari hi sub vitei procul.

ubi nescio an sit scribendum:

neque prodire in altum, proelium agere sub vitei procul.

non enim crediderim a Lucilio poni septenarium caesura omni carentem; cuius certe licentiae aliud non extat exemplum. — ceterum multa utriusque caesurae vicariae documenta, quae affert Ritschelius l. m., aliter, atque huic placuit, sunt interpretanda, cum saepe vel sensuum interstitia nimium curarit vel parum elisionum rationes.

Tmesis, quae fit in praepositionibus monosyllabis verborum compositorum, nec ab italicis abest numeris. ea ipse Phaedrus usus bis [III, 15, 6; V, 7, 19]:

novissime prolapsam ef|fundit sarcinam;

sive mavis, quod tamen minus est concinnum propter elisionis defectum:

novissime pro|lapsam effundit sarcinam;

et porro:

ipso ludorum os|tenderet sese die.

igitur non caret caesura sua versus Varronis [Eumen. 45]:

diversum ferri *exterritum* formidine.

est ubi dubitare possis, utrum post praepositionem sit incidendum an ante, ut apud Lucilium [XXVIII, 10; XXIX, 56]:

Lucili, si in amore *inritaris* tuo;
ni rediret ad se atque illam *exterminaret* miseriam.

Iam ut de rhythmicis agatur legibus iamborum et trochaeorum italicorum, monosyllabum antecedente plusquam monosyllabo non admisit Phaedrus nisi illud *est* vel aliquando *es* et praemissa parte, quae in trochaeum exiret, ut [IV, 12, 7; V, 9, 4]:

odi, inquit, illum, quia malis amicus est.
tace, inquit; ante hoc novi quam tu natus es.

ita post tribrachum Lucilius [XXIX, 18]:

manus a muliere abstinere melius est.

duriora paullo Varronis haec sunt [Non. 344, 4; 530, 18]:

at liberos parare cui necesse sit?
τρόπων τρόπους qui non modo ignorasse me.

Atque in ceteris tam severe versatus est Phaedrus, ut non modo secundi ac tertii, sed ne quarti quidem pedis mensuram expleri passus sit fine vocabuli in spondeum vel anapaestum, nedum dactylum, exeuntis, veluti in fabulis a Dresslero concinnatis inveniuntur talia:

recus*avit*, quod clausae erant stomachi viae.
et protinus au*xilium* petens anser simul.
cibo impleretur, ser*vitium* negaverant.

exceptus est unus versiculus [III epil. 34], verum non ipsius, sed Ennii:

palam muttire ple*beio* piaculumst.

et pleraque quidem a lege aliena iam Langenii opera [pg. 198 sq.], cetera a nobis in editione utraque Fabularum sunt sublata.

Quin eo progressus curae idem, non ut molossica ac ne antibacchia quidem vel qui oriuntur ex his pedibus soluta altera longa velut *angusto, angustā, continuo, inimico, continuā, inimicā* elisa ultima poneret pro trochaeo primo, altero, tertio. igitur non recte nos olim, secuti Bentleium [I, 14, 8]:

antidoto *miscere* illius se toxicum;

pro quo debebat poni:

miscere antidoto illius sese toxicum.

Nec magis trochaica aut tribrevia (nedum spondiaca et anapaestica) solent elidi in arsi secunda, tertia, quarta praeter finales a solita nominum et verborum flexione alienas, quales sunt in illis '*quoniam*', '*idem*', '*esse*', '*atque*' [I, 2, 23; IV, 26, 4; 13, 1; 25, 9; VI, 4, 20], ut:

inutilis *quoniam* esset qui fuerat datus.

Atque haec omnia demonstrata a nobis in secunda editione Phaedri, ubi suptilius pertractata artis eius metricae intima. at Varronem, Lucilium, Ennium minore in hac parte uti severitate non mirum. velut in Varronis Bimarco legitur [2]:

clamat, sed *omnino* omnis heroas negat;

et in Prometheo libero [1]:

vim propulsare atque *inimicum* Orco inmittere;

item Lucilius l. XXVIII [12]:

Hymnis, velim *tete* id quod verumst credere.

Praeterea certo constat apud hos perinde atque apud comicos creticum, qui sequitur penthemimerim, impleri aliquando vel molossico vocabulo vel choriambico sive longa syllaba (quae et solvi potest) cum spondiaco. Lucilius in XXIX [20]:

Chremes in medium, in *summum eirat* Demaenetus.

ubi *eirat* positum pro *ierat*. Varro in Prometheo [5]:

levis mens numquam *somnurnas* imagines.

idem in Agathone [6]:

neque auro aut genere aut *multiplici* scientia.

item alibi [Non. 399, 34; 263, 12; 27, 21]:

antiquorum hominum *subductis* supercilis;
semustilatus *inrumpit* se in curiam;
. . mea igitur *hecatombe* pura ac puta.

atque idem fit in octonario post caesuram. Varro in satura, quae inscribitur *Ἄμμον μετρεῖς* [1]:

nos barbari, quod innocentes *in gabalum* suffigimus?

ubi nescio an sit magis conveniens scriptori tam antiquo illud *in gabalo*.

Contra iam arcendum putamus a secundo, nedum a tertio pede vocabula in spondeum vel anapaestum exeuntia. atque in tanta librorum corruptione utriusque vitii exempla suppetunt perpauca, veluti apud Ennium l. I [4] legitur:

malo hercle *suo magno* convivat sine modo;

ubi recte Bothius *magno suo*. neque in VI potest ferri senarii initium tale: *alacer, celsus, lupino*. nec magis placet Lucilianum illud l. XXIX [14]:

habeasque *animo* mihi admodum causam gravem;

ubi lenissima mutatione restitutum olim:

habeas quoque animo mi admodum causam gravem.

attamen servavimus quod legitur l. XXVIII [3]:

habes omnem rem. timeo ne accuser . .

quippe formulae instar et unius verbi videtur fuisse illud *omnem rem*. unde plane isdem numeris initio trimetri usus est Terentius [hecyr. I, 2, 119]: *habes omnem rem*. pessimi autem versus, quos Varroni tribuit Iunium secutus Oehlerus [Agath. 7]:

quid multa? factus sum vespertilio, neque
in muribus *plane* neque in volucribu' sum.

quamquam illud *vespertilio* recte videtur poni antepaenultima brevi. nam quod Ovidius ita reddidit per ambages [metam. IV, 414]:

lucemque perosae
nocte volant seroque trahunt a vespere nomen,

id non metri necessitate coactus videtur fecisse, sed ne aviculae exilis et derisae vocabulo vastissimo gravitatem carminis imminueret. eandemque fuisse existimarim causam nominis premendi Sammonico [671]. nec magis me movet, quod auctor carminis de Philomela, homo barbarus et christianus, *i* produxit hoc versu [39]:

strix nocturna sonans et vespertilio stridunt.

sed videtur correpta antepaenultima, ut in eis quae sunt *papilio, opilio.*

In trochaico septenario, qui ubique simillimus est iambici senarii, cum apud comicos perinde apponi liceat post caesuram verbum in spondeum vel anapaestum excurrens, apud dactylicos eius rei exempla prostant paucissima. nam Lucilii illud [XXIX, 75]:

hic me ubi vidit, subblanditur, *palpatur,* caput scabit

nondum expeditum iam supra memoravi: contra alibi [XXVI, 76] recte videntur habere haec:

. . . . si *miserantur* se ipsi, vide.

item apud Varronem [Marcip. 8]:

Pelian ei permisisse, ut se *vel vivum* degluberet.

in tetrametro claudicante eiusdem [Serran. 8] invenitur:

dormit alius. vigilant, clamant, *ni mirum,* calent, rixant.

sic enim a nobis haec reconcinnata. libri inepte: *nimirum vigilant clamant.*

At enim tertium iambum constantem vocabulo in spondeum finiente non tulimus in Anthropopoli vel potius Anthropopoeia Varroniana [4], ubi traditum:

et Hymenaeus, qui *primo* lavere alvum marsupio solet.

ubi nos: *primo alvum lavere.* — de *marsupio*, quod correptam habet alteram, dictum in commentario Noniano [504, 13]. neque minus respuendum erat in Marcipore [7] illud:

. . . . dixe
regi Medeam *advectam* per aera in reda anguibus;

ubi nunc repositum a nobis:

dixerunt
regi Medeam per aera in reda advectam anguibus.

Etiam bacchios numeros et creticos habet Varro, mira arte temperatos, ut dubites plerumque utrum graecanicis potius an italicis versibus sint adscribendi.

Bacchios inveni hos [περὶ ἐξαγωγῆς 4; Hercules tuam fidem 2]:

quemnám te ésse dícám, ferá quí manú córporís férvidós
fóntium áperís lacús sánguinís téque vítá levás férreo énsí?

Imitatum eum Thyestae Enniani canticum celeberrimum eodem pede scriptum, sed tetrametris haud dubie [fab. 299], adnotarunt docti. — perinde nullo interstitio continuatos, sed non sine vitio, habes bacchios alibi: *non Tutilinam, quam ego ipse invoco, quod meae aures abs te obsidentur.* ibi primus pes nescio an possit suppleri ita: *non tu Tutilinam,* ut intellegendum sit *invoces.* in paenultimo olim positum *abs tete* displicet propter molossum. itaque praestat poni *ita abs te,* ubi *ita* idem quod *tanto opere.* erit igitur metrum tale:

non tú Tútilínám! quam ego ípse ínvocó, quód meae aúrés
ita ábs te óbsidéntúr.

Tertium exemplum videtur praebere locus servatus in commentario Servii Casselani [aen. I, 448] et a Riesio recte adscriptus Varroni Reatino. ibi quae leguntur, videntur refingenda in hunc modum:

trisúlcaé forés péssulís liberátaé dehíscúnt gravés átque níxae
(innixae *codex*) ín tardós cárdinúm túrbinés . . . .

ubi tamen suspicionem movet molossus *tardós cárdinum;* traditum illud: *cardinum tardos.*

Haec igitur exempla consideranti probabile fiet Varronem bacchios synaphia iunctos continuasse in Saturis per pedes plurimos. nam id etiam observatur in creticis.

Ex quibus pars haud dubie continetur tetrametris, veluti quae leguntur ap. Non. s. v. 'torquem' [228, 6]:

téla déxtrá vibránt, rússa trína émicánt,
átque insígnítu' dúx Márti' tórque aúreást.
scúta caéláta Hibéro éx argéntó graví
crébra fúlgént.

idem apud eundem s. v. 'trossuli' [49, 1]:

núnc emúnt tróssulí
nárdo nítidí talénto Átticó vólgo ecúm;

et in Parmenone s. v. 'cedere' [251, 11]:

cédit vélócibús iúveni' mémbrís levís,
nítidus óleó.

quae si recte sunt constituta in editione nostra (nam quaedam a librorum memoria diversa), apparet, ut par est, spondeum non admissum nisi locis imparibus. sed in eadem satura descriptio mane in silvam tendentium et ibi ligna caedentium continuis videtur constare creticis. certe pars eorum nullo pacto cogi potest in tetrametros. sunt autem haec [Non. 193, 5; 86, 13; 79, 21; 486, 9; 152, 10; 178, 30; 494, 26]:

I. cántus é frónde utí cum ínrigávít caváta aúrium ánfrácta in sílvám vocáns.
II. áli' cabállum árboris rámo in úmili ádligátúm relínquít, feréns férream úmeró bipínném secúrém.
III. caéditúr lótos álma; álta frós décidit Pálladís; plátanu' rámís.
IV. áli' tenéllam ábietém sólu' pércéllit.
V. álta tráps prónis ín humum áccidéns próxumaé frángit rámós [cadéns].

conferendus tamen ubique commentarius Nonianus.

Praeterea Varro in dimetris anapaesticis videtur aliquid sibi licentiae a tetrametris aristophaneis, quibus etiam utitur, alienae permisisse et solvendis arsibus et spondeo in paenultimo loco paroemiaci ponendo, veluti in Cosmotoryne habes haec [1]:

Phrygió, qui pulvinár poterat
pingére, soliar defúgiebat.

et Laevius amavit solutam arsin:

corpóre pectoreque undíque obeso [ac]
mente éxsensa tardígenuclo
senio óbpressum.

idem Varro ibidem [5]:

munéra belli ut *praestárem.*

idem *Γνῶθι σαυτόν* [4]:

sanguíne rivos *conpléret.*

idem Cosmotoryne [8]:

suavem ád patriam *perdúcit.*

Restat mirificum sotadeorum metrum. cuius cum duplex esset genus, alterum arte constantissima ad severissimam Graecorum exactum normam, de quo diximus libro II, alterum liberius habitum, partim peregrinorum auctorum exemplo, partim scaenicorum Latinorum (quamquam vix adducor ut credam, quod quibusdam ex metricis adeoque Hermanno et Christio visum [metr. graec. et lat. pg. 490 sq.], etiam a Plauto compositos sotadeos), utroque usus est Varro; apud Ennium Acciumque prioris in fragmentis paucissimis exemplum non extat. quamquam non sine specie Ennio adscriptum a Lachmanno metrum hoc:

ílle íctu' retró réccidit ín natém supínús.

Igitur cum legitimae hae sint formae ionici a maiori, qui ter in versu isto repetitur: — — ⏑⏑, — ⏑⏑ ⏑⏑, ⏑⏑ — ⏑⏑, — ⏑ — ⏑, ita quidem ut a primo et altero pede ditrochaeus fere arceatur, usurpetur idem tantum non semper in tertio, cumque quartus pes, qui ionicus catalecticus, spondeo constare debeat vel trochaeo, qui italicos adhibuere sotadeos, non modo arsin ionici pedis ubique solverunt, sed et contracta thesi molossum admisere vel pyrrichio substituerunt iambum, denique pro ditrochaeo vel spondeum cum trochaeo vel trochaeum cum spondeo receperunt. numquam tamen longa, quae pro brevi una esset posita, mutata pyrrichio, neque magis pro ionico maiore vel minor vel choriambus admissus est.

Itaque in sotadeis italicis admissae ionici pedis praeter descriptas l. II figurae tales: 1) ⏑́⏑ ⏑́⏑ ⏑⏑, 2) —́ —́ —, 3) —́ —́ ⏑ —, 4) ⏑́⏑ ⏑ —́ ⏑, 5) —́ ⏑ ⏑́⏑ ⏑, 6) —́ — —́ ⏑, 7) —́ ⏑ —́ —, 8) ⏑́⏑ — —́ ⏑, 9) —́ ⏑ ⏑́⏑ —, 10) ⏑́⏑ ⏑ ⏑́⏑ —, 11) —́ — ⏑́⏑ ⏑, 12) ⏑́⏑ ⏑ —́ —, 13) ⏑́⏑ — ⏑́⏑ ⏑.

Praeterea ultimi spondei sive trochaei resolvi licuit syllabam priorem, ut apud Accium [didascal. II, 2]:

— — ⏑ sed Euripidi', qui choros te*meri*us.

Et omnes quidem figuras, quas permissas dixi legitime, in reliquiis scriptorum Ennii, Accii, Varronis propter paucitatem versuum non iam inveniuntur. habes sextam cum secunda apud Varronem [Sescul. 21]:

*qui se in gan*eum *ac censum* coniecit amicae;

item tertiam cum septima [est modus matulae 3]:

quis in omni
*vita heluo πίνων δέπας olfacit te*metum?

ubi *πίνων δέπας* dictum, ut apud Homerum *πίνειν κρητῆρας*. — quarta cum secundast in Sota Ennii [2]:

*alius in mari vult ma*gno tenere tonsam;

duodecima cum sexta et septima apud Accium [didascal. II, 1]:

*aliter ac sit rellatum redhostiant re*sponsum;

denique undecima cum septima et duodecima apud eundem [IX, 1]:

nam quam varia sint genera po*ematorum*, Baebi,
quamque longe distincta alia *ab aliis, sis,* nosce.

Omnino Accii sotadei aliquanto duriores sunt quam Varronis.

Iam de synizesi agendum et elisione. ubi etiam in metris italicis media quaedam optinet ratio inter scaenicorum usum et dactylicorum. et omnium quidem ut in ceteris, ita in hac parte cura et diligentia princeps Phaedrus.

Qui in synizesi nihil habet, quod ab optimorum auctorum usu sit alienum. non indigna mentione dihaeresis, qua illa *adsuevi, adsuetam, insueta* usurpantur tetrasyllaba [IV, 8, 7; III prol. 14; I, 11, 5].

Contra a prioribus admissa quaedam, quae dactylicorum in libris vel numquam inveniantur vel raro.

Sic Ennius [sat. III, 9] *meum* posuit monosyllabum. porro apud Lucilium coacta haec [XXVI, 67; 75; XXVII, 18; XXVIII, 5; XXIX, 13; 16; 44; 45; 60]: *tuorum; tuam; mei; eodem; cuius; tametsi; deum; meo; eodem.* ita Licinus:

eorum ille opera ne domum quidem habuit conducticiam;

et Volcacius:

eum meo iudicio errorem dissolvam tibi;
tuae quae vocantur fabulae, cuiaene sunt?

nam sic recte docti (in libris est *hae quae*). denique apud Varronem inveniuntur talia [*εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα* 3; Sard. ven. 1] *cuius; mei.* fuit et, cum eidem tribuerem trisyllabum *posteaquam;* de quo tamen nunc dubitare me commentario in Non. 397, 44 declaravi. verba sunt ex Lege

Maenia et quidem haec: *signa tum* (ita Lipsius; *signati* cdd.) *sacra esse desierunt, posteaquam homines sunt facti.* ibi nos: *sunt sacri;* at Fruterius: *sunt facti sacri.* quo recepto si *posteaquam* trisyllabum esse posse statueris, oritur trochaicum tale:

signa túm sacra
ésse desiérunt, posteaquam hómines sunt factí sacri.

sed de hoc ipso est cur ambigatur; neque ausim Varroni addere quod Pacuvio tribui [Non. 192, 33] *postequam.* — praeterea praesens positum post illud *posteaquam* nihil habet cur incuses.

In elisione Phaedrus nihil ferme probat, quod a dactylicorum usu sit alienum. nam quod legitur apud eum [I, 27, 2]:

haec res avaris esse conveniens potest
et qui humiles nati dici locupletes student,

ubi *qui* plurativo numero positum cum vitio eliditur, hos versus contra Bentleii suspicionem qui defenderet nondum extitit. in Perottinis fabulis quod fertur [8, 21]:

virum ut in re atroci Magnus stomachans imperat,

in illo *atroci* prima positionis iure productast. — non elidit cretica; nam vix hoc contrarium videbitur [II, 8, 18]:

sed ille, qui oculos centum habet, si venerit.

iambica sequente vocali acuta non magis ponuntur ab eodem. legitur sane [III, 7, 15; V, 9, 4] in principio metri: *veni ergo mecum; tace, inquit;* sed imperativi hi usitatissimi, ut dictum l. IV, paene aequant pyrrichium. non autem huc pertinere, quod fertur apud Perottum [21, 10] *ave usque ingessit,* iam l. V. demonstratumst. — at pyrrichiaca in *m* exeuntia in brevi eliduntur bis, si recte habent, de quo dubites, haec [IV, 5, 34; fab. Per. 8, 21]:

domum et ornamenta cum venustis hortulis;
virum ut in re atroci Magnus stomachans imperat;

ubi valde probabilest delenda illa *et; ut.*

Denique adscribenda duxi, quae de relicuis figurae huius modulis dicta sunt editionis maioris pg. XIII:

Quas in thesi prima factas toleraveram a. 1868 elisiones, iam omnes damnavit animus. item elisio aliena a pede

ultimo. alioqui maiore elidendi licentia Phaedrus utitur circa initia versuum thesinque vel arsin quintam, maiore cautione circa caesuras.

At non eadem in copulandis vocalibus usi suptilitate antiquiores.

Ac primum quidem a Varrone illud *quae* elisum in brevi [Eumen. 39]:

quae casta vestis? aetas *quae* adulescentium?

item a Licinio *qui* [Sueton. ed. Reiff. 28]:

tres per id tempus *qui* agitabant nobiles facillume.

nec Lucilius est veritus *re* iungere cum brevi [XXVIII, 37]:

in *re* agenda ipsa ridicula iactat atque alia adserit.

quid quod idem iambicam vocem posuit sequente brevi [XXIX, 36]:

coicito te intro ac *bono* animo es.

eo minus id recusandum in cretica [XXVI, 75]:

tuam probatam mi et spectatam *maxume* adulescentiam.

Igitur nec hoc admirandum, quod iambica eliduntur in acuta.

Ita Ennius [I, 4]:

malo hercle magno suo convivat sine modo.

Lucilius [XXIX, 25; 3]:

malo hercle vostro confectores cardinum;
hoc tum ille habebat et *fere* omnem Apuliam.

Volcacius [12]:

nono *loco* esse facile facio Luscium.

Varro in numero bacchiaco [Hercules tuam fidem 2]: *meae* aures; idem in sotadico [Aborig. 1]:

mugit bovis, ovi' balat, *equi* hinniunt, gallina.

Item in principio metri elisio fit, ut apud Ennium [III, 10]:

nam is non ben volt tibi, qui me falso criminat;

apud Lucilium [XXVII, 9; XXVIII, 24]:

re in secunda tollere animos, in mala demittere;
ne hoc faciat atque ex hac is aerumna exeat;

apud Varronem [Eumen. 15; trihodit. 3; cf. et Prometh. lib. frgm. II, ap. Non. 199, 27]:

tam infandum, quod non aliquis dicat philosophus;
nam ut ecus, qui ad vehendumst natus, tamen hic traditur magistro.

at nescio num memorandus sit locus ille [sciamach. 1]:

te, Anna ét Peranna, Pánda Cela, té, Pales,
Neriénes et Minérva, Fortuna ác Ceres.

nam valde probabilest quod Buechelerus reposuit *Nerienis.* quod si recte habet, trimetri sunt graecanici. — et Volcacius:

si erit, quod quarto detur, dabitur Licinio.

et Porcius:

dum Africani vocem divinam inhiat avidis auribus,
dum ad Philum se cenitare et Laelium pulchrum putat,
dum in Albanum crebro rapier . . . .
dum se ab his amari credit ob florem aetatis suae.

Contra ante ultimam metri syllabam nulla fit usquequaque elisio. conferenda, quae notata ad Non. 112, 10 sq. — nec nisi rarissime ante syllabam paenultimam eadem admittitur figura.

Elisionis neglectae servata longa non habeo certum exemplum. contra hiatus, quem vocant, Bentleianus aliquoties invenitur. is constat correpto in priore parte arsis solvendae monosyllabo longo vel in *m* exeunte. itaque Lucilius [XXVIII, 10; 1; XXVI, 67]:

Lucili, *si* in amore inritaris tuo;
privabit; igni *cum* et aqua interdixerit;
. . . . nonne multitudinem
tuorum, *quam* in album indidisti dextra, confeci tibi?

ita Porcius, si recte habet hemistichium supra positum:

dum in Albanum crebro rapier;

ubi talia fere excidisse: *gaudet se festo die* sive *comitem viae* demonstrant praecedentia.

Apud Varronem non inveni exemplum simile. sed casu id evenisse facile tibi persuadeas.

Iam breviatae in versu sequentibus binis consonis praeter mutam cum liquida in medio verbo vocalis non habetur certum exemplum. nam quod apud Lucilium tulimus haec [XXVII, 28; 14]:

ille contra omnia inter plures sensim et pedetemtim it (*om. cdd.*) foras;
facit idem quod *illi,* qui inscriptum e portu exportant clanculum,

subtrahendam utrobique putavimus alteram *l*, sicut non timuimus apud eundem reponere *li, lum, lis* pro *illi, illum, illis*, ut eodem tempore Afranius dixit: *immo li mitem faxo faciant fustibus.* nam ut in *ipse* et *iste*, etiam in *ille* omissam aliquando *i* et Romanicarum linguarum probatur exemplo. — quamquam altero loco potuit lenissima mutatione reponi *i* vel *hi*, priore *eit* (vel *it*) *contra — pedetemtim foras.* contra non censui tolerandum [XXIX, 7]:

quid? quas partiret *ipse* pro doctrina boni.;

Iam vocalem brevem sequentibus muta cum liquida praeter *gn* non produci apud scaenicos vetustissimos rectissime demonstravit Ritschelius. itaque non possunt ferri haec apud Naevium et Accium:

éa licet seníle tractet *rétritum* rutábulum;
. . qui hinc superéscit Spartam ei átque Amyclas trádo ego.

reponendum illud *detritum;* porro *huic qum* (*quin hinc* ed. Festi pg. 302) *superescit, Spártam atque Amyclas trádo ego.* nam *Amyclas* brevi esse paenultima iure adfirmarunt Hermannus et Ritschelius [opusc. II, 502 sq.]. praeterea in versu Livii:

quem ego nefrendem alui, lacteam immulgens opem

sic scandendum: *quem egó nefrendem,* non *quem ego néfrendem;* nam *nefrendem,* ut *nefas, nefarium,* habere primam correptam apparet. denique illud, quod est *iam domitionem reges Atridae parant,* non a tragico quodam fictum, sed ab auctore Rhetoricon ad Herennium datorum supra memoravi. nam *Atrida* primam corripit. contra tragicorum fragmentis addendus fuit versus ille, in quo etiam dictum de Atrida:

Danai, qui parent Atridae, quam primum arma sumite.

ubi pro *Atridae* codices [gramm. lat. IV, 394; V, 291] *Atrides, Atridi, Atridis.* et *Atridis* minus bene fertur vulgo. item tragicum hoc [l. m.]:

itis, paratis arma quam primum viri?

et porro [gramm. lat. V, 296; 387]:

tetulit senilis Poeas ad caelum manus.

denique nullast causa cur anapaestica, quae Diomedes profert [gr. lat. I, 512]:

agite, o pelagi cursores,
cupidam (*f.* cupidum) in patriam portate,

huic potius quam poetae tragico tribuamus.

At e comoediis aperte venere haec [Charis. gr. lat. I, 214; Pomp. V, 307, ubi cf. notam Keilii; Quintil. VI, 3, 90]:

villast patrui, hic ager est, ubi stas; pone versum illac marest;
vinum precemur. nam hic deus praesens adest;
. . . quid? tu me hippocentaurum putas?

Titinio vero addendum, quod Porphyrio notavit ad Horatii illud [C. II, 6, 10]: *dulce pellitis ovibus Galaesi:*

Tarentinorum hortorum odores qui geris.

porro Afranii verba, a Pompeio grammatico [V, 311] aliisque servata, ita sunt dispescenda metro:

numquis me quaésiit? —
bóna fortuna.

Denique incertum, ex comoediis an ex tragoediis petita sint ea, quae leguntur apud Charisium [I, 195; Keil. addend. 609]:

. . non tu scis, síquas aedes ígnis cepit ácriter,
haud fáciles sunt defénsu quine cónburantur próximae.
. . . . . aégre faciam fíliis.

Sed ut redeam in viam, dignissimumst memoria illud, italicis dactylicorum versibus communem fieri vocalem brevem sequente muta cum liquida; ut est apud Lucilium [XXVIII, 27]:

at cui? quem *febris* una atque una *ἀπεψία*.

nec aliter, puto, Varro [andabat. 8]:

ideoque alterum appellamus a calendo caldorem,
alterum a fervore *febrim*.

idem alibi [leg. Maenia 2]:

siqui *patriam*
maiorem parentem extinguit, in eost culpa, quod facit.

et porro [Non. 226, 14]:

dotis dato insulam Chrysam, *agrum* Caecubum, seplasia
Capuae, macellum Romuli.

contra non iam existimo idem admissum a Cicerone in versibus tragicis, quos ex Sophocle transtulit [tuscul. II, 9, 21; 22]:

perge, aude, nate. illacrima *patris* pestibus.
tricipitem eduxit *hydra* generatum canem.

nam priore loco potest scribi *patriis; hydra* autem num brevi sit priore dubium. et produxit item Varro [Meleagr. 7]:

adde *hýdram* Lernaeam ét draconem Hespéridum, quotquot béstiae fuérunt inmanés.

nam haec metro contineri, quamquam libris traditum illud *quot,* et asyndetae orationis vigore probatur et ea re, quod *Lernaea hydra* dicta, non *Lernae,* cum sequatur *draco Hesperidum.*

At Phaedrum eandem quam dactylicos normam tenuisse iam perspectum a Langenio [l. m. 207]. idem tamen in fine verbi positionis legem neglexit in his [III, 3, 14; append. 9, 12]:

Aesopus *ibi* stans, naris emunctae senex.
licet horreum patescat, *ego* scalpam tamen.

apud Lucilium similia non inveniuntur. sed quae in hexametros dactylicos admisit, cur ab iambis trochaeisque arceret, nulla fuit causa. apud Varronem quod traditumst in anapaestico metro [Eumen. 46]:

tertia Poenarum *Insania* (infamia, infama *cdd.*) stans,

post illud *Insania* quaedam hausta videri in editione Nonii significavimus. nam et displicet monosyllabum praecedente plusquam monosyllabo positum in fine versus.

At qui in numeris italicis positionis iure produxerit finalem brevem sequentibus consonis duabus non invenio.

Denique productiones finalium sive arsis seu caesurae vi vel sequente nomine proprio sive Graeco effectae nullae. nam in Protreptico Ennii illud *videt* cum aequat iambum, notumst huius tempore finales in *at, et, it* exeuntes, si secunda produceretur persona, plerumque longa usurpatas vocali. quod in Flaxtabulis Varronis legitur [3]: *atque si addam, quantei misericordia mea heredibus meis stet, quot miseros sublevaverim,* possunt quidem ex hisce octonarii elici

iambici, sed et aliter atque in editione Nonii propositum, velut ita:

> atque si addam, quantei misericordia
> heredibus stet mea meis, quot miseros sublevaverim.

Finem feceramus olim libelli insectando errores quosdam Oehleri Vahlenique et propria proferendo commenta. sed illorum libri cum pridem sint antiquati, nostra autem recepta fere in editiones Lucilii ac Nonii, iam chartae parci melius est.

X.

OPVSCVLVM II.

DE POESI RYTHMICA

De poesi rythmica Romanorum pariter et Graecorum pluribus expositum a nobis in libro de saturnio versu [pg. 28—36]. praeterea memoranda, quae de origine eiusdem docte, ut solet, et ingeniose disseruit Guilelmus Meierus in libris, qui inscribuntur '*de rythmis Latinis*' et '*de origine rythmorum Latinorum et Graecorum*', Monachii a. 1882 et 85 editis. cum hoc mihi in plerisque rebus cum plane conveniat, maxime in eo quod dicit rythmica veterum carmina minime originem traxisse ab observantia accentus grammatici, hoc potissimum dissentio, quod putat Semitarum imitatione ut homoeoteleuti in fine versuum constantis, ita modulationis rythmicae initia provenisse [de or. rythm. pg. 113 sqq.]. ego vero non video, cur haec non possit deduci ex linguae Latinae Graecaeque per decursum temporis facta depravatione et ignorantia contemptuque quantitatum, illa ex homoeoteleuti usu inde ab Homero apud veteres pervulgatissimo. sed scilicet non curantur a me carmina posteriora fine cultus Romani, h. e. VI vel VII p. Chr. n. saeculis. quae inde a Caroli Magni tempore provenere non tango.

Itaque hoc loco satis visum, quae de re eadem ante annos plus triginta disputavimus, repetere paucis immutatis.

Antiquissimi Romanorum cum haud dubie essent ingenio longe minus musico quam Graeci — unde et saturnio metro

diu fuere contenti et Plauti Terentiique cum patientia tulere versus —, mox neglectos a doctis facile degenerare vulgi rythmos verum erat. tum subacto orbe terrarum et eversa Italia cum plerique provincialium assumerent linguam Latinam non quasi maternam, sed ut novercalem, celeriter res eo pervenit, ut quantitates verborum vulgo neglectas scholis perdisci oporteret. quae cum non paterent nisi beatis, tum vero omissis priscis rationibus versuum exortast illa, quae notatur a Latinis grammaticis, inter rythmum et metrum differentia. cuius primum vestigium in fragmento Laberii reperitur hoc '*versorum, non numerorum numero studuimus*'. quamquam minime credibilest popularia aequalium huius carmina ad vulgarem pronuntiationem fuisse composita, sed potius significari verbis istis metrum saturnium, quod quantumvis rude tamen prorsus ad leges quantitatum fuit accommodatum. plura de Laberii versu dicta libro supra memorato [pg. 5]. verum ubi et hic numerus venit in oblivionem et pariter rerum prosodiacarum cessavit peritia, tunc ea norma evenit modulorum, quae sermone rustico Latinorum coalita mox ad Romanicas fluxit linguas.

Et primum carmen rythmis compositum extat Commodiani Afri, quod circa annum p. Chr. n. CCXXX prodiit [I, 6, 2]. nisi forte quis adsentietur Schuchio [de poes. Lat. rythm. et rim. p. 13] esse rythmicos et exacta metri ratione vacuos versus Hadriani hos '*animula vagula blandula, hospes comesque corporis, quae nunc abibis in loca pallidula rigida nudula nec, ut soles, dabis iocos*'. iam cum Commodianus civicae turbae, ut ipse ait, hoc est indoctorum hominum in usum librum suum ediderit [I, 1, 7], non hercule numeris ab ipso inventis, sed pridem notis ac vulgo tritis eum usum existimabimus. sed ne tamen nimis antiquo tempori originem adscribamus poesis rythmicae, ea re prohibemur, quod caret omni probabilitate homines provinciales, quos utique credibilest primos novae artis extitisse auctores, contorsisse peregrinum sermonem ad leges alienissimas, antequam optineret vulgato usu lingua Latina, id quod evenit circa annum urbis DCCCL. nam cum ultimorum ordine hominum usu versus rythmicos oriri verum esset — quippe nobiles et liberaliter eruditi omnibus pariter temporibus fastidierunt

eos – , quis iam credet illos popularia carmina nuper illata potius et paene ignota quam vulgo optinente et a parentibus accepta composuisse oratione? quodsiquis sibi persuaserit apud ipsos Italos provenisse primum antiquae artis contemptum, eo certius firmabitur opinio supra proposita. namque cum ad Galbae usque imperatoris tempus carmina popularia, quae feruntur apud Suetonium, plane quantitatum et elisionum servent leges, non potuit invalescere modulus rythmicus ante finitum saeculum a. u. c. nonum. ceterum etsi plurimas propter causas facilius Latinum sermonem quam Graecum corrumpi potuisse haut nego, tamen non omnino certum, quod dicit Henrichsenus [de vers. polit. p. 25 ed. German.] non ante medii quod dicitur aevi tempora extitisse apud Graecos qui accentum grammaticum quadamtenus in pangendis respicerent carminibus. etenim cum iam Georgius Pisides, per priorem saeculi septimi partem qui fuit, interdum eam sequatur rationem, ut vocalis quaelibet sequente una consona sit communis, praeterquam quae pro ambiguitate mensurae diversis distinguuntur litteris, apparet hercule illius temporis Graeculos tam fuisse ignaros quantitatum tamque obnoxios praeceptis scholicis, pessimis quidem pariter atque ineptissimis, ut propius absint ab arte metrica veterum Latinorum non Venantius modo et Eugenius, Romani homines, sed barbari Beda et Rhabanus. quodsi doctorum hominum tantillam videmus in certissimis antiquorum placitis reverentiam, qualem tandem vulgi fuisse existimabimus? at extincta peritia legum prosodiacarum et metricam cito perire oportuit fuit observantiam. quare non aberrabimus a vero statuentes ultimis Romani imperii temporibus invaluisse apud Graecos poesim rythmicam. apparet autem multum increbescente fide christiana promotum esse recentis genus artis, primum quod gratius fuit sacerdotibus et episcopis novos numeros, quam qui Vergilii et Ovidii et paganorum auctorum aemulatione temperarentur. optinere in vulgi carminibus, deinde propter eum formae contemptum, qui ab orientalibus gentibus per quartum quintumque saeculum cum fluxisset ad occidentales, non pluris quam templa et statuas deorum habuere plerique ipsum metricae antiquae, ut ita dicam, aedificium.

Iam de ratione carminis rythmici haec habet Beda [2380] '*metrum est ratio cum modulatione, rythmus modulatio sine ratione. plerumque tamen casu quodam invenies etiam rationem in rythmo, non artificii moderatione servatam, sed sono et ipsa modulatione ducente, quam vulgares poetae necesse est rustice, docti faciant docte*'. quae, satis commoda alioquin, hoc tantum nomine sunt falsa, quod dicuntur casu admitti, quae necessitate provenere. namque ubi primum coortast modulatio rythmica, pridem abolito versu saturnio non potuit fieri, quin consulto illa aptaretur vulgatissimo cuique metro. itaque eius norma constantes inveniuntur primum hexametri dactylici, praeterea iambici dimetri ac trimetri, denique tetrametri trochaici, qui omni tempore valde placuere Romanis, et ex dimidiatis eis orti dimetri. sed et sapphica, si dis placet, et choriambica provenere carmina. continentur autem isdem systematum finibus iambi et trochaei, quos apud doctos christianorum poetas optinuisse libro I exposui. itaque dimetrorum quater recurrentium speciem habes in carmine Auspicii ad Arbogastem dato [Mign. LXI, 1005—1008] et in illo pulcherrimo '*apparebit repentino dies magna domini*', quibus plurima addent sine mora, Danielis aut ceterorum qui evolverint collectanea. dignum autem memoria eadem, quae omnino optinet in ultimorum temporum carminibus Latinis, caveri cura, ut in fine strophae sensus aliquo modo terminetur.

Ceterum cum tam curiose excultus esset sermo Latinus ad numeros non modo iambicos, sed et dactylicos, non mirum erit, quod aliquando haeres dubius, nimisne mala carmina metrica an satis bona habeas rythmica. de qualibus nos iudicium in medium relinquemus. at enim vix existimamus isdem auctoribus pariter et rythmica carmina composita et metrica.

Sed iam leges rythmorum usu frequentissimorum certas perstringemus quam brevissime. de quibus qui plura voluerit doceri, legat libri de saturnio metro pg. 29 et sequentes.

Itaque primum nos advertent hexametri Commodiani et siqui similes inscriptionibus latent. qui valde sunt difficiles ad legendum nec nisi auritis aperti hominibus, primum, ut minora quaedam omittam impedimenta, quod sublata quanti-

tatum reverentia haudquaquam tamen optinet grammatici accentus observantia, deinde quia omnino non licet certis legum circumscribi finibus, quae contemptis oriuntur regulis. — sed plene versus istos enarrare cum a gravitate operis habeamus alienum, haec potissimum notabimus. igitur primum memorabo accentus rationem in priore maxime, quod ad quintum pertinet semipedem, hemistichio neglegi, cum in secundo, ut ipsa fert natura, satis diligenter servetur. nam et illud ferme cavetur, ne secundus pes aut tertius dactylico seu spondiaco constet verbo. tum sede quinta perpetuo optinet dactylus. denique finitur versus ille, pariter ut sapphicus hendecasyllabus, voce plerumque quidem productam, sed utique accentu insignitam habente paenultimam. optinet autem ferme incisio semiquinaria virilis. ceterum ubicunque accentus neglegitur ratio, non tamen lex succedit quantitatum, sed mira potius inconcinnitas, quae iusta plerumque norma caret.

Longe apertior est modulus in iambicorum trochaicorumque rythmorum observantia. nam in his extra initium certe iambicorum non solet violentius mutari pronuntiatio vulgaris. quod tamen minime cura accentus grammatici effectum, sed ipsa ratione metrorum, de quibus agitur, sermonisque Latini natura loco supra memorato demonstratumst.

Igitur satis diligenter cavetur, ne spondiaca aut trochaica verba ictum accipiant in secunda excepto principio numeri, et magis etiam, ne dactylum aut creticum sive tribrachum explentia in media syllaba habeant accentum, id quod ne in heroico quidem metro videtur admitti a Commodiano. ceterum in numeris iambo exeuntibus intellegitur paenultimam syllabam brevem esse oportere. neque vero locus est in carminibus his aut solvendae arsi aut admittendo anapaesto, ut abundantes interdum syllabas non magis quam deficientes sapientia quadam auctorum metrica, sed potius imperitia stultitiaque evenisse sit credibile. — porro caesurae in trimetris aut tetrametris rythmicis eaedem, quae in metricis, servantur, h. e. penthemimeris et quae fit post quartum trochaeum, nec minus in sapphico numero aut asclepiadeo ante syllabam a fine sextam oratio inciditur.

Iam elisionis ac synizesis exiguum usum fuisse in poesi rythmica libro IV declaravi.

Ceterum quamquam carmina ista neque metri dignitatem neque sermonis venustatem habent ullam, non tamen iniucundum nec inutile eorum eveniet studium, cum quaedam ad sonum et pronuntiationem pertinentia vulgaris potissimum moduli versibus declarentur, qualia nos subinde attulimus. sed hunc plene fructum percipere eo demum tempore licebit, quo hymnos ecclesiasticos et quidquid rythmicorum extat carminum habebimus edita artis severitate iudiciique libertate illa, qua maxime opus est in re tam intricata. quod tamen negotium ut utile satis, ita longe difficillimumst. nam et immensa in hac parte litterarum saevitum interpolatorum libidine.

XI.

OPVSCVLVM III.

DE LITTERIS AC VOCIBVS VERSVVM.

Nequis ullam artis Latinae partem silentio a nobis omitti increpet, placet promi quaedam de litteris ac vocibus versuum, ut tamen quaestionem satis suptilem delibemus potius quam exhauriamus.

Itaque primum indignumst nobisque poetisque dactylicis putare illos inseruisse libris verba solis constantia consonis. unde vel hanc ob causam displicebit, quod Martiali Schneidevinus tribuit haec [II, 27, 3; V, 25, 2] '*effecte graviter st nequiter euge beate*'; '*Leitus ecce venit. st fuge curre late*'.

Praeterea optimum quemque poetarum providere verumst, ne eadem seu vocalis sive consona vel in versu eodem vel in verbo nimis saepe occurrat. de qua re iam recte iudicavit Muretus Variarum lectionum lib. I [cap. 15]. ceterum augetur vitium, cum aut vastae nimis ac spatiosae aut nimis exiles sunt litterae, in vocalibus etiam ea re, si sint ut sono ita quantitate pari. minus tamen haec curant ei, qui allitterationis tenentur studio. de quibus postea videbimus. quantum ad ceteros, apertumst, sicut apud nos qui paullulum callent auribus reformidant tale, qualest notissimum illud Gellerti '*lebe, wie du, wenn du stirbst, wuenschen wirst gelebt zu haben*', magis etiam Latinis hominibus, diligentioribus multo et suptilioribus hac in parte, improbari oportere multiplicatis litteris paribus aut similibus vasta et sonora. raro igitur invenies qualia sunt Maronis haec [aen. I, 7] '*Albanique patres atque altae moenia Romae*' sive Statii

mavis [achill. I, 1] '*magnanimum Aeaciden formidatamque Tonanti*', in quibus una vocalis *a* nimis optinet inter ceteras. nec eleganter Vergilio [aen. III, 386] et Ovidio [am. II, 15, 10] *Aeaeae* genetivus admittitur, nisi quod nominis proprii necessitate excusabitur. idem alibi saepe aurium iudicium finitionibus grammaticorum praerancidis, quas Valerius Probus dicit apud Gellium [XIII, 21, 1], anteposuerunt. veluti Vergilius, ne quater in continuis syllabis inesset *i* littera, maluit dicere *finem* genere feminino sic [aen. II, 554] '*haec finis Priami fatorum*'. at idem alibi diverse [aen. I, 241] '*quem das finem, rex magne, laborum*'. minus suave foret *quam*. — etenim haec Gellii testimonio [XIII, 21] firma cur ambigamus nulla prorsus est causa. ceterum soni, quam euphoniam vocant Graeci, studium in poetarum dictionibus aestimandis cum alii minus respexerunt tum, ut puto, Philippus Wagnerus libri de orthographia vergiliana locis eis [396; 401], ubi de accusativo tertiae in *is* exeunte disputat. ita vel a litteris habet, quo displiceat, quod Bentleius in Horatii melicis [I, 1, 6; III, 24, 44] scripsit per coniecturam '*evehere ad deos*' vel '*deserere arduae*'. nam quod alibi [I, 6, 12] dixit idem '*culpa deterere ingeni*', apparet non sine consilio quodam carmen malum, quod deprecatur, etiam soni deformitate depingi. nempe lusus tales in libris eius etsi rariores sunt aliquanto quam in Vergilii Ovidiique, tamen minime sunt infrequentes. ac saepius quidem inveniuntur in Saturis Epistulisque, sed ne a ceteris quidem absunt scriptis, velut [c. III, 13, 15]:

unde *loquaces*
lymphae desiliunt tuae;

item [ep. 16, 48]:

levis crepante *lympha desilit* pede.

monstroso autem prorsus invento usus Iacobus tribuit Manilio in fine metri cuiusdam [IV, 478] talia '*atque quater quae quina notatur*', cum nec ranarum ubi sonitum imitatur Ovidius saepius quam ter *qu* posuerit hoc versu [met. VI, 376] '*quamvis sint sub aqua, sub aqua maledicere temptant*'. sed Iacobo ignoscemus, quod facit quaxantem Manilium, quippe quem omnino ferae quam hominis reddiderit similiorem. quid quod ille sibi persuasit boves aliquando in urbe Roma

praefuisse dictaturae, quod Marquardus et Beckerus et siqui alii antiquitatibus student Romanis omisisse se dolebunt. neque enim aliter in eodem Manilii libro quamquam ne a ceteris quidem sollicitata tolerasset haec [148]:

Serranos Curiosque tulit fascesque per arva
tradidit, eque suo dictator venit aratro.

at quam diversus in eadem re narranda M. Tullius [or. pr. Rosc. Am. c. 18], cuius sunt haec '*ne tu, Eruci, accusator esses ridiculus, si illis temporibus natus esses, cum ab aratro arcessebantur, qui consules fierent*'. neque Claudianus dixit in medio aratro ambitos esse qui summam inirent potestatem, sed plurativo numero sic [17, 8; cf. et Ovid. fast. III, 781]:

docuit totiens ad rura profectus
lictor et in mediis consul quaesitus aratris.

nimirum ultimae audaciae fuit in Manilii verbis et ipsis *a* pro *e* reponere.

Deinceps magna cura servatur, ne nullo se excipiant intervallo syllabae aut voces simile vel idem sonantes. de qua re bene Servius ad Vergilii illud [aen. II, 27] *Dorica castra* '*mala est compositio ab ea syllaba incipere, qua superius finitus est sermo. nam plerumque et cacemphaton facit, ut hoc loco*' nec minus Quintilianus [IX, 4, 41; cf. Diomed. gr. l. I, 465 sq.]: '*videndum etiam, ne syllabae verbi prioris ultimae et primae sequentis idem sonent. quod nequis praecipi miretur, Ciceroni in epistulis excidit* '*res mihi invisae visae sunt, Brute*', *et in carmine* '*o fortunatam natam me consule Romam*'. haec autem quam displicuerint tersissimo cuique e poetis Latinis, inde apparet, quod Iuvenalis [10, 122 sqq.] ridiculum versum illum autumat, quem affert Quintilianus, et potuisse Ciceronem Antonii gladios contemnere, si sic omnia dixisset. sed quae admittuntur, intra numerum choriambicum plerumque subsistunt aut certe quantitate variant, qualia sunt [Prop. II, 1, 47; Verg. aen. XII, 442; IV, 238; Coripp. laud. Iust. IV, 222]: *laus in amore mori; telum inmane manu quatiens; parere parabat; arentis arenae* [cf. Lachm. ad Prop. I, 1, 12; Bentl. ad Hor. III, 4, 31]. quibus addendum Sereni illud [472] *libasse liquorem.* nam sic scribendum pro eo, quod vulgo fertur, *potasse* inde apparet, quod traditumst libro Turicensi *liquasse.* non autem neglegentiae tribuendi

incuriaeque, sed rationi et consilio notissimi versuum Vergilii Horatiique et Ovidii exitus: *exiguus mus; ilicibus sus; dissimilis sis; ridiculus mus; vulnificus sus.* quibus iungendum etiam magis insuavi sono insigne Horatii illud *pares res,* item Martialis '*Sabelle belle*' [XII, 39, 4], quod genus versuum Servio teste dicitur echoicum [centim. 1826]. nec vero huc pertinent repetitiones verborum oratorio affectu factae, in quibus soni aequalitas maiore quadam necessitate temperatur. quodsi in tot milibus versuum nonnumquam sine excusatione sonus et aurium leges invenientur spreta, haud facile quisquam ideo dubitabit de regulis supra propositis.

Iam de allitteratione (utemur enim vocabulo non quidem antiquo, sed olim recepto) et, quod proximumst, homoeoteleuto videamus.

Atque primum hoc monendum, quo ambigua vel falsa secludantur, utramque figuram et propriam fuisse Romanorum priscorum Graecorumque et eandem vetustissimam, sed hactenus differre usu a recentiorum populorum placitis, quod apud illos est rhetorica, apud hos poetica. quamquam allitterationis, si antiquissima Germanorum exceperis carmina et horum aemulatione facta quaedam nostro saeculo, velut Rueckerti, perexiguus fuit usus ut figurae poeticae.

Ac de allitteratione quidem Latina post alios plurimos dixit A. Naekius Musei Rhenani ea parte, quae prodiit a. MDCCCXXIX [pg. 324—418], solita quidem ille industria, sed non perinde accurato usus iudicio. item de eadem post editionem priorem libri huius praeter alios disseruerunt H. Iordanus [observ. ling. Lat. a. 1879 emissis] et E. Woelflinus [actis academ. Monacens. a. 1882], viri doctissimi.

Nobis quae digna memoria viderentur, haec fuere.

Igitur figura, de qua iam exponetur, constat concentu unius sive plurium litterarum collocatarum initio verborum vel confinium vel breviculo intervallo distantium aut certe radicum eorum — nam aliter mediis in vocibus admissa plerumque fallet aures —. cui contrariumst homoeoteleuton.

His orationis ornamentis cum sonorum velut vinculis iugari possint sensu vel paria vel contraria, quod plurimum

usi sunt rudes populi, non magis mirabimur quam quod tempore progrediente sollertiusque exculto iudicio, si non utroque, certe priore, quo minus feriuntur aures, plerumque abstinuerunt.

Nimirum homoeoteleuti longe acrior vis est ideo, quod animus ad finem partis orationis semper properat, quippe quo ratio condicioque in enuntiato obtinens declaretur, simul quod refert elegantiae in sermone culto finalis pronuntiationem neglegentiorem figurae sive rhetoricae sive poeticae impediri gravitate.

Igitur apud Graecos, quorum antiquissimus poeta iam plenissimam ostendit rei metricae peritiam, exiguum valde praeter comicorum libros allitterationis apparet studium (namque hi sane ad movendum ridiculum haud raro ea usi), et quidem tale ferme, quale apud Romanos inde a Catulli tempore. at aliter longe res habet apud horum antiquissimos.

Et in arvalium quidem fratrum carmine pariter atque Scipionum elogiis aliisque inscriptionibus vetustissimis ut certa, sic haud ita multa inveniuntur allitterationis exempla, quod nescio an sit a corruptione gravissima antiquissimi monumenti et ceterorum paucitate repetendum. certe propriam Latii nec extrinsecus adscitam hanc figuram dubitari non potest.

Quod cum ita sit, ea usque ad finem s. a. u. c. VII in libris poetarum scaenicorum pariter et ceterorum non minus quam pedestrium scriptorum simili invenitur frequentia. quam quidem casu et non consilio auctorum provenisse vix erit tam vecors qui statuat. veluti in primis quadraginta carminis Lucretiani versibus extant haec certa et clara allitterationis exempla [I, 2] '*supter labentia signa,* [14] *inde ferae pecudes persultant pabula laeta,* [17] *per maria ac montes,* [24] *te sociam studeo scribendis versibus esse,* [26] *tempore in omni omnibus ornatum voluisti excellere rebus,* [28] *da dictis, diva, leporem,* [34] *devictus vulnere amoris,* [36] *pascit amore avidos — visus,* [37] *resupini spiritus,* [40] *petens placidam Romanis, incluta, pacem*'. porro mihi locum considera talem [I, 722]:

hic est vasta Charybdis, et hic Aetnaea *minantur*
murmura flammarum rursum se colligere iras,
faucibus eruptos iterum *vis* ut *vomat* ignis
ad caelumque *ferat flammai fulgura* rursum.
quae cum *magna modis multis miranda* videtur
gentibus humanis regio visendaque fertur
rebus opima bonis, *multa munita virum vi,*
nil tamen *hoc habuisse* viro praeclarius in se
nec sanctum magis ac mirum carumque videtur.

quibus similia non apud quemquam insequentium inveneris. et aliquando immodico amore talium ludibriorum ad ineptias sunt delapsi veteres, cumulata et praeter initia verborum littera eadem, velut Ennius noto versu:

o Tite tute Tati tibi tanta turanne tulisti:

idem alibi:

quamquam (*om. cdd.*) quicquam quisquam quoiquam, sibi
(*om. cdd.*) quod conveniat, neget?

porro auctor incertus [Martian. V, 514]:

sol et luna luce lucent alba leni lactea.

minus ineleganter Naevius:

libera lingua loquamur ludis Liberalibus.

sane talia ne apud Graecos quidem inaudita, ut Sophocles:

τυφλὸς τά τ' ὦτα τόν τε νοῦν τά τ' ὄμματα.

Iam ab illo amore allitterationis apte repetentur geminata plerumque apud antiquissimos Latinorum nomina sive verba synonyma, sicut alia locorum propinquitate iugata, cum sensu sint diversa. quid quod commendantur aliquando et confirmantur coniecturae figurae huius decore addito? — at apud Catullum continuatae exempla allitterationis non reperiuntur nisi in carminibus, quae sunt ad Thallum et de Atti. nam et aliter in opere galliambico, divino illo et laudibus omnibus maiore, imitatus est proprietatem antiquissimorum. sed praeterea nec hic nec ceteri paucissimis exceptis usi allitteratione nisi permodice, scilicet aut in formulis dictionum aut in cumulandis verbis sensus comparis sive consimilis aut per paronomasian. ita de primo genere vides haec '*albus an ater* [Cat. 93, 2], *more modoque* [Hor. c. IV, 2, 28], *firmabant foedera* [Verg. aen. XII, 212], *fasque fidemque* [Sil. XVII, 69], *fidem foedusque* [Sen. Thy. 481], *patribus*

populoque [Verg. aen. VIII, 679], *patriam populumque* [Hor. c. III, 6, 20], *pater atque princeps* [Hor. c. I, 2, 50], *patrem patriae* [Iuv. 8, 244], *patriae princepsque paterque* [Man. I, 7], *patriae parens* [Sen. Oct. 490], *principi et patriae'* [Sen. Oct 495], porro de secundo '*leniter et leviter* [Cat. 84, 8], *bene ac beate* [Cat. 23, 15], *contrectat et conponit* [Sen. Thy. 694], *decus et dolor* [Mart. XI, 13, 5], *desertus et destructus* [Sen. Oct. 631], *demersus ac defossus* [Sen. Herc. fur. 317], *ede et enarra* [Sen. Troad. 1067], *ignave iners inermis* [Sen. Herc. Oet. 1721], *inmotus inconcussus* [Sen. Herc. Oet. 1741], *maius meliusve* [Hor. c. IV, 2, 37], *melius maiusque* [Sil. XVII, 7], *mirantur ac miserantur* [Sen. Troad. 1148], *mundior et melior* [Cat. 97, 4], *penitus patuere* [Verg. aen. VIII, 242], *penitus premens* [Sen. Thyest. 722], *piget ac pudet* [Prudent. praef. 11], *piget pudescit paenitet* [Prudent. cathem. 2, 26], *rettulit retro* [Phaedr. II, 1, 6], *sanum sapis'* [Prud. peri steph. 10, 247]. tertium vero habet ita '*crepitantia concutit arma* [Ov. met. I, 143], *fortuna fortes metuit* [Sen. Med. 159], *longa procul longis via dividit invia terris* [Verg. aen. III, 383], *quos petit, impedit ictus* [Ov. met. VIII, 390], *pedibusque repagula pulsant* [Ov. metam. II, 155], *haud aliter puppesque tuae pubesque tuorum* [aen. I, 399], *ipsa olera olla legit* [Cat. 94, 2], *saxosusque sonans Hypanis* [Verg. georg. IV, 370], *sale saxa sonabant* [aen. V, 866], *vel te sulco Serrane serentem* [aen. VI, 844], *fit via vi* [aen. II, 494], *aperit si nulla viam vis* [aen. X, 864], *vi victus* [Iuv. h. e. IV, 619], *invia virtuti nullast via'* [Ov. met. XIV, 113]. nam Venantii talia ludibria omitto [de vita Mart. I, 347; 506; 508; Schuch. de poes. Lat. ryth. et rim. p. 24]:

dum rapit, eripitur rapienda rapina rapaci.
foedere fida fides formosat foeda fidelis.
illustris lustrante viro loca, lustra, ligustra.

fatendum tamen Vergilium imitatione Ennii habere exempla, quae nec casu aut neglegentia evenerint — nam ita orta nihil moror — nec cadant sub condiciones modo propositas. apud Horatium frequentior eiusdem figurae usus in Saturis et Epistulis, quae quotidianae propiores sunt orationi, quam in lyricis vel iambicis. itaque C. I, 37 [28] nescio an sit reponendum quod in Menteliano extat libro:

ut atrum
pectore conbiberet venenum,

non, quod vulgo fertur, *corpore.* nam et simili errore in libris Manilii omnibus extat [I, 720] '*admittantque novum laxato pectore lumen*' pro eo quod iam restituemus *corpore* [cf. 807]. praeterea in eodem versu ponendum esse '*admittat*' non quidem certumst, sed probabile. ceterum quod haud raro studuit Maro ludibrio allitterationis exaggerare sonos naturales, id quanto opere displicuerit posteriorum temporum existimatoribus plerisque docemur Quintiliani loco hoc [I, 5, 72] '*sed minime nobis concessast ὀνοματοποιία. quis enim ferat, siquid simile illis merito laudatis λίγξε βιός et σίζ' ὀφθαλμός* [il. IV, 125; od. IX, 394] *fingere audeamus? iam ne* '*balare*' *quidem aut* '*hinnire*' *fortiter diceremus, nisi iudicio vetustatis niteremur*'. praeterea quam aliena fuerit a posteriorum temporum hominibus allitteratio docemur inde, quod Servius adscribit ad illa Maronis '*casus Cassandra canebat*' [aen. III, 183] hanc compositionem iam vitiosam esse, quae maioribus placuerit [cf. et Martian. V, 514]. idem tamen alibi [aen. V, 866] ad illud '*sale saxa sonabant*' *bene,* inquit, *imitatus est maris stridorem.*

Atque contemptum figurae, de qua agitur, studium vel maxime saec. p. Chr. I poetarum, hominum elegantissimorum, libris declaratur. quare quod fuere, qui in Statii carminibus eius usum deprendere sibi viderentur frequentius, et raro admodum eam adhiberi et vix consilio rescripsit nobis Otto Muellerus. ultimorum vero temporum siqua inveniantur exempla diversa, parum cures. at ne in hymnis quidem christianorum allitteratio extat nisi rarissime.

Iam de homoeoteleuto cum scripserint plerique, quorum novissimo tempore collectas examinavit opiniones Otto Dingeldeinus in libro diligenter scripto de homoeoteleuto Graeco ac Latino [Lips. 1892], veluti Woelflinus et Meierus (de hoc dictum Opusculi II initio), tamen qui expedierit poetarum Latinorum morem non invenio. quo autem pertinuit exemplorum ingentem complere cumulum, cum facile possent eadem denuo excussis libris veterum multiplicari? etenim illa figura cum provenisset pariter cum allitteratione — qua quidem et facilior longest et apertior; quippe ad

eventum properans animus fines magis quam initia spectat verborum, de qua re iam supra memoravi —, nec Graeci in ulla poeticae parte abstinuerunt homoeoteleuto et multo minus Latini, quorum sane sermo longe etiam ei fuit aptior. verum antiquorum inter et neotericorum rationes ea insignis extitit differentia, quod hi ad versus coiugandos eo usi in metris, illi ut sensus copularent, id quod communis scilicet vitae et pedestris sermonis aemulatione evenit. etenim quod quidam dixere populari vetustissimorum Latinorum in carmine infuisse novellis similia placitis homoeoteleuta, id equidem qui firmetur non video, nisi quod provocant ad unam formulam magicam hanc [Varro d. r. r. I, 2, 27]:

terra pestem teneto. hic salus maneto.

quam imitatus est Vergilius ita [ecl. 8, 80]:

limus ut hic durescit et haec ut cera liquescit.

sed hercule ut in huius verbis non metrorum, sed sensuum fine constat homoeoteleuton — nam caesura fit post quartam arsin —, ita etiam in illis, quae saturnio videntur constare numero (nam pro *hic salus* traditumst *salus hic*), non ordinum metricorum, sed enuntiatorum insigniti concentu fines. nec vero ulla alibi in poesi saturnia eiusdem figurae inveniuntur exempla memoria digna.

Sed cum ea, qualem dixi, rationum diversitas in adhibendo homoeoteleuto extet apud veteres et recentes, non mirum quod plurimi poetarum Teutonicorum, velut Nibelungiadis auctores, quae sono finalium copularent, sententiis saepe disiungerent, qualis mos Graecis pariter ac Romanis visus est vitiosus.

Iam promiscue admitti homoeoteleuton in qualibet versus parte quamquam nulla lege vetatur, idque aliquando satis est elegans ut in illo [aen. I, 87; cf. II, 313]:

insequitur cla*morque* virum stri*dorque* rudentum,

tamen et inutilest plerumque, cum minimum fiat vocis intervallum post partes orationis, quibus non efficitur finis ordinis metrici, et aliquando ob deformitatem sonorum nimis saepe aequalium vitiosum. veluti male habent talia [Laber. 80] '*non mammosa, non annosa, non bibosa, non procax*'; [Enn. fab. 160 b] '*Hecuba, hóc dolet pudét piget*'; [Luc. XXX, 35]:

'*nos esse arquatos? surgamus eamus agamus*'; [Lucret. I, 800; II, 552; VI, 1115] '*posse eadem demptis paucis paucisque tributis*' '*sed quasi naufragiis magnis multisque coortis*' '*finibus. inde aliis alius locus est inimicus*'; [Senec. Hippol. 939] '*longinqua, clausa, abstrusa, diversa, invia*'. unde his qui nimium delectarentur Lucilius irrisit libro V.

Contra aptae mehercule homoeoteleutis eae partes metrorum, in quibus utique necessest immorari vocem, scilicet in caesura et exitu numeri positae. proximum frequentia talest homoeoteleuton, quod in fine constat versuum continuo iunctorum, ita tamen, ut monosyllaba potissimum arsi contineatur. minus longe placent primo et ultimo loco eiusdem carminis aut initiis collocata diversorum. rarissima sunt, quae sententiarum ac non numerorum constent terminis. denique mediis metris aut fine versuum non contiguorum accidentia homoeoteleuta praeter paronomasias casu evenisse putabimus. ceterum cum binarum syllabarum similitudo ut mollicula haud perinde placeat quam singularum, nisi ubi oratorio affectu verba repetentur, aliquanto melius habent homoeoteleuta in versibus his:

ante et Trinacria lentandus remus in unda.
effuge. cuncta malis habitantur moenia Grais

quam in talibus:

quin etiam absenti prosunt tibi Cynthia venti.
quot caelum stellas, tot habet tua Roma puellas.

magis etiam sonat effeminatum — nam illa diversitate ictuum mitigantur —, si trochaeis exeuntia metra interse concinant, ut apud Homerum [Il. II, 484]:

ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι

et apud Vergilium [aen. IX, 574]:

Turnus Ityn *Cloniumque*, Dioxippum *Promolumque*.

quare haud pauci hoc genus homoeoteleuti vitavere. quamquam in fine versus aliquando non unum modo, sed plura verba ad vim augendam dictorum repetuntur, ut ab Horatio [s. I, 6, 45; ep. II, 2, 149]:

nunc ad me redeo libertino patre natum,
quem rodunt omnes libertino patre natum.
si volnus tibi monstrata radice vel herba
non fieret levius, fugeres radice vel herba
proficiente nihil curarier.

[cf. et ep. I, 6, 65; 17, 13; aen. VIII. 271; metam. IV, 152; IX, 488].

In his tamen omnibus semper probe observatum figuram esse rhetoricam illam, non poeticam. unde id tenuerunt, ut in diversis potissimum pedum metri eiusdem partibus fieret homoeoteleuton, excepto ubi natura ipsa id esset negatum, velut in pentametro, utque, sicubi esset disyllabum in hexametro, ea fere species referretur, quae leoninis versibus, h. e. ut thesis cum arsi responderet arsi et thesi velut '*quot caelum stellas, tot habet tua Roma puellas*'.

Iam fines qualescumque ordinum metricorum sive incisione versus sive exitu effecti vel siqua alia iunguntur figura ea, de qua dicitur, isdem fere condicionibus, quibus medii pentametri cum ultimis, solent concinnari [cf. Lachm. ad Prop. I, 5, 20], simili ut sint exitu aut in uno enuntiato substantivum cum adiectivo suo (sive, qui idem valet, genetivo) vel nomen cum verbo vel enumerando continuata aut in diversis parilitate vel oppositione sive alia necessitudine interse copulata. qualia habes exemplis his:

I. sanguine causidici maduerunt rostra pusilli.
tela manu miseri iactabant irrita Teucri.
inpulerat ferro Argolicos foedare latebras.
inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto.
horum
semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.
cuius immensos duae
maior minorque sentiunt nodos ferae.
et maris et terrae caeca pericla viae.

II. unum impetrassem te revocante diem.
et breve in exiguo marmore nomen ero.

III. colligit amentes et adhuc terrore paventes.
Turnus Ityn Cloniumque, Dioxippum Promolumque.
tendentemque manus et iam sua fata videntem
et 'mater, mater' clamantem et colla petentem.
adspice convexo nutantem pondere mundum
terrasque tractusque maris caelumque profundum.

IV. ambos una fides auferet, una dies.
Troiaque nunc stares Priamique arx alta maneres.
gnatumque patremque
cum genere extinxem, memet super ipsa dedissem.
non satis est pulchra esse poemata. dulcia sunto,
et quocumque volent animum auditoris agunto.

hanc aram luco statuit, quae maxuma semper
dicetur nobis, et erit quae maxuma semper.
auro emitur Glauce, Danae corrumpitur auro.
occidet et serpens et fallax herba veneni
occidet.
ut sibi quivis
speret idem, sudet multum frustraque laboret
ausus idem.
sive ea causa gravis, sive ea causa levis.
Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.
si pranderet olus patienter, regibus uti
nollet Aristippus. si sciret regibus uti,
non pranderet olus qui me notat.
tela, qui fuerit pius,
rogante ponat matre, qui non est pius,
incipiat a me.
quot caelum stellas, tot habet tua Roma puellas.
carmina tantum
nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt aquila veniente columbas.
Laertiadaeque precaris,
quae meruit, quae, si di sunt, non vana precaris.
absentem ut cantat amicam
multa prolutus vappa nauta atque viator
certatim, tandem fessus dormire viator
incipit.

Ceterum perspicuam ob causam in metrorum longiorum fine accidentia homoeoteleuta nisi per enumerationem non bene eadem evenient in sententia, raro ut reperiantur similia illius Horatiani [s. I, 78 sq.]:

horum
semper ego optarim pauperrimus esse bonorum;

sive Senecae mavis exemplum [Med. 695]:

cuius immensos duae
maior minorque sentiunt nodos ferae.

praeterea in diversis enuntiatis ad versus iungendos homoeoteleutis etsi plerumque utuntur poetae verbis mutuo quodam vinculo nexis, sufficit tamen in exitu utriusque carminis fieri sententiae interstitium, veluti in hisce [Sen. Hippol. 669; 469]:

certa descendi ad preces,
finem hic dolori faciet aut vitae dies.
excedat agedum rebus humanis Venus,
quae supplet ac restituit exhaustum genus,

similiter excusantur in diversis metris per enumerationem iuncta homoeoteleutis, quae sensus artiore vinculo non cohaereant, ut est [Hippol. 653]:

> inerant lacertis mollibus fortes tori
> tuaeque Phoebes vultus aut Phoebi mei.

contra alienis condicionibus admissa figura ubicumque invenietur, a casu, non a consilio repetetur. neque vero erit mirum in tot milibus versuum et exsuperante copia homoeoteleuton aliquando regulas supra propositas migrari, quae ne in pentametro quidem eadem, qua visumst Lachmanno [ad Prop. I, 5, 20], exiguntur severitate. difficilius tamen longe inibitur numerus exemplorum respondentium legi quam adversantium.

Sed de plurium syllabarum homoeoteleutis pauca ut addantur, non morabimur equidem Ennium et pubescentem artem necdum adultam. nam in versibus, quos iure Eumenídibus eius tribuit Hermannus, ternarum adeo syllabarum concentus legitur in fine metri talis [230 sqq.]:

> caelum nitescere, arbores frondescere,
> vites laetificae pampinis pubescere,
> rami bacarum ubertate incurvescere.

fatendum tamen in hexametrorum dactylicorum trochaeo finitorum exitu eandem figuram binis syllabis circumscriptam usque ad mortem Augusti vel apud optimos inveniri auctores. adscripta infra sunt exempla XVI, quae ex Vergilii, Horatii, Ovidii libris notavimus: bucol. 4, 50, 51; 9, 11, 2; aen. VI, 843, 4; VIII, 646. 7; IX, 182, 3; X, 804, 5; sat. I, 1, 78, 9; ep. II, 3, 99, 100; metam. I, 67, 8; 682, 3; IV, 766, 7; VI, 639, 40; VIII, 386, 7; 441, 2; X, 347, 8; XV, 70, 71. — omissi sunt a nobis loci numero fere pares, ubi eadem iterabantur verba. — ne apud posteros quidem eiusmodi homoeoteleuton est inauditum, veluti apud Sil. IV, 150, 51; VI, 375, 6; VIII, 422, 3; Iuven. 7, 195, 6. — abstinuere tamen eodem longe plures. — minore odio eademst figura, quando in arsin exit versus, id quod trimetris declaratur Senecae.

Attenuatur autem aliquantum, non omnino, homoeoteleu-

ton, si secunda syllaba prioris partis elidendo imminuitur. quod quidem minime caret exemplis, veluti Aen. III, 549:

cornua vela*tarum* obvertimus ante*mnarum*;

Metam. XIII, 550:

non oblita ani*morum*, annorum oblita su*orum*.

Iam ubi intendatur in Latina poetica usus rimorum, non invenio praeter quosdam hymnos christianorum cum rythmicos tum metricos, cum plerique non aliam eorum rationem quam supra explicitam declarent. ceterum quod nonnulli Ambrosio nimium placuisse aiunt homoeoteleuta, haudquaquam firmis constat res argumentis. namque ex undecim carminibus, quae Benedictini illi tribuerunt ut vacua a suspitione, postrema quattuor, cum apertum studium rimorum testificentur, auctoritatis sunt sat dubiae, quippe quae tenuissimis Hincmari et Ildephonsi testimoniis adsignentur ei. at quae rectius adscribuntur eidem, non nimis frequenter habent homoeoteleutis iunctos numeros. ut puta XL in versibus CCXX. contra certumst alios quosdam scriptores hymnorum, quarto quintoque saeculo qui vixere, amare rimo vel assonantia iugare clausulas versuum. quam quidem rem minime dubiam non dicemus ita evenisse, quasi ab illis vetustissimae ac Livio prioris poesis repetita sit proprietas, quippe cuius pridem evanuisset notitia, sed plebeiorum hominum usui sic consultumst, quibus varietate negotiorum et communis vitae curis districtis homoeoteleuti adminiculo adiecto facilius perdiscerentur carmina, quae ignorantibus aeternae essent poenae in morte timendae. mox antiquae artis memoria ferme abolita facile coaluit usus rimorum. unde in carmina gentium et Romanicarum et Teutonicarum transierunt magis magisque increbrescentes, ut iam necessitate quadam metrica viderentur addi numeris, nisi assonantia, quam vocant, magis optinuit Hispanorum in fine tetrametrorum trochaicorum, quam imitatus est Platenus carminibus de Dido ac de Gambacorte et Gualande, item Uhlandius opusculo de Rolando et Alda.

Denique de verbis, quibus constet oratio, primum Quintiliani adscribam locum [IX, 4, 42] '*monosyllaba, si plura sunt, male continuabuntur. quia necessest compositio multis*

clausulis concisa subsultet. ideoque etiam brevium verborum ac nominum vitanda continuatio et ex diverso quoque longorum. affert enim quandam dicendi tarditatem'. scilicet haec, ut pleraque alia Quintiliani, non ad oratores magis spectant quam ad vates. quamquam Lycophroni et neotericis tragicorum ut gravitati operis aptae haud sane displicuerunt voces spatiosae. unde sic ait Horatius [ep. II, 3, 95]:

> et tragicus plerumque dolet sermone pedestri
> Telephus aut Peleus, cum pauper et exul uterque
> proicit ampullas et sesquipedalia verba.

sed vitiosus est haud dubie versus longior, tribus vel duobus verbis si constet, quales sunt hi [Ov. fast. II, 43]:

> Amphiaraiades Naupactoo Acheloo;

[Claud. 8, 560]:

> Bellerophonteas indignaretur habenas;

[Avien. phaen. 450]:

> infortunatam spectabis Cassiepiam;

[Sidon. paneg. Av. 536; cf. pan. Anthem. 204; pan. Maior. 184; epithal. Polem. et Aran. 43]:

> sollicitudinibus vehementibus exagitaris;

[Rut. I, 450]:

> Bellerophonteis sollicitudinibus;

[Cat. 68, 112]:

> audit falsiparens Amphitryoniades;

[Senec. Phoen. 223]:

> nefandus incestificus execrabilis.

nam in tanta vastitate vocum haud perinde amplus cum insit sensus, facile subibit legentium animis montis murem parturientis memoria. quare quod Plotius [2631] ponit in metri heroici virtutibus, si constet quattuor verbis velut hoc [bucol. 5, 73] '*saltantis Satyros imitabitur Alphesiboeus*', egregie fallitur homo. cur enim vitarent tales versus poetae, cordatis si placerent lectoribus? ceterum aliquando materiae proprietate excusatur elegantia inversa, veluti hymnorum Orphicorum in hexametris fere MC quod inveniuntur circa CL quaternis constantes partibus, non erit mirum

reputantibus carmina illa plerumque constare epithetis deorum certis et formulis. at in libro Iliadis I inter versus amplius DC non plus undecim reperiuntur, similem paucitatem qui habeant verborum. — optimi autem numeri, qui, cum disyllabis ac trisyllabis potissimum contineantur vocibus, immixtas habent subinde maioris aut minoris spatii partes. e quibus equidem ob frequentiam usus crebriores longe eveniunt hae quam illae. versus tamen ex solis constantes monosyllabis, quales haud raro ponunt poetae Teutonici, apud veteres me legere non memini.

XII.

OPVSCVLVM IV.

DE LVDIBRIIS ARTIS.

Alexandrinorum poetarum tempore cum magni illi fontes musici, quibus antiquissimi Graecorum ora sua irrigaverant, in tenues diduci coepti essent rivulos, abiectis plerisque metrorum, quibus prisci illi erant delectati, sive ea incuria fuit sive ignorantia, novas facetias commenti sunt auctores ad lectorum vincendum fastidium.

Sane vetusti lusus poetici, paene ut eodem tempore artificia metrorum videantur provenisse, quo ipsa ars invaluit. nam et Lasos, qui Pindarum dithyrambicam artem docuit, carmina *ἄσιγμα* composuisse dicitur, et Simonidi, cum Herculem laudasset versibus hisce:

Μοῦσά μοι Ἀλκμήνης καλλισφύρου υἱὸν ἄειδε.
υἱὸν Ἀλκμήνης ἄειδε Μοῦσά μοι καλλισφύρου.

Timocreon **παρῳδήσας** ita rescripsit:

Κηία με προςῆλθε φλυαρία οὐκ ἐθέλοντα.
οὐκ ἐθέλοντά με προςῆλθε Κηία φλυαρία.

quos secutus Sotades versum Homeri [Il. XXII, 133]:

σείων Πηλιάδα μελίην κατὰ δεξιὸν ὦμον

ita refinxit in sotadeum:

σείων μελίην Πηλιάδα δεξιὸν κατ᾽ ὦμον;

ubi *Πηλιάδα* implet dactylum. ac similia luserunt alii [cf. Herm. elem. d. m. pg. 444 sq.].

Mox et acrosticha et telesticha ac similiter in litteris posita ludibria nec minus versus recurrentes sive cancellatos et qui per epanalepsis schema decurrunt aliaque

id genus prompsere; praeterea pleraque artificia, sive praestigia dicere males, accessere ex lectione scholastica exemplaris Homerici, in quo versus ἰσοψήφους et πολιτικοὺς et ῥοπαλικοὺς et quid non? agnoscere sibi visi sunt docti.

Intenderunt rem Romani praeter imitationem Alexandrinorum etiam incompti decoris odio. igitur iam apud Ennium, antiquissimum auctorem artis, inveniri tale studium non mirum. reciproci autem versus et echoici quam fuerint frequentes usu primo p. Chr. n. saeculo declarat Martialis [II, 86, 1 sqq.]. atque hac primum aetate magis videri increbuisse ludibriorum artis amorem l. I memoravi. porro quo gravior evenit vergente ac senescente antiquitate materiae inopia, eo magis optinuit facetiarum ac praestigiorum cuiusvis modi cupiditas.

Pleraque autem eorum, quae iam referentur, etiam apud Graecos in Anthologia inveniuntur vel alibi; et ab his reperta eadem probabilest.

Medii vero temporis poetis Latinis et Graecis quanto opere placuerint vel idem lusus vel similes, sciunt qui eos legerunt.

Ergo primum notanda acrosticha. quae iam Ennius ita adhibuit, ut in quibusdam carminibus decurreret illud: *Q. Ennius fecit* [Cic. de divin. II, 54, 111]. mox Aurelius Opillius, grammaticus temporis Mariani, prohoemio libelli, qui inscriptus erat Pinax, ipse parastichide declaravit nomen suum. inscriptiones, ut soleo, praetermitto. at dignissimum memoria, quod Instructionum libros duos eodem praestigio adornavit totos Commodianus, Afer homo, s. p. Chr. n. tertii, quorum ultimo in carmine aptum mentioni, quod ab imo hexametro ortum sursum escendit acrostichon, praeterea quod omnes versus terminantur littera *o*, sicut in II, 7 *e*.

Ceterum artificia ista hanc praebent utilitatem, quod docemur eis certo et clare quaedam ad orthoepiam et orthographiam spectantia. igitur confirmata Commodiani scriptis collegi haec quae sunt *absconso* [pg. 163], *Bacchus* [140], *catecuminis* pro *catechumenis* [167], *cottidianum* [180], *dis* pro *deis* [143], *duellum* [171], *iudaeidiant* [159], *Iuppiter* [135], *marturium* [180], *paenitentibus* [169], *saeculum* [147 al.],

denique, quod est gravissimum, *concupiscenciae* [181], de quo in l. IV egi exemplo.

Iam acrostichorum artem variis modis intenderunt poetae, quorum e lusibus maxime notabilia sunt carmina alphabetica, qualia Hebraeorum nota poesi etiam populari usu apud Romanos et Graecos optinuerunt. eorum antiquissimum invenitur apud eundem Commodianum [pg. 178]. cuius in opusculo versus haustus post vicesimum iam e Dombartii cd. optimost receptus. — sed litteras initio Latinarum vocum insolitas ut pararent, varia adhibuerunt praestigia. ita *ypsilon* expressuri sine aspiratione dixerunt *ymnum.* at praecedentem illi litteram quo redderent, quidam Christi nomen per compendium Graecum posuerunt ita: XP, veluti Sedulius in fine hymni alterius, ubi recte Arevalus *Christo myron post sabbatum.* porro ubicumque *k* requireretur, notum grammaticorum secuti praeceptum, collocarunt quae vulgo haberent *ca,* velut *caput, carus, canus.* nam et in fragmento Varronis apud Nonium s. v. '*margaritum*' [p. 213] extante ideo Graecis characteribus scriptum invenitur illud *candicantia,* quod antiquitus habuit bis *k* pro *c.* quamquam alias contrario potius errore labi librarios notumst vel pueris. ita enim Lactantii scholion ad illud thebaidos [II, 182] '*quas Doricus alligat intus Isthmos*' hoc modost instaurandum '*Peloponnesum significat omnem, quod submovet Helladem a Sicyonia. adhuc enim illis locis Thesei versum legunt: τάδ' ἐστὶ Πελοπόννησος, οὐκ Ἰωνία*'. in quibus pro Graecis vulgo feruntur minus commoda Latina haec '*ubi est Peloponnesus Sicyonia*'. nam et alibi [ad theb. III, 685] in commentario eiusdem monstruosis ludibriis depravatus latet versus Homericus [Il. XVIII, 489] 'οἴη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο'. ita Porphyrionis verba in commentariis ad Horatii illud [c. I, 7, 1] '*laudabunt alii claram Rhodon aut Mytilenen*' non vidit Paulius sic esse scribenda: '*aptum dicet e. A.*'; *Homericum est. sic enim de hoc ille: Ἄργος ἐς ἱππόβοτον. 'me nec tam patiens Lacedaemon'; hoc propter διαμαστίγωσιν videtur dicere*'.

Sed litterarum artificium — iam enim ego ad propositum revertor — Porfyrius in verbis Graece scriptis praeter

ludibria supra indicata ita temperavit, ut pro illis η, λ, ϱ, ς, χ poneret Latinas *h, a, p, c, x.*

Porro ut acrosticha, habes telesticha, velut utraque figura iuncta in versibus Bellesarii et Liberati scholasticorum [cf. Sedulii edition. Huemer. pg. 307 sqq.]. nam in carmine ut huius, ita illius in honorem Sedulii poetae composito et in principio et in fine decurrunt verba: *Sedulius antistes.* item in appendice Aviti Peiperiani Nicholai cuiusdam epitaphii [XVIII] versuum litteris primis et extremis referuntur haec: *Nicholao Euantius.* reperiuntur et mesosticha; quale demonstumst olim a nobis in carmine Felicis scholastici Afri, qui Vandalorum regum tempore vixit [anth. lat. 214 R.]. incipit autem ita:

tranquillo nymfae decurrite fluminis ortu.

ibi igitur et acrostichon habes in prima quaque littera et mesostichon in undevicesima et telestichon in tricesima septima. et decurrunt verba haec: *Thrasamundus cunta* (i. e. *cuncta*) *innovat vota serenans.*

Sunt et alia versuum litteris apte nexis interstinctorum artificia, quibus maxime usus Porfyrius. de quo infra agetur pluribus.

Sed ne nimis increscat opusculum, relinquetur iam haec pars disputationis, ita tamen ut antea memorem duodecim sapientum (sic enim dicti sunt) lusum illum, quo monosticha de ratione tabulae [495—506 ed. R.] voluere constare senis senarum litterarum vocibus ut:

sperne lucrum. versat mentes insana cupido.

in quibus sane per enclisin vel proclisin iuncta illa [499; 502; 504; 505 anthol. R.] *aes est, pax est, ego sum, ut vere.*

Hinc apte fiet transitus ad facetias in verbis adhibendis repositas.

Quo loco primum memorandus numerus rhopalicus, quinque constans partibus orationis, quae singulis deinceps clavae in modum increscunt syllabis. eius exemplum ductum ab Homero. nam in versu tali [Il. III, 182]:

ὦ μάκαρ Ἀτρείδη, μοιρηγενές, ὀλβιόδαιμον,

cum ignoraretur illud Ἀτρείδη quattuor constare syllabis, eam, quam modo descripsi, figuram agnoscere sibi sunt visi

grammatici. apud Vergilium cum simile exemplum non inveniretur, Aen. I, 72 ita invertit Marius Plotius [gr. lat. VI, 506]:

quae quarum facie pulcherrima Deiopea.

contra apud christianos interdum habes figuram illam. nam ita Prudentius [apotheos. 86]:

nec capit humanis angoribus excruciari;

tum Martianus [VI, 574, 31]:

o sacra doctarum prudentia fontigenarum;

porro Claudius Victor [aleth. II, 25]:

te magis extollit conlatio deteriorum;

denique auctor incertus in principio epigrammatis [anthol. 749 R.]:

Mars, pater armorum, fortissime belligerator.

atque eadem compositumst arte carmen quoddam paschale, indoctum satis ac subrusticum, quod Ausonio male adscribunt plerique, cum aliis recte abiudicat Schenkelius. adponam versum primum:

spes deus aeternae stationis conciliator.

Neque indignumst mentione Ausonii [pg. 132 sqq. ed. Schenk.] Technopaegnion (ita Erotopaegnia scripsit Laevius), in quo scholasticis facetiis usus omnes versus monosyllabis verbis clusit. nec alieno lusu in opusculi huius prohoemio instituit, ut et primae partes versuum et ultimae monosyllabis constarent, e quibus nullis interse divisae verbis essent pares, praeterea perspicuam ob causam princeps omnium ac postrema.

De reciprocis carminibus, quorum iam meminit Quintilianus [IX, 4, 90], item Martialis, qui supina vocat [II, 86, 1], haec habet Sidonius [IX, 14]: *hi nimirum (versus) sunt recurrentes, qui metro stante neque litteris loco motis, ut ab exordio ad terminum, sic a fine releguntur ad summum. sic est illud antiquum 'Roma tibi subito motibus ibit amor'*. et tales quidem facetias exemplo paene carere non mirum. legitur tamen in Anthologia graeca [II, pg. 608 ed. Duebn.] versiculus eiusdem praestigii, quem antiquum admodum esse docent parietinae Pompeianae [cf. epigr. Gr. ed. G. Kaibel [1124]:

ἤδη μοι Διὸς ἆρ' ἀπάτα παρὰ σοί, Διομήδη.

pergit sic Sidonius: '*nec non habentur pro recurrentibus, qui pedum lege servata — per singula — verba replicantur, qualia reor equidem legi multa multorum*'. – ac talem iam apud Maronem versiculum olim grammaticorum detexit sollertia. nam in principio Aeneidos positum:

Musa, mihi causas memora, quo numine laeso,

si retro scandas, item fieri hexametrum monuerunt, illud quidem non curantes, quod fractus esset numeris et elumbis. — porro ex hisce [Quintil. l. m.]:

astra tenet caelum, mare classes, area messem.
repetita pinus mobile exeruit caput,

si a fine relegas, fient sotadici. isdem facetiis usus Porfyrius totum carmen elegiaco metro scriptum fecit anacyclicum [XXVIII], cuius singula disticha non ab ultimo minus verbo quam a primo incohata manebunt integra. ita et alterum eiusdem poema tali metro compositum [XIII]:

princeps beate, placido sub axe iamnunc

hos ipsos recurrendo etiam implebit numeros. — sed in versu, quem memorat Diomedes [516] fieri ex pentametro trimetrum:

numina caelestum ture precare pio,

ut senarius iam constet numerus, scribendumst *omina,* secundum illa Virgilii '*da pater augurium nobis atque omina firma*' ac porro '*fata renarrabat divum*'. et habet liber scriptus *nomina.* venit autem versus ex simili fabrica, quamquam minus est ineptus, atque ille aeque reciprocus [Mar. Victor. 2562]:

omine felici Pansa precare deos.

qui eiusdem videtur esse auctoris atque una a Mario Victorino allatus hexameter:

esse bonus si vis, cole divos, optime Pansa;

quem si retro legis, fit sotadeus:

Pansa optime, divos cole, si vis bonus esse.

ubi notandum, quod illud *si vis* unius instar vocabuli habitum. nec id mirum; nam ex eo factum *sis.* vix autem potest dubitari, quin hoc metrum contextum sit ad similitudinem eius, quo carmen XXI interstinxit Porfyrius, pariter dactylici et ionici:

omne genus metri tibi pangens, optume Basse.
Basse optume, pangens tibi metri genus omne.

etiam aliud carmen reciprocum suo laborat vitio; quod quidem non est poetae, sed, ut cetera quae adfert omnia, a Servio fictum in Centimetro [gr. lat. IV, 467]. est autem tale:

ire cupis si vis, mala vites somnia quaeso,

quasi penes nos sit arbitrium somniorum nostrorum et violato numero sotadico, qui debet evenire, si retro legas versum. venit ab auctore: '*mala vites omina*'.

Versibus autem supra adlatis probatur his ludibriis conformandis permultum adhibitos sotadeos; neque id mirum in tanta huius numeri gratia. — ceterum recurrentium metrorum exempla incertorum poetarum adiecta habes Porfyrianis in editione Porfyrii [pg. 31 sq.].

Iam ut insignem habet gravitatem carmen eodem versu finitum quo incohatum, ita in distichis priorem hexametri partem ac posteriorem pentametri paribus continendo verbis — epanalepsis schema vocitatur — aut eandem utriusque versus sententiam intenderunt magis aut contraria sensu magis distinxerunt, qualia habes in his Pentadii:

laeta vireta tument, foliis sese induit arbor,
vallibus apricis laeta vireta tument

et alibi:

res eadem adsidue momento volvitur uno,
atque redit dispar res eadem adsidue.

hi lusus iam Ovidium apud et Martialem cum bis terve inveniantur, mox valde placuere insequentium temporum auctoribus, tota ut carmina ludibrio isto composuerint Pentadius, Fortunatus, alii. in Pentadii poemate tali [234, 17 R.] cum vulgo ferantur haec '*hostia saepe fuit diri Busiridis hospes, Busirisque aris hostia saepe fuit*', pessime egere, qui posteriore parte scriberent ad sensum iuvandum '*hostia et ipse fuit*'. at ponendumst utraque '*hostia saeva fuit*'. ceterum foedo errore opusculum Sedulii, eodem quod confectumst schemate, hoc disticho incohari crediderunt plerique:

cantemus socii domino, cantemus honorem.
dulcis amor Christi personet ore pio.

quod ut plane alienum a sententia carminis nemo non videt

lineola interiecta separandum esse a ceteris quasi praefatiunculam hymnorum vel potius omnium Sedulii librorum, quae res etiam eo confirmatur, quod in codice Arnzeniano epigramma Asterii — nam is mortuo Sedulio opera eius Macedonio abbati amoris causa dedicaverat — praepositum legitur hymno primo, ut contrario quam nunc fit ordine opera Sedulii constituenda esse appareat.

De echoico metro ita Servius in Centimetro [pg. 1826]: *echoicum est, quotiens sonus ultimae syllabae paenultimae congruit, ut est hoc:*

exercet mentes fraternas grata ma*lis lis*.

Talest Horatianum illud [s. I, 3, 121]:

verbera, nunc vereor, cum dicas esse pa*res res*.

sed non minus dicuntur echoici versus, ubi idem repetitumst verbum, ut apud Homerum Il. V, 31; 455: Ἆρες, Ἄρες, quod imitatus est Vergilius sic Bucol. 3, 79: *vale, vale, inquit, Iolla.* et hunc expressit Ovidius Metam. III, 501: *dictoque 'vale' 'vale' inquit et Echo.* atque tales praestigias placuisse saec. p. Chr. n. primo testatur Martialis II, 86.

Praeterea sententiae robur adstruit versus unus certo intervallo identidem repetitus. veluti Ovidius in Amorum carmine illo '*ianitor indignum dura religate catena*' [I, 6] inde a versu septimo decimo usque ad quinquagesimum sextum quaternorum distichorum fine repetiit pentametrum hunc:

tempora noctis eunt. excute poste seram,

distinctis quidem eo, quod dixi, intervallo etiam sensuum finibus. similiter in epistula Deianirae [her. IX] inter versus centesimum quadragesimum tertium et sexagesimum quartum quater recurrit, primum post duo disticha (sed videtur unum interceptum), dein post terna illud '*impia quid dubitas, Deianira, mori?*' at apud eum, qui scripsit epistulam Didus heroico metro [anthol. lat. 83 ed. R.], cum verba haec: *sua taedia solus fallere nescit amor* post v. 42, ubi primum sunt posita, septies recurrant ita, ut intercedat hexametri quod est post penthemimerin, tum tres hexametri et ea pars, qua hephthemimeris completur, ultro oritur suspicio in sequentibus, h. e. inter versus 78 et 81, unum

excidisse metrum, id quod etiam aliter potest probari. etenim cum in praecedentibus. quaecumque sunt conclusa enuntiato intercalari, is compareat sensus, omnia certa vice ita recreari, ut malis succedant bona, longe sunt aliena qualia nunc feruntur proxima:

gemmatis roscida Vesvi
rident prata rosis et floribus arva tumescunt.
pictus ager sub flore latet, dat fronte coronas
lascivis natura rosis.

debuit enim declarari illud, post finitam demum tempestatem existere istam camporum faciem. videntur autem in capite horum versuum excidisse bina hemistichia velut haec:

discussis imbribus atra
cum requievit hiems.

Porro, vulgo ut notumst, versus intercalares non ubique concinne inseruere carminibus Catullus [62; 64] et auctor peruigilii Veneris, at certa cum lege Vergilius [ecl. 8] et Nemesianus [ecl. 4]. — ceterum non dissimiles facetias in psalmis [136; cf. 118] deprehendi satis notumst.

Praeterea memoranda sunt carmina pari versuum numero constantia, quae eveniunt plerumque alternis versibus et mutuo orantium certamine. qualia habes in eclogis Vergilii et tertia et septima et octava, porro in carmine Nemesiani eo, quod incipit '*populea Lycidas nec non et Mopsus in umbra*', et Horatii illo [III, 9] '*donec gratus eram tibi*'. sed nulla tali causa alii voluerunt contineri libros suos carminibus aequis ambitu, quorum ut ars et ratio plene perciperetur, non potuit esse exiguum spatium. hoc lusuum genus satis vetustum — namque Macer familiaris ille Nasonis volumen opusculorum quaternis versibus constantium composuit — admodum placuit neotericis. nam et monosticha Ausonii et Columbani atque aliorum et disticha Catonis et tristicha feruntur Symposii. praeterea Prudentii extant tetrasticha historiae sacrae et simili arte conscripti a grammaticis in praeclarorum vatum opera multi inveniuntur indices.

Sed maxime memoria digni XII sapientum lusus, qui extant in Anthologia Latina [495—626 ed. Ries.]. ubi argumenta scholasticorum usu trita veluti de Vergilio et Cicerone,

item de arcu caelesti ac de quattuor anni partibus tractantur deinceps per monosticha, disticha, tristicha, tetrasticha, pentasticha, hexasticha.

Hactenus haec. nam quod novissimo tempore extitere, qui non partem Bucolicon Vergilii, sed omnes eius eclogas adeoque tragoedias Senecae integras atque alia carmina Latina vel Graeca existimarent partium concinnitate subtiliore et strophica quadam contineri aequalitate, id non potuisse me animo persuadere saepius declaratumst. nempe etsi ipsa naturae lege institutumst, ut, poeta quo quis sit elegantior, eo magis studeat carminis singula velut membra spatio ac proportione vel eadem esse vel simili, quae res maxime comparet in eclogis, quas veteres vocarunt, i. e. poematis medii circuitus, ut puta elegiacis vel bucolicis, tamen frustra fuisse existimo, qui vel apud hos poetas nulla traditioni fide habita uniformem prorsus et aequabilem partium instituerunt dispositionem. quamquam hic illic eam recte observatam non nego. veluti vix casu credas evenisse, ut in Ovidii Amorum carmine, quod supra memoravi [I, 6], novies recurrant versus octoni totidem sensuum factis interstitiis. nam distichon illud [65 sq.]:

iamque pruinosos molitur Lucifer axes
inque suum miseros excitat ales opus

ut contrarium sequenti delendum olim intellectumst. et firmat rem idem pentameter, ut ante dictumst, inde a v. 17 quinquies eodem intervallo recurrens.

Restat ut centonum reddamus rationem. qui veneratione nimia Homeri Vergiliique et communi ultimorum saeculorum studio captandi nova et insolita plerumque exercuerunt vacua ingenia.

De eis ita refert Isidorus [orig. I, 38, 25]: *centones apud grammaticos vocari solent, qui de carminibus Homeri vel Vergilii ad propria opera more centonario in unum sarciuntur corpus ad facultatem cuiusque materiae. denique Proba, uxor Adelphi, centonem ex Vergilio de fabrica mundi et euangeliis plenissime expressit, materia composita secundum versus et versibus secundum materiam concinnatis. sic quoque quidam Pomponius ex eodem poeta inter cetera stili sui otia Tityrum in Christi honorem composuit; similiter et de Aeneidos versibus.*

— ex Graecis vero centonibus notissimus idemque ad criticam carminum Euripidis factitandam utilissimus *Χριστὸς πάσχων*, aetatis serae admodum, ex illius conflatus tragoediis.

Romanis autem quanto opere iam circa a. p. Chr. n. 200 placuerint lusus tales apparet loco Tertulliani, quem respexit Isidorus. sic enim ille libro de praescriptionibus haereticorum [39]: *vides hodie ex Vergilio fabulam in totum aliam componi, materia secundum versus, versibus secundum materiam concinnatis. denique Hosidius Geta Medeam tragoediam ex Vergilio plenissime exsuxit. meus quidam propinquus ex eodem poeta inter cetera stili sui otia pinacem Cebetis explicuit.*

Porro eorum leges sic definit Ausonius [praef. cent. nupt. pg. 140 ed. Schenk.]: '*variis de locis sensibusque diversis quaedam carminis structura solidatur, in unum* (*versum* add. cdd.) *ut coeant aut caesi versus* (om. cdd.) *duo aut unus et sequens medius* (add. Th. Momsenus) *cum medio. nam duos iunctim locare ineptum est et tres una serie merae nugae. diffinditur autem per caesuras omnes, quas recipit versus heroicus, convenire ut possit aut penthemimeris cum reliquo anapaestico aut trochaice cum posteriore segmento aut septem semipedes cum anapaestico chorico aut tres semipedes et* (*tr. s. et* om. cdd.) *post dactylum atque semipedem quidquid restat hexametro*'. verum enimvero nec ipse Ausonius tam severe normam optinuit (velut habet aliquoties continuatos binos versus integros) et multo minus ceteri. qui ne illud quidem vitarunt (nam sensuum ineptias praetereo), nequando longior paulo sive brevior evaderet aut alioqui laberetur versus.

Sed omissis plerisque, quae nunc Riesii Schenkeliique editionibus habentur optime reddita, Hosidii tragoediam secundo tertiove p. Chr. n. saeculo scriptam, cuius supra iniecta memoria, perlustremus. neque enim dubitari potest, quin Medeae fabula libro antiquissimo Salmasiano servata eadem sit, quam indicat Tertullianus l. supra memorato, licet in illo auctoris nomen non referatur. — igitur carmen hoc versibus plus CCCCL constans Medeae et Iasonis discidium heroico numero, quo sermocinantium partes continentur, et paroemiaco, quo chori, persequitur. in adornanda autem fabula Senecae Medeam ab Hosidio observatam recte

notat Burmannus. libet admirari sollertiam, etsi isdem hic cento, quibus relicui excepto Ausonii, laborat incommodis. in quo tamen illud memoria dignum, numquam poni hexametros dimidiatos et imperfectos, nisi apud ipsum Vergilium extent tales, qualem habes [104] '*unum pro multis dabitur caput*'. cetera lacunis deformia. igitur quod legitur ibidem [397]:

suggere tela mihi finemque impone labori.
sanguine quaerendi reditus

addendum '*animaque litandum*', cum praesertim fuerit absurdum placitam alioqui normam migrari, ubi totus Vergilii versus [aen. II, 118] non minus conveniret rei quam dimidiatus. porro alterum graviter esse affectum locum ipsa sensuum apparet perversitate. est enim talis [449]:

sive animo sive arte vales [opta ardua pinnis
astra sequi], et si adeo dotalis regia cordist
nostrasne evadere demens
sperasti te posse manus?

scilicet post illa [aen. XI, 369] '*et si adeo dotalis regia cordist*' addenda quae secuntur in ipsa Aeneide:

aude atque adversum fidens fer pectus in hostem.

proxima quae sunt '*nostrasne evadere demens*' apte supplebimus praeponendo velut [aen. V, 174] '*oblitus decoris*' sive aptiora quis excogitarit.

Pervenerunt autem ad nos centones satis multi, argumenti partim ad humanas, partim ad divinas res spectantis. et ex illis quidem et arte et, si lasciviam omiseris, elegantia facile primum locum obtinet Ausonii carmen nuptiale, ex his maxime laudatur Probae, feminae nobilis, quae floruit post saeculum IV medium, liber, quo initium bibliorum sacrorum, mox euangelia et historiam Christi versibus contexuit, pietate tamen magis probanda quam arte.

Et de huius et de ceterorum, quorum extant centones, rationibus diligentissime expositum a Carolo Schenkelio in editione Probae pg. 53 sqq.; conferenda etiam quae de Ausonii opusculo prolata sunt ab eodem Indice scriptorum s. l. 'Vergilius' [pg. 270].

Atque hoc loco potest addi quasi haud dissimili centonibus artificio ab incerto quodam grammatico Pasiphaes

fabula contexta ex omnibus metris Horatianis [anthol. lat. 732 ed. R.], quem tamen bis fefellit ratio [vv. 19; 7], primum in ionicis numeris C. III, 12 explicandis, deinde in trochaicis dimetris II, 18, admittendo spondeum ita:

optat in formam bovis.

neque Horatius artem suam agnoscet in hoc metro [9]:

et Proetidas dicit beatas.

Verum omnium aetatium gentiumque ludibria ac facetias studio curaque superavit Publilius Optatianus Porfyrius, Afer homo, ut puto, dignusque hac patria. is Constantino imperante relegatus, quo veniam impetraret poenae, cum iam ante novas vias in carminibus temptasset, ad vicennalia illius celebranda edidit librum operosissimum artificiosissimumque et cuius similem in litteris non habeas. quo ad Constantinum misso meruit ab exilio revocari.

Iam si perversa admodum callidissime executos aliqua esse laude dignos putabimus, non decet Porfyrii silentio praeteriri opuscula. nam ut non ita magni sunt spiritus adeoque intermixta haud raro vel ineptis vel obscuris et Oedipo quodam dignis, ita plura in eis suo nitent decore aequantque vel superant adeo plurimorum carminum Latinorum mediocritatem. quamquam hic illic difficultate incepti victus admisit in arte metrica ea, quae a ceterorum placitis sint aliena. ex quibus quaedam in superioribus libris notavimus, alia praeteriimus, de quibus in editione nostra dictum s. l. 'metrica' pg. 75. — quae cum ita sint, dubito plerumque, an magis excusandum Porfyrium existimemus quam Nasonem, cum hic exilii desperatione lectorum animos, ille oculos fatigarit.

Insunt autem in poematis eius quae ne Graeca quidem facilitate assequi liceat ludibria. quorum placuit potissima perlustrari et in hoc finem fieri operis. cetera, cui libuerit, facile deprendet in editione nostra satis curiose ac dilucide expressa simulque emendata et explicata, quantum licebat in tanta rerum difficultate.

Ac primum quidem litterarum multiformes comparent lusus. est carmen quod arae, est quod fistulae vel quod organi repraesentet speciem [26; 27; 20], quales etiam apud

Graecos Alexandro Magno posteriores habes facetias, veluti Theocriti Fistulam, Simmiae Securim et Ovum nec non Alas Amoris, denique Dosiadae Aram, item Besantini. sed minime eadem circa augendum minuendumque litterarum numerum cura. alibi autem mediae carminum parti inditae figurae,' velut in undevicesimo habes naviculae speciem adiecto Christi monogrammate.

Sed hoc omisso paulo pluribus agamus de ceteris, quae memoravi, tribus.

Ex quibus primum, quo ara effingitur, decurrens trimetris iambicis XXIV numero, habet in summa parte versus duos litterarum XXVI. subsecuntur quattuor, quorum primus est litterarum XXXVI, ceteri binis decrescunt. hi excipiuntur duodecim aliis, quorum singuli constant elementis XXVIII, succedunt tres elementorum XXX, XXXII, XXXIV, finem faciunt itidem tres, pro se quisque tricenorum senorum. — emendavi trimetrum tertium, qui cum ferretur omnino ineptus et inconcinnus talis:

sic pulchra sacratissima (sacrissima *Bernens.*) gens Phoebo decens,

ita erat scribendus:

sic pulchra sacra dis agens, Phoebum decens.

At in fistula, quod est carmen versuum heroicorum XV, per singulas litteras adauctus fit vel defectus. habet autem minimus XXVIII.

Organi pars superior vicenis senis hexametris dactylicis, inferior totidem dimetris iambicis catalecticis constat. porro horum unusquisque elementorumst XVIII, illorum brevissimus cum habeat XXV, ceteri increscunt singulis, maximus ut duplicet numerum minimi. interponitur autem per mediam partem currens carmen hoc:

Augusto victore iuvat rata reddere vota.

quod quasi regulam organi designat.

Idem Porfyrius mira facilitate variis anfractibus litterarum usus in acrosticha, telesticha, mesosticha aliaque huiuscemodi.

Veluti in opusculo [11], quod incipit '*fortia facta ducis toto dominantia iam nunc*', litteris primum et quartum decimum atque ultimum optinentibus locum decurrunt haec:

'*fortissimus imperator*' '*clementissimus rector*' '*Constantinus invictus*'. at illius, cuius est exordium [16] '*dissona conexis audet componere verbis*', in capite cum descendat '*domino nostro Constantino perpetuo Augusto*', notis, quae decimum optinent locum, efficitur:

νεῖμέν σοι βασιλεῦ Χριστὸς καὶ σοῖς τεκέεσσι,

quae undevigesimum:

τίμιον εὐσεβίης κρατέειν ἀρετῆς τε βραβεῖον.

quae vigesimum octavum:

εὐνομίης ἄρχειν τε καὶ Αὐσονίοισιν ἀνάσσειν.

Sed frequentiora etiam sunt carmina, quae simul habent litterarum artificia in versibus continuis et versuum per hos descendentium ascendentiumve. scilicet ibi metra omnia pari constant numero elementorum, qui ubi illorum aequat numerum, quadrati figura nascitur, quae variis natura sua convenit lusibus.

Igitur in poemate tali [23]:

ingemui graviter Graecum miseratus amicum

cum singuli hexametri, qui sunt X, constent litteris XXXVII, nascitur versus Graecus litteris ab ultimi metri prima bis in altum et rursus in imum tendentibus, ut a latere laevo dextroque sitae partes elementis singulis augescant, at quae locatae sunt inter primas decem et sequentes bis decem ac postremas decem Graeci hexametri eae vero increscant binis. interiectus stichus est talis:

Μάρκε τεὴν ἄλοχον τὴν Ὑμνίδα Νεῖλος ἐλαύνει.

longe etiam scitius est illud '*alme tuas laurus aetas sustollet in astra*' [18], quod hexametros XXXV litterarum XXXV continens quater habet stichum latera cingentem hunc '*alme tuas laurus aetas sustollet in astra*'. at diagonalium quattuor instar, quae quadratum in trigona bina sive bina tetragona disponunt, currunt versus hi '*aurea victorem pietas sonat ubere lingua*' '*Aonios latices pietas iuvat armaque diva*' '*aurea lux vatum silvae mihi praemia serva*' '*aucta deo virtus Musas magis ornat aperta*'. — praeterea alterum interpositum quadrato quadratum, cuius initia a media parte, hoc est ab octava decima littera lateris sinistri maioris quadrati contendunt sursum vel deorsum ad octavam deci-

mam laterum relicuorum. atque his duo complentur hexametri '*Augusti florem pietas iuvat, arma, tropaea*' '*Aonii frutices, pietas iuvat ubere glaeba*'. dignum autem memoria omnia acrosticha et primam et mediam et ultimam habere litteram *a*. — ceterum simillimo artificio usus Fortunatus [miscell. V, 7] carmen XXXIII versuum, qui constant singuli litteris XXXIII, octonis stichis linearum quadrati lateralium et diagonalium instauravit. — at Porfyrius alio carmine [22], quod et versus et singulorum versuum litteras habet numero XXXVII, primum diagonalibus obliquis hos versus effecit '*mixta per amfractus diducunt carmina Musae*' '*seu cancellatos spatia in contraria flexus*', tum lineis quadratum alterum, quod inculcatumst, cingentibus habes hos versus '*bene picta Musa metris*' '*speciosa sancta cultu*' '*breviter fluas ut isto*' '*opus est per arta coetu*'. porro tetragonis binis, quorum prioris latera oriuntur a litteris prima, undecima, vicesima septima, ultima versuum undecimi, primi, ultimi, vicesimi septimi, alterius a prima, undecima, vicesima septima, ultima vicesimi septimi, ultimi, primi, undecimi, his, inquam, tetragonis eveniunt trimetri et adonii tales:

amor poesis spissa gaudet exigi.
seriem paramus ordinare acrius.
possit coire docta rerum limite.
opus tuetur nonne cata parcitas?
audeo plenas
edere formas.
picta notabo
iura Camenis.

in his quaedam aliter constituta atque in editione Porfyrii. ex quibus hoc loco id maxime notandum, quod in quarto versu scripsimus *nonne cata* pro *non necata*. ubi non haerendum in trochaico *cata*, quamquam alibi [3, 30] recte corripuit priorem poeta. sed potuit variare tum quantitas, quippe in vocabulo raro et obsoleto, sicut semel dixit *ratum* producta *a*, ceteris locis imminuta. praeterea et alibi idem non ita anxius circa mensuram syllabarum, veluti *deaurare* longa, *nationem* brevi prima posuit.

Habet etiam alios lusus, vel difficiliores aliquando, sed non perinde concinnos. qui quoniam facilius oculis quam verbis possunt concipi, simul ne lectorum nimis illudamus

patientiae, ad editionem nostram delegamus, siqui plura voluerint cognoscere.

Itaque missis his duo eiusdem poetae contemplati carmina acquiescamus. quorum prius est tale [15]:

alme decus mundi summum rector pius orbis
Auguste, invicta populos virtute gubernans
iustitia imperii, nationum Constantine
effrenatarum moderamine pacificator,
quem divus genuit Constantius induperator,
aurea Romanis propagans saecula nato,
heu nimis ad caelum properans, ni linqueret ille
aeternum auxilium invictum iustumque piumque,
alme pater patriae, nobis te, maxime Caesar,
Ausoniae decus o, lux pia Romulidum.
est placitum superis tunc haec in gaudia mundi
perpetuis bene sic partiri munera saeclis:
sidera dant patri et patris imperium,
sancte, tibi. magnae data tu lux aurea Romae.
ista canit ruris tibi vates ardua metra.

In his primi quattuor versus pro se quisque isosyllabis constant verbis, quintus est rhopalicus, sextus immota manente voce ultima potest variari his modis:

aurea propagans Romanis saecula nato
saecula propagans Romanis aurea nato
saecula Romanis propagans aurea nato.

septimus omnes in se continet partes orationis, at octavus sola nomina. nonus si retro legatur etiam fit hexameter, decimus pentameter. eadem ratione undecimus ex heroico versu formabitur elegiacus. nec minus duodecimus cum sequente efficiunt etiam distichon, denique ita a fine proximus et ultimus fiunt sotadici. — at alterum poema talest [25]:

ardua conponunt felices carmina Musae.
dissona conectunt diversis vincula metris
scrupea pangentes, torquentes pectine vates.
undique confusis constabunt singula verbis.

in his manente ultima parte hexametrorum ita possunt variari prima verba cum quartis et secunda cum tertiis permutando permiscendoque, e quattuor versibus ut oriantur, ut scholiasta affirmat, nisi corruptast lectio, LXXXIV. in exemplaribus Porfyrii LXXII omnino exhibentur. sed posse etiam plures effici agnoscent rei arithmeticae periti.

Mirifice autem delectati Porfyrii Venantiique, qui imitatus est eum, praestigiis docti insequentium temporum. nam similia prompserunt Rhabanus, Alcuinus, Iosephus, Teudulfus, denique saeculo X Abbo [cf. Polycarp. Leyser. hist. med. aevi poet. pg. 301; carm. m. aevi, ed. ab H. Hageno, pg. 115].

Iam horum, de quibus modo exposui, ludibriorum quae litterarum facetiis oriuntur, habent certam quandam utilitatem. scilicet potest ex eis plerorumque verborum scriptura certo cognosci, non alterius auctoris Latini usus aeque ut sit apertus notusque ac Porfyrii vel Venantii. haec autem quarti sextique p. Chr. n. saeculi testimonia ideo inscriptionum vel antiquiorum plerisque sunt potiora, quod hae ut plurimum sculptorum atque similium imperitia hominum incultis temperantur arbitriis, at illa doctrina iudicioque virorum liberaliter eruditorum. nam nequis credat hos difficultate operis victos pleraque barbara admisisse in leges orthographiae, ea re vetamur, quod eorum scripturae plerumque cum firmatis optime alioqui, quales Mediceo Vergilii codice et paris antiquitatis libris exhibentur, mirificum in modum consentiunt, ut appareat auctores, cum sermonis et metrorum adeoque logicae leges aliquando laederent, in hac tamen parte fuisse ambitiosos. memoria autem digna apud Porfyrium haec ferme invenimus. — primum quidem quod auctorem non, ut vulgo fit, dixi *Porphyrium,* ipsius fide feci, ut quem c. 21 ita nomen suum scripsisse constet. ita 23. 10 legitur *Fryx.* et similia plura adnotata editionis nostrae pg. XXXII. adde quod apud Felicem, de quo supra memoravi in hoc opusculo, illud *nymfae* vel potius *lymfae* carminis arte confirmatur.

Praeterea notanda fuerunt haec: *amfractus* [schol. 22, 1]; *artare* [26, 11]; *arto* ab *artus* [3, 29]; *ascensu* [20b, 8]; *Bacheia* [12, 10], sed alibi *Bacchi* [27, 5], *Christi* [8, 5; cf. 24, 4; 18]; *die* eiecto digamma [22, 2], sed alibi *dive* [24, 7]; *fecundi* [2, 4]; *feta* [24, 24]; *Foebi* [20a, 25]; *glaeba* [schol. 18, 10]; *gnari* [5, 14]; *heuvantis* [27, 6]; *iamnunc* [13, 1]; *inclyta* [16, 2; 21]; *induperator* [15, 5]; *imperator; imperare* ubique praeter exemplum modo positum; *isdem* [20b. 12]; *medellifero* [24, 12]; *νομίζιν* pro *νομίζειν* [pg 58];

optume [schol. 21, 2]; *paulum* [22, 2]; *proiiecta* [22, 14]; *quiris* dativo [3, 8]; *rythmo* [18, 24; cf. 20b, 13; 19; 26]; *squalore* [24, 6]; τέ tertio enuntiati loco [schol. 16, 4]; *sollemnis*, per duo *l; totiens*, per *ns* [6, 18 al.]; *saeculum* sive *saeclum* et composita quae habent *prae*, ut *praestas* [8, 32], per *ae* semper; contra ubique *sceptrum*. — praeterea in compositis memoranda haec: *coiux* [23, 5; 10]; *colocat* [21, 11]; *conexis* [16, 1]; *cosere* [22, 9]; *conpos* [7, 34]; *exerit* [8, 19; cf. 24, 19]; *exulis* [2, 32]; *exultant* [16, 17]; contra *exsultat* [20a, 8]; *sŭplex; sŭplices* [14, 11; 25]; at alibi *supplicibus; supplex* [5, 9; 26, 23].

Hactenus haec. nam alia quaedam adnotata editionis nostrae Indice, ubi etiam de metricis exceptionibus, quas admittere coactus est poeta ludibriorum dira necessitate, dictum pluribus.

At apud Venantium digna cognitu observata a nobis talia: *bracchia* [II, 4, 17], *caeli* [II, 4, 13], *crismata* [II, 4, 28], item *Cristi* [II, 4, 17], *dius* [II, 4, 1; V, 7, 1], alibi *diva* [II, 4, 29], *exerit* [V, 7, 11], *exiluit* [II, 4, 5], *medellae* [II, 5, 4], *paradissiacus* [II, 4, 9], *sucus* [II, 4, 11]. porro abbreviata apud eum inveniuntur haec, quae sunt *q* cum binis punctis [V, 7, 16] — *q*. habet Optatianus — pro enclitico *que* (vel pro *quae* posse poni *q*. asserit Rhabanus praef. carm. de sancta cruce), *ds* pro *deus* [V, 7, 23], *scs* pro *sanctus* [II, 5, 35], *aie* pro *animae* [V, 7, 18], quod quid sit assequi se negat Mignius. denique apud Porfyrium pro *ibus* bis terve invenitur *ib* cum puncto.

EXPLICIT.

INDICES.

L. S.

Compendiis scripturae in opere nostro non sumus usi nisi pridem vulgatis tritisque. illud tamen memoria dignum, nota hac „sq.“ indicari singulos fere sequentes versus vel paragraphos aliaque id genus, at tali „sqq.“ plures.

Argumentum operis totius rogantibus multis cum plenissime sit adnotatum Indice primo editionis huius, multa potuere omitti ex secundo prioris. in quo praeter scriptorum emendatorum vel explicatorum locos ea potissimum iam placuit referri, quae, per digressionem seu mantissae loco posita in libris hisce, aut non essent memorata in Epitoma, quae primam nunc optinet sedem, aut certe facilius ceteris fallerent studia curiosorum. nec minus in eundem collata gravissima quaeque et memoria dignissima, hoc est quidquid non modo per capita summatim, sed singillatim prolatis exemplis designandum esse videretur.

I.

A R G V M E N T V M.

L. S.

III—XII.

Introductio III—IV. de necessitate studiorum antiquitatis Graecae ac Latinae IV—VIII. elogium Dem. Andr. F. Tolstoii VIII—IX. epilogus IX—XII.

I.

PROHOEMIVM.

1—49.

Initia et origo operis 1, 2. quinam eo tractentur poetae 2. poetarum dactylicorum genus duplex, alterum classicorum, alterum christianorum 2, 3. index eorum, qui his libris maxime respiciuntur 3, 4. christianorum nomine qui dicti 4.

E r u d i t i o s c h o l i c a p o e t a r u m v e t e r u m 4—19.

Antiquissimi Graecorum 4. Alexandro Magno posteriores 5, 6. Romani 6—8. collegia poetarum 8, 9. recitationes 9. poetarum grammaticorumque invicem iuvantium communio et convictus 9, 10. observatio legum scholicarum 10—12. antiquitas isdem fere quibus nos praeceptis pangendorum versuum usa 12, 3. epiploces doctrina 13. grammaticorum Latinorum praecepta de communibus syllabis 13—15. utriusque rationis fontes 15, 6. rei metricae Latinae disciplina, qualem habemus traditam, inde a saeculo p. Chr. III recepta vulgo 16, 7. christianorum poetarum placita 17—19.

Elegantia poetarum perversis grammaticorum placitis plerumque superior 19, 20.

Via studii nostri et difficultas 20, 21.

D e p o e t a r u m n o n n u l l o r u m, q u i h o c o p e r e t r a c t a n t u r, l i b r i s. d e f r a g m e n t i s e t i n s c r i p t i o n i b u s m e t r i c i s 21—43.

II.

LIBER PRIMVS.

DE STVDIIS POETARVM LATINORVM METRICIS.

50—137.

III.

LIBER SECVNDVS.

DE PEDVM OBSERVANTIA.

138—193.

IV.

LIBER TERTIVS.

EXPONITVR DE CAESVRA. QVAERITVR NVM GRAMMATICI ACCENTVS RATIO SIT HABITA IN VERSIBVS LATINIS ET FINES SENSVVM AC NVMERORVM QVATENVS INTERSE CONCINERE SOLEANT VEL DISSENTIRE.

194—278.

V.

LIBER QVARTVS.

DE VOCALIBVS INTERSE CONCVRRENTIBVS.

279—379.

VI.

LIBER QVINTVS.

DE VI CONSONARVM COEVNTIVM ET DE PRODVCTIS VEL CORREPTIS FINALIBVS.

380—429.

VII.

LIBER SEXTVS.

DE MVTATIS ALIOQVI QVANTITATIBVS SYLLABARVM ET DE VERBORVM TMESI ET ENCLISI.

430—469.

Mutatae alioqui quantitates 430—55.

Prohoemium 430—34 (nondum omnia in prosodia expedita. gabalus 430. laser 431. diutius, diutissime, diutinus 431, 2. quae a participiis praeteriti disyllabis brevi priore descendunt 432, 3. subus. bobus 433, 4). christianorum in quantitatibus mutandis cautio 434, 5. causae invertendi eas, partim vulgi pravitate, partim necessitate versus temperatae 435, 6. nomina propria ambiguae quantitatis 436, 7. item haec sive aliae orationis partes 437—9. inversa prosodia propter etymologiam falsam 439. christianorum placita 439, 40. productae apud eos contra ius fasque primae syllabae exempla 440. secundae 440. tertiae vel quartae 440. correptae ab isdem syllabae accentu insignitae 441. tales correptae pariter et productae accentu carentes 441. syllabae breves numquam productae a classicis propter vim accentus 441, 2. correptae sive eiectae vocales eae, quae accentum haberent 442. accentu destitutae finales longae correptae 442. partes, quae praecedunt syllabam accentu notatam, correptae a christianis 442. cf. 443. accentus propter vim productae apud christianos vocales in Latinis 442, 3. alia accentu insignita propter alias causas producta ab eis 443. item Graeca propter accentum producta peregrinum 443, 4. syllaba praecedens accentui peregrino correpta 444. correptae, in Graecis maxime, longae propter depravatam vulgi ore pronuntiationem 445, 6. item propter i subsequens cum vocali 446, 7. correpta vocalis priore ex geminatis consonis subtracta 447, 8. 'red' praepositio 448—51. 'pro' in Latinis 451, 52. in Graecis 452, 3. in compositis quibusdam legitima praepositionis quantitas ignorantia ultimorum temporum obscurata 453. compositorum a 'facio' descendentium, quorum prior pars est verbum, syllaba a fine quarta 453, 4. derivatorum propter falsum

VIII.

LIBER SEPTIMVS.

OBSERVATIONES GRAMMATICAE.

470—523.

IX.

OPVSCVLVM I.

DE VERSIBVS DACTYLICORVM ITALICIS.

524—553.

X.

OPVSCVLVM II.

DE POESI RYTHMICA.

554—559.

XI.

OPVSCVLVM III.

DE LITTERIS AC VOCIBVS VERSVVM.

560—575.

XII.

OPVSCVLVM IV.

DE LVDIBRIIS ARTIS.

576—594.

II.

SVPPLEMENTVM.

Ex commentis, quibus male affectos quosdam scriptorum locos emendare conati sumus, illa potissimum in hunc Indicem recepta, quae iam in priore editione essent vulgata, vel siqua a nobis essent prolata in Actis doctorum, ubi facile possent fallere homines studiosos. attamen non notata nisi ea, quae additis codicum dittographiis coniectando appareret mutata. cetera, ex Nonio potissimum ac Lucilio aliisque auctoribus post annum MDCCCLXI editis a nobis ducta, sine negotio poterunt repeti ex recensione nostra, qua non puto quemquam carere, qui illis operam navarit. Ad locos tractatos aliosque paucos, maxime eos qui nondum essent expediti, adscripti editionum, quas tertio Indice rettulimus, numeri, et quidem tales, quales in contextu operis posuimus, hoc est initio respecto disputationis, non ea parte, in qua subsisteret emendatio. omissi tamen idem, ut minutissima quaedam praeteream, in Varronis cantorumque Euphorionis ac scaenicorum fragmentis, denique in canticis Senecae liberius habitis.

Cetera quomodo sint instituta, ex prohoemio comparet Indicum.

Pro iudiciis hominum diversis poterit fieri, ut alii plura, alii pauciora rettulisse nos existiment, quam oporteret. nec enim plene omnia adnotata, sed fere quae statuerem cognitu dignissima. contra, quod nonnulla repetita sunt ex Indice priore, studio iuvandi, quantum posset fieri maxime, lectionem iuventutis posita facile excusabuntur.

Cum eis autem, quae de orthographia et prosodia sunt excerpta, sicubi breviora videbuntur et adstrictiora, potest comparari earundem rerum Summarium a. MDCCCLXXVIII editum.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

V.

X.

Y.

Z.

III.

INDEX

EDITIONVM QVARVM NOTIS ET NVMERIS VTIMVR.

Conferenda quae diximus pg. 48.

Primo loco enumerati poetae classici, tertio christiani, secundo medii inter utrosque.

Vbi bina adhibita exemplaria in metrica nostra, posterioris tempore usus compendio adiecto solet declarari, item praeter libros infra memorandos sicubi usurpati alii.

Nomina auctorum.	Nomina editionum.
	I.
Calpurnius	H. Schenkelii; a. 1885.
Cantores Euphorionis	L. Muelleri; 1870.
Cato, Dirarum scriptor	Naekii; 1847.
Catullus	L. Muelleri; 1870.
Cicero	Orellii; 1826 sqq.
Claudianus	Gesneri; 1759.
Columella (l. X)	Haeussneri; 1889.
Comici Latini praeter Plautum et Terentium	O. Ribbeckii; 1873.
Ennius	L. Muelleri; 1884.
Germanicus	Orellii; 1831.
Grattius	Hauptii; 1838.
Homerus Latinus	L. Muelleri; 1857.
Lucilius	L. Muelleri; 1872 (fragmentorum, non versuum numeri exhibentur).
Lucretius	Bernaysii; 1852.
Manilius	Iacobi; 1846.
Merobaudes	Niebuhrii; 1824.

Nemesianus	Hauptii; 1838. H. Schenkelii; 1885.
Ovidius	Merkelii; 1850 sqq.
Petronius	Buecheleri; 1882.
Phaedrus	L. Muelleri; 1877.
Plautus	Ritschelii; Goetzii; Loewii; Schoellii; 1849 sqq
Propertius	L. Muelleri; 1870.
Rutilius Namatianus	L. Muelleri; 1870.
Sammonicus	Ackermanni; 1786.
Scriptor Aetnae	Iacobi; 1826.
Scriptor Bucolicon Einsidelensium	Poetae Latini minores III; 1881.
Scriptor consolationis ad Liviam	Poetae Lat. min. I; 1879.
Scriptor elegiarum de Maecenate	Meyeri (Anthol. I); 1835.
Scriptores Anthologiae	Meyeri; 1835. Riesii; 1869 sq.
Scriptores versuum Saturniorum	L. Muelleri; 1885.
Seneca tragicus	Schroederi; 1728.
Seneca Menippeus	Haasii; 1852.
Silius	Bipontina; 1784.
Statius	Queckii; 1854.
Symphosius	Riesii (Anthol. I); 1869.
Terentius	Fleckeiseni; 1857.
Tragici Latini praeter Senecam	O. Ribbeckii; 1871.
Tiberianus	Poetae Lat. min. III; 1881.
Valerius Flaccus	Bipontina; 1786.
Varro Menippeus	Riesii; 1865.

II.

Boethius	Obbarii; a. 1843.
Terentianus	Lachmanni; 1836.

III.

Alcimus Avitus	Peiperi; a. 1883.
Arator	Arntzenii; 1769.

Auctor de figuris	Poetae Latini minores III; 1881.
Auctor in Genesin (cf. pg. 421)	Mignii; XIX; 1846.
Ausonius	Tollii; 1671. C. Schenkelii; 1883.
Avianus	Lachmanni; 1845.
Avienus	Bipontina; 1809. Breysigii; 1882.
Claudius Victor	C. Schenkelii; 1888.
Commodianus	Oehleri; 1847.
Corippus	Mazzucchellii; 1820. Petschenigii; 1886.
Dracontius	Duhnii; 1873.
Drepanius	Mignii; LXI; 1847.
Eugenius Toletanus	Mignii; LXXXVII; 1851.
Iuvencus	Mignii; XIX; 1846. Maroldi; 1886.
Luxorius	Meyeri (Anthol. Lat. I); 1835.
Martianus	Eyssenhardtii; 1866 (ubi tamen carminum numeros a ceteris segregavimus).
Maximianus	Poetae Lat. min. V; 1883.
Octavianus	Riesii (Anthol. Lat. I); 1869.
Orientius	Mignii; LXI; 1847. Ellisii; 1888.
Paulinus Nolanus	Mignii; LXI; 1847.
Paulinus Pellaeus	Brandesii; 1888.
Paulinus Petricordiensis	Petschenigii; 1888.
Paulinus ad Salmonem	Schenkelii; 1888.
Porfyrius Optatianus	L. Muelleri; 1877.
Priscianus	Bipontina; 1809. poet. Lat. min. V; 1883.
Prudentius	Obbarii; 1845.
Sedulius	Arntzenii; 1761.
Sidonius	Wowereni; 1598. Luetiohannis; 1887.
Venantius	Mignii; LXXXVIII; 1850. Leonis; 1881.

In poetis Latinis minoribus praeter Wernsdorfii, Meyeri, Riesii libros etiam adhibita editio Lipsiensis, quae intra annos 1879 et 83 prodiit.

In Mignii Patrologia ubi versuum numeri deficiebant, paginarum plerumque appositae notae.

In grammaticis Latinis, qui Putschii continentur libro, usi sumus numeris editionis Putschianae sive Keilianae et Hertzianae, in Consentii altero opusculo interdum Buttmannianae. in Festo O. Muelleri, in Nonio nostram secuti sumus recensionem. in Anthologia Graeca Bergkii exemplar a. 1866 sq. editum observavimus.

IV.

INSCRIPTIONES

EORVM QVAE HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

CORRIGENDA.

Pg. 9, 13 sq. leg.: notum, sed. 40. 12 a fine: attuleram. 48. 16: de Martiale. prompsit. 86, 15: praeter composita paucissima. 223 in fine: Einsidelensis, cuius. 226, 16 a fine: *sternitur exanimisque.* 265, 7 a fine: in illo. 266, 20: II, 283. cf. et. 321, 10: pronuntiatum. neque. 343, 17 del.: Tiberianus. 387, 20 leg.: et eiusdem. 411, 9: in Amoribus. 420, 13 a fine: a nonnullis. 506, 13: quid sin. 510, 1: *fulgere.* 533, 4: octonarioque. 538, 13 a fine: me amplectier.

Müller, Lucian
De re metrica poetarum latinorum praeter Plautum et Terentium. 2. ed.